
Tomo Unico

Ad usum F. Leonis a S. Felice Carmel. Discalceat.

HISTORIÆ
SUMMI IMPERII
APOSTOLICÆ SEDIS
IN DUCATUM
PARMÆ AC PLACENTIÆ
LIBRI TRES

Primævis auctoribus, jure gentium, actisque publicis comprobati.



ACCEDIT


Pro Bibliotheca S. M.

Actorum appendix & chronologia.

EX ITALICO







ROMÆ MDCCXXI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

PRÆFATIO

Interpretis.



Um in futuris comitiis Cameracensibus inter Christianos Principes, etiam de Parmæ ac Placentiæ Ducatu agendum esse, fama vulgasset, ne vetera ac recentia in illas urbes Ecclesiæ Romanæ jura quemquam fugerent, hæc pridem per virum suo nomine satis clarum italice scripta prodierunt. Nunc vero ut illi pariter, qui linguam italicam parum callent, & præcipue qui iisdem comitiis intererunt, hæc omnia facilius mente assequantur, ego qualicumque hoc meo genere dicendi latina reddidi, certa ac so-

lida fundamenta, quibus Sedis Apoſtolicæ dominatio innititur, tenui conatu meo cum exteris communicaturus. Hanc interpretationem, raptim & inter alias curas a me ſuſceptam, viris non ſolum politices juriſque gentium ſtudioſis pergratam fore confido, ſed illis præſertim, quos Italicarum rerum ſcientia delectat, qui plurima ac ſibi antea fortaſſe ignota, ut equidem opinor, inde perdiſcent. Præſtantiſſimus enim hujus operis conditor jura Apoſtolicæ Sedis invictis paſſim atque uberrimis probationibus ſtabilivit, quæ vel ab ipſis parum amicis aſſenſum eliciant, & ad rem firmius corroborandam innumera ex penitioribus doctrinæ atque eruditionis adytis argumenta derivavit: quod non ego unus, iſto in-

ge-

geniolo prædítus, censeo, sed locupletibus testimoniis litteratissimi quique satis superque declarant, resque ipsa confirmat. Porro quod ad hanc latinam versionem attinet, quam ipse Historicus, a me consultus, alicubi novis rebus & rationibus auxit, hoc duntaxat monendum puto, exquisitum Auctoris sermonem, gravem omnino & argumento parem, in eas me perpetuo angustias conjecisse, ut non tam de ornata elocutione, quam de rebus ipsis perspicue explicandis laborarem. Cum enim res, de qua agitur, sit fere nova, & quæstio ad publicum judicium pertineat, hæc sæpe suis vocabulis reddenda fuerunt, & formulis usu jampridem receptis exprimenda. Itaque Romanæ eloquentiæ laudem ultro aliis relinquens, hujus qualis-
cum-

cumque meæ lucubrationis fructum ſatis amplum reputabo, ſi exiguam ingenii mei facultatem in tam egregio opere transferendo ab æquis rerum æſtimatoribus & viris hiſtoriæ juriſque gentium peritis vel mediocriter probatum iri cognovero.

PRÆFATIO AUCTORIS

Ubi Historiæ argumentum exponitur.



IN hoc libro summum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in urbes principatusque *Parmæ* ac *Placentiæ* imperium ostendimus, innixi pondere jurium omnium tum veterum, tum recentium, quæ ad quamlibet in terris temporalem dominationem comprobandam deberent satis superque sufficere. Memoria enim nostra tot scriptis, libellisque in lucem publicam emissis diuturnæ Apostolicæ Sedis possessiones, licet omni rationum genere confirmatæ, sententiis nunquam prius auditis contemnuntur: eorumdemque scriptorum auctores ab uno Romano Pontifice, perinde ac ejus conditio infra omnium Principum sortem habenda esset, quod a nemine postulari juste potest, non solum hoc postulant, amplissimæ videlicet ipsius dominationis originem a remotissimis usque tempori-
bus

bus deductam ; sed etiam ubi hæc demonstrata, ipsi quodammodo sibilis eandem excipiunt magna injuria tum summi Pontificatus, tum Principum omnium, ac præcipue Francorum, Italorum, Germanorumque Imperatorum ; ne ullo quidem illorum excepto, qui ex AUGUSTISSIMA AUSTRIACA GENTE prodiere, ac præter ceteros Rudolpho I. quorum singuli actis publicis & sacramentis rite palamque conceptis eamdem originem certissimam, firmissimamque uno ore agnoverunt, agnoscendamque ab omnibus decreverunt. Quare cum in hac Historia nos pontificia jura tueamur, tuemur etiam res famamque Principum, claramque Imperatorum memoriam, omniumque illorum potissimum, qui sexcentos per annos gloriosissimam domum AUSTRIACAM illustrarunt. Primarium scriptum, argumentis ex jurisprudentia atque etiam, si Deo placet, ex theologia depromptis contextum, cujus spissos errores, præstantissimorum variarum gentium scriptorum documentis innixi, nos universorum judicio subjicimus, anno 1708. Mediolani vulgatum fuit. Quod quidem ubi trans Alpes in eorum tantum manus pervenisset, quorum animi ad plenam fidem illi habendam parati jam erant, cœpit magno quodam mysterio & cau-

cautela in Italia apparere, & in paucorum potestatem venire: atque hi quoque de illorum tantum schola fuerunt, qui in antecessum contra Sedis Apostolicæ jura se facillime persuasos prodebant, quique alias absurda principia, quibus illud scriptum scatet, se pronis auribus accepturos pollicebantur, parum aut nihil omnino laborantes, utrum vera an falsa ea essent, & an ad temporalem Sanctæ Sedis, aliorumque Principum dominationem æque infringendam, ac ad Summos Pontifices ignominiosissimis calumniis onerandos spectarent. Hic liber tandem non sine maxima difficultate in manus nostras devenit, inscriptione & quavis loci temporisque significatione carens. Hæc tamen initio leguntur: *Animadversiones ad scripturam, quæ dicitur vulgata Romæ die prima Augusti* 1707. *cujus titulus est: Declaratio nullitatis cujusdam concordiæ in Sedis Apostolicæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præjudicium initæ super hybernis stationibus, quas milites Germani in Ducatu Parmæ & Placentiæ locarunt.* I.

I

Quod igitur attinet ad Ecclesiam Romanam, hoc scriptum e suis tenebris educendum

b esse

esse censuimus, ejus paralogismos ad trutinam revocantes, ne, si illud impune & sine debita responsione per manus hominum volitaret, malevoli, parumque rerum periti conjicerent, Sedem Apostolicam specie contemptus fateri, se validis rationibus contra adducendis carere, quibus in luce hominum tot accusationes procul amoliretur, quasi tyrannice alienos Principatus sibi usurpasset: cujusmodi criminationibus in hoc & in aliis id genus libellis toto impetu, nullaque ratione habita, ipsa oneratur. Qua de caussa rem tantam silentio dissimulare, hoc easdem criminationes comprobare videri potuisset, falsasque aliorum contra Sanctam Sedem persuasiones augere amplius & non parum fovere. Quod vero hujus scripti paginæ numeris careant, ego ei respondendo, numeris capitum, qui ad oram notantur, & vocibus cuilibet capiti propioribus utor: qua quidem in re omnium commoditati consultum puto, qui veritatem suis oculis noscere vellent perpensis locis ipsis scripti Mediolanensis: cujus sinistros effectus ab Ecclesiæ Romanæ hostibus singulari applausu exceptos fuisse, luculenter inde percipitur, quod in eamdem non pauci ex Septemtrionis Heterodoxis bacchandi occasionem sibi inde

obla-

oblatam arripuerunt. Hinc vidimus, Joannem Wolffgangum Jægerum Academiæ Tubingensis Cancellarium, hominem in sua patria ob varios centones in lucem editos satis notum, suas pariter scriptiones in Summi Pontificis CLEMENTIS XI. *Declarationem nullitatis* vulgare voluisse: anonymum quemdam suas quoque Germanice in publicam lucem misisse, quas Simon Henricus Musæus jurisprudentiæ in Kiloniensi Academia professor latine convertit: ad hæc anonymum alterum anno 1708. Germanica lingua opusculum publicasse, cujus inscriptio hoc pacto explicari potest: *Imperii jus in Parmam & Placentiam & totam Italiam*. Hoc opusculum falsis sententiis & de trivio petitis refertum, quæ jamdudum in *Defensionibus Dominii Sedis Apostolicæ in Comaclum* confixæ fuerant, illo eodem anno 1708. iterum, moxque anno 1709. Ienæ tertio editum est: in qua quidem editione Godefridi Reulmanni auctoris nomen apparet. Quintus etiam liber prodiit in lucem Conradi Samuelis Schurzfleischii Wirtembergæ humaniorum litterarum professoris, quantum ex ejusdem farinæ sexto libro percipitur, qui prodiit Kilonii anno ipso 1709. a jam dicto Simone Henrico Musæo confectus: cui libro hæc

2. 3. *Commentatio Musæi pag. 101.* 4. 5. 6. *Commentatio Musæi pag. 98.*

hæc inſcriptio præfigitur: *De juribus in Parmæ & Placentiæ Ducatum a Pontifice male prætenſis aut uſurpatis Commentatio*. Hic Muſæus, qui in Romanos Pontifices odium ſuæ ſectæ inſitum paſſim evomit, Sacræ Imperatoris Joſephi Majeſtati librum ſuum, undique injuriis ſcatentem, inſcribere non dubitavit, quaſi vero Imperator Catholicus, Auſtriacus, quique munus *Advocati* ac *Defenſoris* Eccleſiæ Romanæ cum maxima dignitate ſua conjunxit, æquis auribus copioſas injurias ſuſtinere debuiſſet, multaſque calumnias a ſarcinatore Lutherano congeſtas in ſanctiſſimos principes Chriſtianæ Religionis, quam idem Auguſtus profitebatur: id quod ſcriptor ille nulla moderatione ſervata in toto libro ſuo præſtitit, ac præſertim in epiſtola nuncupatoria, ubi comparationibus animo ſuo reſpondentibus iniquas funeſtaſque oppreſſiones Summis Pontificibus olim illatas, tamquam inſignia exempla & imitatione digniſsima, Cæſareæ Majeſtati proponere auſus eſt. Hic vero auctor non ſolum in animo habuit, ut imperitis perſuaderet, Parmam ac Placentiam, ſed reliqua omnia ad Imperium Germanicum pertinere, nihilque aliud quam clientem, illique *ſubjectum* eſſe Summum Pontificem: quod certe nunquam an-

antea perceptum, intellectumque fuerat. Jam constat, hominem repertum, qui Romanum Pontificem, tamquam *Vicarium Imperatorum* libere venditaret. Nunc vero hic Lutheri assecla Pontificem, veluti Imperio *subjectum*, nobis obtrudit. Quoniam vero præstantissimi scriptores Catholici, Itali, Germani, cunctarumque gentium, & pariter ex Acatholicis celeberrimi, quales fuerunt Franciscus Hottomannus & Hugo Grotius, debita reverentia de Imperialibus Constitutionibus pro Romana Ecclesia promulgatis diserte meminerunt, ac præsertim de Ludoviciana, quæ ceteris contextum præbuit, Musæus incredibili audacia eas omnes, ut confictas, explodit, cujusdam Joannis Burchardi Maii *amici sui bonoratissimi*, ut ait, atque in Kiloniensi Academia collegæ, objecto nomine nobis terrorem incutiens, quem scilicet *illustris Conringii vestigia secutum*, in eas constitutiones immane quoddam volumen suum in lucem editurum minatur. Sed quamvis Musæus hoc nos *amici sui* consilium celasset, nihilominus credi poterat, Majum in suo *immani volumine* non aliud nisi rancidas & ineptas Conringii, aliorumque de ejus secta nugas nobis oggesturum: quas quemadmodum pro Summis Pontificibus Germani aliarumque gen-

Defensio I. pag. 74. Italice.
Defensio II. pag. 87.
Commentatio Musæi pag. 197.

gentium insignes & spectatissimi auctores magna doctrina atque industria confutarunt, ita Maji labor irritus atque inutilis infelici ejus sectæ prorsus evadet, cum nobis eum ad Defensiones summi imperii Sedis Apostolicæ in Comaclum amandare sufficiat. Ibi enim pueriles exprobrationes, insanæque cavillationes Molinæi, Wolfii, Goldasti, Conringii, aliorumque de heterodoxorum ac prædicantium ordine, & aliquot nostrorum etiam, refelluntur, qui Romanæ Ecclesiæ juribus obtrectandi, deque ipsis pariter Summis Pontificibus detrahendi studio abrepti, eos exscribere ausi sunt, eorumque dicteriis abuti: quibus ceteroquin armis omnes Sedis Apostolicæ hostes plerumque instruuntur. Quod vero attinet ad Ludovici Pii Constitutionem, quæ inter Ecclesiæ Romanæ hostes tot tantasque turbas excitat, illud apertum est omnibus, Henningum Arnisæum, Jurisconsultorum Lutheranorum facile principem, quamvis contra jura ac pontificiam majestatem absurdis opinionibus stipatus incedat, eamdem tamen Constitutionem verissimam, certissimamque ingenue fateri. Hæc illius sunt ipsa verba: CONSTAT, *Paschali a Ludovico concessam Romanam civitatem cum Ducatu suo & viculis omnibus & territoriis.* Ve-

De Subjectione & exemptione Clericorum cap.1. §.5. p.13. edit. Argent. 1635.

Veritas tanta vi pollet, ut illam vel adversarii ipsi ultro testentur ac fateantur! Profecto Arnisæus significantius verbum usurpare non poterat, quam hoc: *constat*. Quare ex Maii conatibus adeo nullum damnum in Sedis Apostolicæ jura apud æquos veritatis æstimatores importabitur, ut illum ipsum rubore suffundere debeant, cum tanto ante iidem ipsi conatus, ut a mendacio & malitia compositi, ubertim per nos fracti fuerint. Interim in hac Historia **audacia pravæque artes elevabuntur**, quæ Musæi librum comitantur, ejusque notas ad Imperatoris Edictum & pontificiam *Declarationem*, aliæque ab Anonymo Germanice scriptæ & ab ipso Musæo latinæ redditæ, ac pariter ejus oratio: quæ acta omnia ad calcem libri sui collocavit, quem ut eo amplius augeret, grandioribus litteris describendum curavit. Denique lector monendus est, hoc opere jamdudum elucubrato, cum mihi injunctum fuisset, ut scripta *summum Sanctæ Sedis imperium in Comaclum* denuo impugnantia refellerem, quod alioquin nullo etiam jussu accedente præstitissem, Romanam Ecclesiam pro virili mea defensurus, hoc præsens scriptum ad alia referendum putavi, ut repetitiones effugerem, neque in hoc Adversarios imitarer, qui in

in ſuis ſcriptis iterum atque iterum recinendis, licet ante confutata jam fuerint, ubique occupantur. Quemadmodum ego in *Defenſionibus Dominii in Comaclum* nonnulla ad hanc Hiſtoriam referuntur, ita in hac non pauca ad *Defenſiones* referri oportebit: quæ ſecundum primam editionem Romanam identidem adducentur ad libri oram, quo quiſque facilius conſulere poſſit quæ de hoc argumento a nobis ſcripta fuerunt, ut veritatem ac juſtitiam pontificatui Romano faventes tueremur, non certe libidine ulla ineptoque conſilio per malas artes ac fraudes pugnandi pro mendacio: quod Chriſtiani omnes vitare debent, quodque Sancta Apoſtolica Sedes, una veritatis magiſtra, vitavit ſemper ſemperque deteſtata eſt.

II

Ludovicus Thomaſſinus rerum Eccleſiaſticarum ſcriptor clarus, cum poſt multorum annorum moram Diſſertationes ſuas ad Concilia Oecumenica in lucem proferret, lectores de nonnullis neceſſario moniturus, priori ſuæ præfationi novam adjunxit, quæ *altera & ex intervallo* ab eo dicta eſt: quæque ſeparatim in omnibus exemplaribus minime apparet.

Pari

Pari pacto ego quoque istud opus, ab anno usque 1709. per me concinnatum, nunc tandem alicubi auctum editurus, præfationi ab initio scriptæ aliqua adjiciam, postquam non pauca operis exemplaria manu exarata huc illuc jamdudum volitassent: unde vir doctus, mihique alias ignotus compendium Italice excerpsit typisque vulgavit hac epigraphe prænotatum: *Informatio* (seu *Notitia*) *de Principatibus Placentiæ & Parmæ*: quam *Informationem* post hanc nostram Historiam primum editam subsecuta est ab eadem manu Italica *Dissertatio*, ut vocatur, *historico-politico-legalis de natura & qualitate urbium Placentiæ & Parmæ*: ubi sæpe auctor ingenue prodit, se per meam lucubrationem, secum olim ex Aula Parmensi me inconsulto antequam ederetur communicatam, non leviter profecisse: quod dictum velim illius hominis caussa, qui in sua, uti jactat, *Plena expositione*, a me alibi recensenda, de hoc opere sibi incomperto obloqui non est veritus, perinde ac esset omnibus ignotum ac profecto etiam vanum. Et quasi parum admodum hoc videretur, eo etiam devenit, ut sibi meriti loco, si Deo placet, tribui voluerit apud Apostolicam Sedem, quod de *Parma* ac *Placentia* Pag. 216.

c &

& de *præsenti* quoque Romanæ Ecclesiæ dominatione, pro sua nimirum erga eandem benevolentia, tacuerit. Jam vero ex memorata *Informatione* certum esse percipimus quod communi omnium voce jam percrebuerat, verum Auctorem famosi scripti, quod hac Historia refutamus, fuisse *Regentem*, ut vocant, Aloysium seu Ludovicum *Caroellum*, urbis Mediolanensis *Comitem* ac *Senatorem*. Atque hic ille ipse est, qui in Mutinensium libris, seorsum a me ventilandis, plena manu laudibus cumulatur atque in cœlum extollitur. Nam pag. 61. Brevis expositionis *sagax scientia atque eximia facultas Domini Comitis Regentis Ludovici Caroelli* commendatur. In Quæstionibus Comaclensibus pag. 3. magnus stupor admiratioque excitatur, quod *Dominus Comes Caroellus depictus fuerit, ut solis cavillationibus & animositate armatus ad notissimam veritatem denegandam*: infraque exclamatur, *dominum Comitem Caroellum S. R. Imperii clarissima jura ostendisse*. Postea pagina 5. repetitur, *D. Comitem Caroellum veritatem perspicue demonstrasse*: & pag. 8. jactatur, *id a D. Comite Caroello fuisse probatum*. Quasi vero hoc parum esset, pag. 12. minæ intentantur in eos, qui *contra Dominum Comitem Caroellum* hi-

biſcere audent: & pag. 13. profertur, *D. Comitem Caroellum jam reſpondiſſe*. Deinde pag. 22. hæc eadem cantilena recinitur ubi affirmatur, *D. Regentem Caroellum jure optimo oppoſuiſſe*: pag. 25. *adbuc D. Comitis Caroelli obſervationem valere*, & pag. 36. *D. Regentem Caroellum vim decretoriam intelligi juſſiſſe, adeo ut quid opponerent pontificii miniſtri ignorarent*: qui quidem tantæ hujus calamitatis cauſſa ingenti miſericordia digni ſunt. Poſt tot, tamque ſonantia verba, quæ erga hominem Sedi Apoſtolicæ formidandum magnam benevolentiam declarant, pagina quoque 38. *reſponſa D. Regentis Caroelli* memorantur: & pag. 40. *D. Comes Caroellus capita citaſſe* dicitur: ac denique pag. 51. *Domino Comiti Caroello belliſſimis quidem, ſed ineptis declamatoriis coloribus* reſponſum fuiſſe vulgatur. Tali ergo, tantoque Cauſſidico iſtud Mediolanenſe ſcriptum tribuitur, quod nos in præſentia ad examen vocamus; licet merito dici poſſit, hoc ſcire parvi omnium referre, ac mea certe minimi: qui potius ad venerabilem auctorem aurei operis de *Imitatione Chriſti* animum intendo, a quo lib. 1. cap. v. his verbis commoneor: *non te offendat auctoritas ſcribentis, utrum parvæ vel magnæ litteraturæ fuerit,*

sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur, attende.

III

Egregio *Notitiæ* memoratæ & *Dissertationis* scriptori in rerum & temporum serie præposterum ordinem servare placuit. Ego vero simplici, chronologico, ac naturali, tamquam commodiore ac faciliore, usus sum. Ipsum tamen ordinem hac ratione digessi, ut post res antiquas, recentes seorsum ab anno 1500. in libro tertio consulere facillimum sit. Eo rei, de qua agimus, aptior hic ordo visus, quod quæcumque via ineatur, semper ipsa prima origo adeunda est, ubi summi Ecclesiæ Romanæ imperii in temporales ipsius regiones fundamenta sternuntur, principiumque jurium universorum, quæ Summi Pontifices in easdem exercent. Apostolicæ Sedis hostes dum ibi scopulos latere intelligunt, ad quos scriptis suis patrimonia Sancti Petri invadentes, coguntur impingere, eos vitaturi, magnos conatus adhibent, adeo ut omnem verecundiam abjicientes desperatissima consilia suscipiant, calumniis, conviciisque pugnantes non solum in Pontifices, quod quidem

dem illorum parvi admodum refert, ſed in ipſos Imperatores, quorum dignitati tantopere ſtudere ſe dicunt. Hinc eo audaciæ deveniunt, ut *donationes* ac *reſtitutiones* Eccleſiæ Romanæ factas pro confictis & fabuloſis proclament, quamvis æquales, proximi & ſubſequentes ſcriptores uno ore de illis locuti fuerint. Licet vero quisnam eas confinxerit, ipſi aperte non tradant, compertum tamen eſt, eos innuere ab illis fuiſſe *confictas*, quorum eas confingere maximi intererat. Ad hæc perinde ac ipſos tam inconſideratæ, ne dicam ſtultæ ſententiæ pœnituiſſet, eas donationes modo *invalidas*, & non *legitimas* dicunt, quod nimirum Pipinus & Carolus Magnus injuſte ac ſine Byzantinorum Cæſarum aliorumque, quos ſibi fingunt, hominum facultate eas edidiſſent. Modo eas pro actis *vanis, ludicris, effectuque carentibus* habent, licet Hiſtorici, omniumque ſæculorum ac gentium voces longe aliter clament: quæ de iiſdem, veluti de rebus veris ac genuinis, non autem *vanis*, *ludicris*, *effectuque carentibus*, diſertim loquuntur; quippe quas donationes rite vulgatis ac publicis cæremoniis omnes Imperatores comprobaverint, maximis juribusjurandis palam eas firmantes. Quare qui de actis tam luculentis obloquitur, in

re

re maxima famam & nomen omnium Imperatorum Occidentalium sine dubio obscurare conatur, quasi nimirum actis tam notis & seriis lusissent, non solum Summos Pontifices, sed etiam Deum ipsum impiis falsisque sacramentis irridere gestientes. Hæc tam varia, tamque inaudita inter Catholicos, atque etiam inter Heterodoxos rationis usu minus abutentes, una cum multis aliis id genus in publicum emissa vidimus, ut quodam honestatis colore instigationes artesque illorum tegerentur, qui urbem Comaclensem propere occupandam curarunt. Etenim alia via nulla patet, qua melius honestari possint. Hanc Historiam, ut commodius legatur, in libros tres divisimus. Hi vero secundum adversariorum ordinem tria temporis spatia complectuntur, quæ in hoc argumento, Parmæ & Placentiæ Ducatum spectante, intercesserunt. In libro primo de rebus antiquis ac primis agitur, quæ a sæculo octavo usque ad decimum evenerunt. In altero de illis differitur, quæ inter media tempora contigere a sæculo undecimo usque ad sextum decimum: in tertio recentia uberiore sermone explicantur, a Pontificatu Julii II. ad tempora nostra: quem librum illi adire poterunt, qui antiquiora pa-

rum

rum curant. In fine accedunt acta quædam Historiam confirmantia, notis, prout res postulat, Historiæ respondentibus illustrata, ut ea seorsum quisque consulere possit. Porro sex voluminibus supra memoratis, quibus hoc nostrum opponimus, *septimum* etiam accedit Burchardi Gotthelffii Struvii, anno 1711. Jenæ hac inscriptione vulgatum: *Dissertatio præliminaris de jure Imperii in Ducatum Parmensem & Placentinum, præmissa Exercitationibus XXIV. benevolo illustris Jurisconsultorum ordinis consensu instituendis*. Struvius aliis operibus inter litteratos clarum sibi nomen comparavit. Sed profecto argumentum suæ dignitati hoc postremo perniciosius suscipere non poterat, cum in suo scripto 24. pagellis constante, Guicciardini, Thuani, Goldasti, aliorumque vestigia secutus, se non una hac re levissime instructum, sed etiam juris publici ac gentium, atque Italicæ historiæ potissimum ignarum prodiderit. Quare illo etiam tacente, quisque primo intuitu animadvertere potuisset, Dissertationem ab illo institutam, ut scholæ tironibus, quorum nomina in fine subjunxit, pro exercitatione inserviret. Hoc opusculum ceteris a me recensitis addere libuit, ut omnes hujusmodi scriptores, Sancti Petri patrimoniis in- 7.

infeſtos, mihi innotuiſſe conſtaret, eoſque eamdem paſſim cantilenam repetere, dum alius alium exſcripſit. Quare uni reſpondendo, reſpondetur omnibus, quamvis ſingulos nominatim adducere omitteremus. Ad calcem operis ante indicem rerum, in tabula chronologica celebriora facta ac jura Sanctæ Sedis in Parmenſem Placentinumque Ducatum, actis publicis in Hiſtoria citatis comprobata cernuntur, ut hoc pacto unuſquiſque de tota rei ſumma facillime doceatur.

Hoc in loco methodus atque ordo explicandus eſſet, quibus in toto opere uſi ſumus, niſi ſupervacaneum videretur in re explicanda occupari, quæ explicatione non indiget, cum ſit compertum cuique quænam methodus, dicendique genus deceat Hiſtoriam apologeticam, ubi quæritur, an tot calumniæ Eccleſiæ Romanæ ab adverſariis juſte affingantur, & an Summis Pontificibus conveniant illi colores, quibus audacter hac ſuper re in tot opuſculis typis expreſſis depicti exhibentur: quæ cum examinanda penitus probeque excutienda a me fuerint, ut verum a falſo ſecerneretur, nec honeſtum neque utile reputavi tantæ cauſſæ, in qua de Sedis Apoſtolicæ dignitate agitur, rem timide ac meticuloſe

tra-

tractare, nulla cujusque ratione habita: multoque minus in eos auctores plenis manibus laudes congerere, quas eorum libri, falsis accusationibus contumeliisque non ante auditis scatentes, profecto haudquaquam merentur. Hinc pro re nata formulas eas adhibuimus, quæ rebus ipsis explicandis aptæ videbantur: in quo quidem nos secus gessimus ac adversarii, qui res semper invertentes, earumque significationem immutantes, in hoc toti sunt, ut crimina, quorum Apostolica Sedes tum ab iis, qui eam patrimonio spoliandam curant, tum & ab iis etiam, qui in eamdem Religionis caussa irruunt, passim insimulatur, vera esse lectoribus suis persuadeant. Quare sicut qui vitium atque errorem propius intuetur, eorum malitia perterrefactus, acrioribus verbis utitur, quam quibus illi, qui aut non possunt, aut negligunt occultam ipsius vitii indolem explorare, penitusque introspicere; ita ego ut fraudem plane nudam omnibus videndam proponerem, antiquos illos sanctosque magistros imitandos mihi esse censui, qui *Patres* honoris caussa omnium consensu appellantur. Illi enim qualemcumque errorem scriptis suis confutantes, hanc eamdem viam institerunt, ut monerent incautos, & Christianorum animos

procul a vitio & errore avocarent, maxime cum de illis in Aulas Principum inducendis agatur ſpecie longe alia, quam ſua, quo facilius irrepant damno privato & publico, juſtitiæque injuria, divinis humaniſque legibus contra clamantibus, ad quas non ſolum veri Chriſtiani, ſed quique pravi ſenſus expertes curam ſuam intendere debent.

Poſtremo loco dicendum ſupereſt, hanc Hiſtoriam a nobis Italice ſcriptam, tum quia res Italicas narrat, tum quia externi Principes, eorum adminiſtri, aliique nobiles viri & doctrina præſtantes Italicam linguam ſcire ſibi maximo honori ducunt, utpote eam, quæ ceteris, quæ in uſu hominum ſunt, ſua elegantia facile antecellit. Ubi vero opus fuerit, eadem Hiſtoria in alias linguas nullo negotio verti poterit, quemadmodum *Dominium Apoſtolicæ Sedis in Comaclenſem civitatem*, ejuſdemque *Dominii Defenſio I.* Gallice vertit vir æquitatis amans, quamvis e ſocietate Catholicorum excluſus; unde ejus verſioni major fides accedit, nam ex ſententia Sancti Hieronymi, *illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur.*

Epiſt. ad Pammachium 61. contra Joannem Hieroſolymitanum cap. 4.

IN-

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI

Qui originem & prima jura summi imperii Ecclesiæ Romanæ in Parmam ac Placentiam a sæculo octavo ad undecimum complectitur.

IN-

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI

Qui argumenta summi imperii Ecclesiæ Romanæ in Parmam ac Placentiam a sæculo undecimo ad sextum decimum complectitur.

Pla-

IN-

INDEX CAPITUM LIBRI TERTII

Qui summi imperii Ecclesiæ Romanæ in Parmam ac Placentiam acta & argumenta a Julio II. Pontifice ad CLEMENTEM XI. complectitur.

sio

Nummi Romanorum Pontificum, qui summum Sedis Apostolicae in Parmam ac Placentiam imperium ostendunt.

APPENDIX ACTORUM

A sæculo XIV. ad XVIII. quæ in Historia adducuntur.

Sca-

HISTORIÆ
SUMMI IMPERII
SEDIS APOSTOLICÆ
IN DUCATUM
PARMÆ AC PLACENTIÆ

LIBER I

Qui originem & prima jura summi imperii Ecclesiæ Romanæ in PARMAM *ac* PLACENTIAM *a sæculo octavo ad undecimum complectitur.*



OMANA Ecclesia, quæ propter singularem erga omnes filios suos dilectionem, *matris*, immo *piæ matris* dulci nomine merito gaudet, non solum quæ ad alios pertinent, nunquam sibi injuste usurpare tentavit, sed ubi in illas se angustias adductam sensit, ut ab iis, qui aut animo parum æquo, aut malevolorum sermonibus impulsi, ad illam, ejusdemque jura oppugnanda prosilierunt, se ipsa defenderet, suam cunctis mansuetudinem ac moderationem testatam voluit, tam caute id agens, ut maxima damna subire, & de sua, ut ita dicam, præstantia ac juri-

I. Occasio operis.

LIBER I. juribus probatissimis dimicare maluerit, quam vel minimam suspicionem injicere, quasi consiliis, quibus pro se utitur, filiis carissimis ac spectatissimis quidquam detrahere velle videretur. Siquis inter Christi Vicarios perpetua actionum suarum constantia hujusmodi sensus *communi Patre* dignissimos sibi unquam inesse patefecit, is certe fuit CLEMENS XI. PONTIFEX MAXIMUS in toto sui Apostolici muneris cursu. Hic enim cum de Sancta Sede Apostolica aut suis augendis nunquam cogitaverit, quamvis per tempora & occasiones id facillime licuisset, non solum ab hoc se alienissimum demonstravit, oblatamque rei suæ amplificandæ opportunitatem respuit, sed etiam in gravissima discrimina incurrere coactus est, summa virtute ferens quicquid novi contra se, suosque Præcessores de celeberrimis & verissimis Sedis Apostolicæ, in veterrima ejus patrimonia juribus, scriptum editumque sæpe conspeximus. Immo hoc quoque tempore illud vere affirmare possumus, Sanctissimum Pontificem in eodem proposito mansurum non permittendi, ut de injuriis sibi toties illatis, deque juribus Apostolicæ Sedis hominum universitas historice edoceretur hoc scripto, usque ab anno 1708. quo Cæsareum Edictum in Parmæ, Placentiæque Ducatum prodiit, jam composito, si id quidem conscientia & Pontificis dignitas paterentur post tamdiu retardatam editionem, quod speraretur fore, ut, ubi contentionum ardor refrixisset, veritati, justitiæque, alioquin per se probe cognitæ atque perspectæ, relicto loco, malæ pariter opiniones evanescere potuissent. Quoniam autem undique nunc exauditur, in publicis de *Pace* inter Christianos Principes instituenda conventibus, de urbibus etiam ac ditionibus multorum sæculorum cursu ad Sanctum Petrum, ejusque successores pertinentibus libere decernendum, Apostolica Sedes, utcumque licet, ejusmodi conatibus nunquam ante auditis cum ex officio resistere debeat, sua jura pa-

palam vulgari tandem jubet, ut quæ post sæculorum memoriam de patrimonio Principis Apostolorum, tam gravi Romanæ Ecclesiæ dedecore, sancienda jactantur, ea cum divinis, humanisque legibus pugnare, omnibus innotescat. LIBER I.

II.
Cæsarianorum jura in Parmam ac Placentiam Mediolanensi scripto excitata.

Cum vero inter omnes illos, a quibus hæc tempestas excitata est, Mediolanensis auctor cujusdam libelli, qui *Animadversiones* inscribitur, excelluerit, cumque constet, ipsum incredibili quadam licentia summum Pontificis in illas urbes imperium, &, quod erat expectandum, sacram ejus potestatem convellere moliatur, hunc unum tot turbas contra Sedem Apostolicam suscitavisse putamus, maxime cum memoratum Edictum post *Animadversiones* statim in publicam lucem prodierit. Quare ex uno Mediolanensi libello consilia omnia, quæ hodie in judicium conspectumque hominum veniunt, præcipue manarunt. Quæ cum ita se habeant, nostrum erit istud opus diligenter excutere, & an veritatem, per nos Christianos, Catholicosque rebus omnibus præferendam, doceat, attente considerare.

III.
Scripti Mediolanensis institutum.

Haud equidem immorabor in *suspicionibus*, quas auctor jam inde a principio contra Aulam Romanam, Summumque Pontificem hominum animis inserit, divinatione se assecutum esse contendens, a CLEMENTE XI. *Declarationem* suam promulgatam *ad finem obumbrandi, si fas esset, splendorem victricium armorum Italiam in libertatem vindicantium*. Cum enim, ipsomet fatente, id puris suspicionibus per calumniam inventis innitatur, hinc videre poterat, utrum illas scriptis suis vulgare debuisset, & an ad optimum, fidumque consiliarium pertineat, in Principum mentes, præcipue contra propriæ Religionis arbitrum tam noxias ac parum æquas cogitationes ingerere. Post hæc, *omnes Italiæ civitates* supremæ Imperatoris potestati subesse prædicat, quod omnes, ut ait, *nemine excepto, uno ore concludant*, illum pro totius terrarum Or-

Animadversiones n. 1. §. Omnes.

LIBER I.

Animadvers. num. 5. §. Hæc autem.

Orbis Domino existimandum, atque *hoc jus Imperatori acquiri in actu electionis*. Hinc fit, ut magna auctoritate pronunciet: *Hæc autem præsumptio fortius & peculiari jure competit Imperatori respectu omnium civitatum & locorum Italiæ*. Jam probe scimus, ingentem Jurisconsultorum tum in Italia, tum in Germania numerum, Mediolanensi persimilium, qui se opinionibus legulejorum cerebro insidentibus duci sinunt, nonnullis Imperatorum Antonini & Justiniani verbis, quasi divinitus traditis, tantopere adhæsisse, ut Imperatorem totius Orbis Dominum proclamarent, quod Friderico I. se *Urbis* atque *Orbis* Dominum venditandi occasionem præbuit, sicut [a] Radevicus testatur. [b] Atque illis temporibus, quibus Gibellinorum bella flagrabant, alii de Jurisperitorum ordine minime defuerunt, qui liberius quiddam proferre non dubitarunt. [c] Sed teste Arthuro Duckio Britanno, juris consultissimo, qui a verbis libri Mediolanensis, idest *omnes uno ore concludunt*, immane dissentit, *hæc omnia communiter refelluntur ab interpretibus sæpe antiquis, & a recentioribus fere omnibus*. Immo Duckius præterquamquod falsum esse docet, hujus rei comprobationem e Sacris Litteris depromi, rem ipsam nullam plane esse ostendit, & Romanarum legum æquitati adversari, ac pariter a Jure Gentium manifeste abhorrere. Imperatores etiam pro se & contra alios Principes de Imperii finibus testes ac judices recte deligi posse negat, & cum *Mundi Dominos* se ipsi nuncuparunt, solum hyperbolice ait esse locutos, atque arroganter Interpretes & inepte; quippe qui cum vetere Augusti, Tiberii ac Titi Imperio novum istud sine dubio miscuerint. Quamobrem non solum ab Hugone Grotio, sed a multis quoque aliis ejusmodi opinio parum honorifice excipitur, velut unis auctoris verbis innixa, cum de facto agatur, non de Imperatoris jure, *quod*, Duckio animadvertente, *nullis rationibus defendi posest*. Verum si Mediolanensi Scriptori id etiam a nobis

a) *De Gestis Frid. lib. 2. cap. 30. in fine.*
b) *Defensio II. Dominii Sanctæ Sedis in Comaclum pag. 160. Italice.*
c) *De Usu & auctoritate Juris Civilis Romanorum in Dominiis Principum Christianorum lib. 2. cap. 1. §. 3.*

De Jure Belli & pacis lib. 2. cap. 22. §. 13.

bis facile concederetur, quod nullo pacto conceditur, sibi haud leve onus sustinendum esse non videt, ostendendi, primum Occidentis Imperatorem postremi Orientalis filium & heredem quodammodo fuisse; negandi quod omnium consensu receptum est, a Leone III. Pontifice amplissimam Occidentalis Imperii dignitatem institutam, Caroloque Magno delatam, de quo infra fusior sermo a nobis habebitur: affirmandique, id Carolo propter Romani Imperii successionem & absolutam jurium omnium ad ipsum Imperium pertinentium hereditatem, contigisse. Sane Jurisperitus Mediolanensis maximas in angustias se hic concludi sentiret, quoniam ipsi Germani atque illi quidem, quos de Imperatorum suorum finibus proferendis valde sollicitos esse accepimus, minus cum ipso consentiunt, immo ut frivolum falsumque hoc omne refellunt. Inter alios audire juvabit Hermannum Conringium, qui initio libri de *Finibus Imperii* tale inscripsit argumentum: *Romani Imperii veteres res ac jura ad Germanicum Imperium non pertinere, adeoque nec hujus fines ex Romanis illis petendos*. Multo autem significantius Germanus pariter Samuel Pufendorsius, sub *Severini de Monzambano* nomine delitescens, vocat *puerilem valde errorem* sententiam credentium, *regnum Germanorum in antiqui istius Romani Imperii vicem subiisse, & hoc in illo continuari*. Quod effatum hisce verbis sapientissime firmat: *Cum istud Imperium, cujus sedes Roma erat, dudum fuerit destructum, antequam Germania unius instar Regni habere cœpisset*. In eandem discessere sententiam Monzambani interpretes, Ulricus Obrechtus, Pacificus a Lapide, Joannes Georgius Kulpisius, Christianus Thomasius, & Gerardus Titius, Germani omnes, atque Heterodoxi (licet Obrechtus Catholice obierit) omnesque ab Italia ac Sede Apostolica averso animo, quorum verba in medium producere supervacaneum censeo, una eorum ratione contentus. Grotius tamen eos libere perstringens,

De Statu Imperii Germ. cap. 1. §. 14.

De Jure Belli & pacis lib. 2. cap. 9. §. 11.

LIBER I.

gens, qui secundum veteris Imperii speciem de hoc recenti disputant, scriptum reliquit: *Nescio quam subrogationem hujus Imperii in illius locum sibi confingunt*. Et quidem si Grotius, quem ejusmodi rerum scientia omnibus præstitisse compertum est, hujus *subrogationis* fundamentum frustra se quæsivisse ingenue fatetur, idem etiam ab aliis incassum quæri, libere affirmandum erit.

IV. Disquisitio in Scriptum Mediolanense.

Alia deinde Jurisperiti Mediolanensis modestior profecto, minus tamen vera propositio videtur, *omnium* nempe *civitatum & locorum Italiæ*, quodque consequitur, *Parmæ & Placentiæ*, pro domino Imperatorem esse habendum. Quæ quo firmius roborentur, nescio cujus Ascanii Hordei Canonicorum Lateranensium familiæ alumni manes excitantur, ut ab hoc homine doceamur, Placentiæ vel a primis temporibus, quibus a Romanis Colonia deducta est, semper Imperatores dominatos fuisse. Hinc ut rem suam Hordeus belle conficiat, ab Orbe condito exorditur, tum adit Assyrios, flectens ad Deboram apud Ebræos Judicis officio functam, inde ad Gallos, Etruscos, Trojanos, ac deinceps ad Imperatores, donec tandem longo itinere fatigatus in Caroli V. temporibus suavissime conquiescat. Sed quamvis Hordeus una cum suis gregalibus, si superesset, ut justum responsum obtineret, alio amandandus esset, his tamen prætermissis, ex eo sciscitari possemus, de utro Imperio *Orientali*ne, an *Occidentali* disputare velit. Quod si forte de hoc loqueretur, tanti quidem non esset recordatione repetere quæ ante Romanum Imperium, a Julio Cæsare constitutum, evenerunt, quando Romanorum Coloniam Placentiam fuisse deductam, traditum est. Pervulgatum enim atque omnium sermone tritum existimamus, nomen Occidentalis Imperii ante Carolum Magnum, octavo exeunte sæculo, nunquam exauditum. Si vero non de *Occidentis*, sed de *Orientis* Imperio se agere Hordeus nunciaret, ab ipso quo-

quoque oſtendendum eſſet, poſt Carolum Magnum Græcum Imperium in Italiam fines ſuos protuliſſe, aut ſaltem, ut ſupra monuimus, Occidentale Imperium in Orientalis jura omnia ſucceſſiſſe. Præterquamquod Hordeus una cum ſuo ſectatore non ſine magno dedecore difficilis negotii aleam ſubiret, ſi nobis demonſtrare cogeretur, *Parmæ* & *Placentiæ* urbes ante Carolum Magnum Græco Imperatori paruiſſe. Certum enim eſt, vetere Imperio corruente, Odoacrem Herulorum Regem, [a] Ennodio teſte in vita Sancti Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi, in ſuam poteſtatem Placentiam redegiſſe, deinde, quemadmodum [b] Caſſiodorus memoriæ prodidit, ſcripſitque de Placentia [c] Procopius, utramque in Gothorum manus deveniſſe. His demum Rex Francorum Theodebertus potitus eſt, qui, [d] Mario Aventicenſi auctore, anno 540. *Æmiliam* univerſam vaſtavit. Ab *Exarchis* Ravennatibus poſtea utraque urbs capta eſt, mox a Langobardis: rurſus ab *Exarchis*, & Langobardis recepta, denique, ut infra narrabitur, Sedis Apoſtolicæ imperio acceſſit. Et quamvis etiam ſemper ad Græcorum dominationem ſpectaſſent, nullum hinc tamen adjumentum adverſariis ſuppeditaretur, ſed potius Eccleſiæ Romanæ, cui Carolus Magnus, Italicæ libertatis aſſertor, ſummique Pontificatus acerrimus propugnator, tum quæ ejus erant, reſtituit, tum illi plenum imperium tribuit in ea omnia, quæ Græci cis mare Ionium poſſederant. Hoc ipſi ratum ſua ſponte fecerunt quo tempore inter ſe ac Leonem III. de iis convenit, quorum paullo poſt mentio inſtituetur, ubi, ſiquis rationi, rectoque ſermoni locus relinquatur, luce clarius patefiet, Cæſarem, tanquam Occidentis Imperatorem, aut, quod maximum eſt, tanquam heredem Caroli Magni, ejuſdemque ſucceſſorem, regiones ab Apoſtolica Sede poſſeſſas occupandi quovis jure carere. Et quoniam erroris nebulam diſſipare nemo poteſt, & ad veri-

a) *Opera Jac. Sirmondi to. 1. pag. 1670.*

b) *Lib. 8. Epiſt. 3. — lib. 10. Epiſt. 28.*

c) *De Bello Gothico lib. 3. cap. 13.*

d) *Chron. apud Ducheſn. to. 1. pag. 213.*

LIBER I.

veritatem accedere, quin rerum origines diligenter inquirat, dum ea, quæ ad Occidentis Imperium, in Carolo Magno inchoatum pertinent, agitantur, institutum postulat, ut Caroli patrisque Pipini tempora quambrevissime percurramus.

V.

Pipinus a Langobardis Ecclesiæ regiones liberat.

Duchesn. Hist. Franc. tom. 3. pag. 506.

Defensio I. Dominii pag. 357. Italice.

Cum Stephanus II. Pontifex a Pipino petiisset, ut contra Aistulphum Langobardorum Regem, *eo quod*, sicut in Hildesheimensi Chronico legitur, *res Sancti Petri abstulerat*, comparato auxilio Sedi Apostolicæ, Romæque succurreret; in Italiam idem Pipinus magnis itineribus properavit, ubi victum Aistulphum, ut *civitatem Ravennatium cum aliis diversis civitatibus*, contra jus fasque usurpatis, Sedi Apostolicæ redderet, jurejurando obstrinxit. Sed quia fidem Aistulphus rursus violavit, promissis stare armis coactus fuit: & quemadmodum ait auctor æqualis Bibliothecarius sive Anastasius, de his temporibus verissima tradens, ut *a Beato Petro atque a Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus* IN PERPETUUM *Pontificibus Apostolicæ Sedis* urbes illæ, Deo in *holocaustum* oblatæ, detinerentur, Pipinus non solum declaravit, verum etiam scripto de more firmauit. Præterea Fulradus Sancti Dionysii Abbas, Pipinique Consiliarius, Aistulphi Regis ministris comitantibus, *per* SINGULAS *ingrediens civitates tam Pentapoleos, quam* ÆMILIÆ (non ait per *aliquas*, sed per *singulas*) ubi obsides & singularum urbium claves accepit, statim ut Romam venit, *ipsas claves Ravennatium urbis, quamque* DIVERSARUM *civitatum ipsius Ravennatium Exarchatus* in Sancti Petri *confessione* collocavit cum diplomate, quo Pipinus Sancto Petro, Stephanoque Pontifici, *atque omnibus ejus successoribus Pontificibus* PERENNITER *possidendas atque disponendas* urbes illas tradiderat. Profecto hæc summum Ecclesiæ Romanæ imperium significant. Hæ civitates, quarum Anastasius nomina recitat, & a quibus obsides & claves Fulradus recepit, una & viginti numera-

In Stephano II.

754.

LIBER I.

756.

merabantur. Quoniam vero his urbibus, quas Aistulphus Ecclesiæ restituerat, aliæ nonnullæ deerant, post ejus mortem, quæ anno 756. ineunte contigit, Desiderius illius Comes stabuli ac Tusciæ Dux Regnum Langobardorum affectans, ad Stephanum Pontificem, ut sibi hac in re auxilio præsto esset, confugiens, Fulrado Abbati, Paullo Diacono fratri Pontificis, & Christophoro a consiliis ipsius, *se redditurum*, ut ait Bibliothecarius, *professus est civitates, quæ remanserant: immo & copiosa daturum munera*, conscripto palam jurejurando spopondit.

VI. Parma & Placentia regionibus Sedi Apostolicæ a Pipino traditis comprehensæ.

In Carolini Codicis epistola VIII. quæ post Aistulphi mortem a Stephano ad Pipinum scripta est, Desiderium *restituere Beato Petro* RELIQUAS *civitates*, jurejurando Fulrado pollicitum fuisse legimus. Insuper Faventia, Forum Cornelii, Ferraria, Auximum, Ancona, Numana, & Bononia cum suis agris in eadem epistola memorantur. Hæc tamen numeratio urbes omnes non complectebatur, cum in Pipini diplomate, quod ab Anastasio magna cum fide paucis verbis perstrictum ad nos pervenit, de *Æmilia* quoque intra Exarchatum comprehensa, doceamur. *Æmilia* non est urbs, sed peculiaris provincia certis, propriisque terminis circumscripta, quæ ab *Æmilia* via, per *Marcum Æmilium Lepidum* consulem ducta, id nomen accepit. Hæc a *Placentia* incipiens perque urbes *Parmam*, *Regium Lepidi*, *Mutinam*, *Bononiam*, *Forum Cornelii*, *Faventiam*, & *Forum-Livii*, *Cæsenam* ducens, Arimini viæ *Flaminiæ*, a consule Cajo *Flaminio Æmilii* collega stratæ, ex [a] Strabone, adjungebatur. Viæ *Æmiliæ* origo per [b] Titum Livium paucis describitur ubi ait de consule Æmilio: *Viam ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit*. Ergo pars illa *Galliæ Togatæ* seu *Cisalpinæ*, quæ propriam per se provinciam constituens, a situ, Romæ ratione habita, *Gallia Cispadana* vocata fuit, postea lapsu temporis, ut sæpe

a) *Lib. 5. pag. 217 edit. anni 1620.*

b) *Lib. 39. cap. 2.*

B fit,

LIBER I. sit, vetere omisso nomine, alterum sumpsit ab *Æmilia* via, quæ mediam secabat, ejusdem viæ longitudinem æquans. Domitiani Imperatoris tempore, quo Martialis floruit, universæ regioni *Æmiliæ* nomen jam adhæsisse patet. Poeta enim, in Foro Cornelii degens, ita librum suum alloquitur.

Lib. 3. Epig. 4.

Romam vade liber: si, veneris unde, requiret,
ÆMILIÆ *dices de* REGIONE *viæ*.

Sub posterioribus Augustis nomen idem retinuit, ut liquet ex libello de Provinciis Romanis, Antonini Itinerario per Aldum, Junctas, & Andream Schottum adjuncto. Sæculo sexto, quo in Galliis Marius Aventicensis, & in Asia insignis scriptor Agathias vixit, *Æmiliæ* provinciæ nomen passim celebrabatur. Ille enim in Chronico, de quo supra, *Æmiliam* provinciam appellat; hic vero in accessione ad Historiam Gothicam Procopii de eadem sic meminit: *Alpium jugum, quod inter Tusciam &* ÆMILIAM *protenditur*. Sæculo post Agathiam Geographus Langobardus Anonymi Ravennatis nomine vulgatus hæc habet: *Proxima suprascriptæ provinciæ Liguriæ Transpadinæ est* PROVINCIA, *quæ dicitur* ÆMILIA. Ut vero ad Pipini & Caroli Magni, qui eam provinciam Ecclesiæ donarunt, tempora deveniamus, Paullus Diaconus tum florens, de *Æmilia* quoque, ut infra patebit, sermonem facit. Quare Platina, in antiquis Sedis Apostolicæ monumentis apprime versatus, quæ Sixti IV. Pontificis jussu in volumina redegit, cum in Donatione seu Restitutione Pipini generalia *Exarchatus*, *Pentapoleos*, *Æmiliæ*que nomina animadvertisset, ejus Donationis summam his verbis per fines certos & continentes non obscure descripsit: *Redditus itaque Romanis Exarchatus est: quidquid Padum, & Apenninum interjacet a Placentinis usque ad stagna Venetorum, & quidquid intra Isaurum flumen, Apenninum, & Adriaticum*

Lib. 1. pag. 22. edit. regiæ.

Lib. 4. pag. 199.

In Stephano II.

ticum continetur. Et sane *usque ad stagna Venetorum* sapientissime Platina. nihil enim aut Imperatoris Exarchis aut Langobardis cum Venetorum insulis erat, quæ tunc proprio jure utebantur, & hac de caussa etiam postquam Carolus Magnus Italiam suæ potestati subjecit, ab hoc regno sejunctæ, in sua libertate perstiterunt.

VII. Totam Æmiliam Pipinus & Carolus Ecclesiæ donarunt.

Porro *Æmiliam* longe lateque patentem Sedi Apostolicæ a Pipino fuisse donatam, non solum Platinæ, verum etiam aliorum insignium Scriptorum testimonio comprobatur. Nam Bibliothecarius, æqualesque Pontifices in Carolini Codicis epistolis, æque ac Ludovicus Pius in sua Constitutione, generalibus locuti sunt vocibus, nulla ad arctiorem significationem indicandam usurpata: quæ res plane omnium Historicorum, non unius, sed variarum gentium, consensione firmatur. Præterquamquod ex Donatione illa amplissima & tantopere hominum linguis celebrata, quam Carolus Magnus sanxit, priorem Pipini patris renovans atque augens, luculenter constat, *Æmiliam*, quanta quanta fuit, supremæ Sedis Apostolicæ potestati accessisse post ultimam Langobardorum cladem, & post Desiderii Regis captivitatem: quam Anastasius illum subiisse testatur ex nimis obfirmata pertinacia, qua non modo urbes, jurejurando promissas, Sedi Apostolicæ non restituerat, verum etiam in Ecclesiæ populos sæviens, Romæque ipsi minas intentans, per summum nefas alias atque alias invaserat. Jam vero ex epistolis XIV. XV. ac XVII. Carolini Codicis abunde fit manifestum, Pontificem Paullum I. postquam se variis fraudibus ac perjuriis a Rege Desiderio circumventum animadvertisset, certiorem hac de re Pipinum fecisse, atque ab eo petiisse opem, quæ, utroque fatis defuncto, Sedi Apostolicæ a Carolo Magno lata fuit. Etenim, teste Anastasio, Hadrianus I. a Desiderio alias urbes, Faventiam, Ferrariam, & Comaclum vi sibi ademptas, Raven-

LIBER I.

Anastasius in Hadr. I.

namque obsessam conspiciens, quamvis, ut omnia redderet, novis se sacramentis obstrinxisset, ad Carolum Magnum summa cura scripsit, *ut, sicut suus pater sanctæ memoriæ Pippinus, & ipse succurreret atque subveniret Sanctæ Dei Ecclesiæ, & afflictæ Romanorum seu Exarchatus Ravennatium provinciæ, atque plenarias Beati Petri justitias & ablatas civitates ab eodem Desiderio Rege exigeret*. Sed cum nec precibus, nec promissis Carolus Magnus Desiderii animum flecteret, *ut quas abstulerat, pacifice redderet civitates*,

774. illum armis subegit. Carolus deinde Romam profectus, Pontifici Hadriano urbes Sedi Apostolicæ pridem ereptas palam restituit, eidem Sedi a Pipino donata magnopere amplificans & accurate distinguens *per designationem confinium, sicut in eadem Donatione monstratur*, ut inquit Bibliothecarius, qui Documentum, per Etherium *Capellanum* & *Notarium* ejusdem Caroli conscriptum præ manibus habuit, illudque una cum Ecclesiasticis, ceterisque Principibus, totius Regni nomine signatum, in religionis argumentum super Principis Apostolorum corpus collocavit.

VIII.

Fines regionum, quas Carolus Magnus Ecclesiæ adsignavit.

Urbium, Provinciarumque fines certi atque immutabiles, quæ olim Langobardis ereptæ, tum Ecclesiæ restitutæ fuerunt, paucis ab Anastasio indicantur, qui, cum Diploma injuria temporum interciderit, nisi forte alicubi delitescat, eorum finium memoriam nunquam perituram nobis servavit. Verba ejus hæc

In Hadriano I. pag. 156.

sunt: *A Lunis cum Insula Corsica. Deinde in Suriano. Deinde in Monte Bardone. Inde in Verceto. Deinde in* PARMA. *Deinde in Regio, & exinde in Mantua, atque monte Silicis, simulque* UNIVERSUM *Exarchatum Ravennatium, sicut* ANTIQUITUS *erat, atque provincias Venetiarum & Istriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum & Beneventanum*. Hoc in loco *Surianum*, ab aliis *Sergianum* appellatum, Serezana

Apud Duchesn. tom. 3. pag. 694.

civitas est ad fluvium Macram. Antiquus Auctor Chronici Sancti Vincentii ad Vulturni fontes hujus Ca-

LIBER I.

Carolinæ Donationis meminit, ubi etiam ejusdem compendium adducit. Meminit pariter [a] Leo Ostiensis, qui tamen, ut [b] ab insigni viro Joanne Morino animadvertitur, illam cum Pipini Donatione permiscuit. In supra memoratis Anastasiii verbis de *Æmilia* siletur, quæ a Pipino aperte nominatur, quia in hujus Donatione generalia verba usurpantur: secus vero actum a Carolo Magno, qui certis finibus, locis & civitatibus, quæ limitum loco essent, provincias designavit. Quare *Æmilia* rursus nominanda non erat, quoniam fines per montem Bardonis, Berceti, Parmæque agros, quibus *Æmilia* in illis locis circumscripta a Liguria dividebatur, perducti, eam cum suis urbibus satis notam faciebant. Quinque & eas inter se varias Italiæ divisiones traditum est veterum memoria fuisse celebratas, Augusti, Strabonis, Hadriani, Ptolemæi, & Constantini. Nulla tamen ex his Caroli Magni temporibus obtinuit. Alia tum in usu versata est, cui Ravennas Anonymus, & Paullus Diaconus, alter septimi, alter octavi sæculi scriptores adhæserunt. Uterque in Italia decem & octo provincias statuit, quarum *decima* ÆMILIA ponitur, post quam *undecimo* loco Flaminia, deinde *duodecimo* Picenum collocatur. Hæ tres provinciæ non casu aliquo, sed certa ratione, cum omnes Ravennæ Exarchis subessent, inter se conjunctæ videntur. Breviter quidem Paullus Diaconus, sed, ut solet, verissime hisce verbis ÆMILIAM describit: *Æmilia a Liguria incipiens*, INTER *Apenninas Alpes*, *&* *Padi fluenta versus Ravennam pergit. Hæc locupletibus urbibus decoratur*, PLACENTIA *scilicet*, PARMA*que*, *Regio*, *&* *Bononia*, *Corneliique Foro*, *cujus castrum Imolas appellatur*. Nihil de *Mutina* Paullus, quia, ut opinor, ex Flavii Blondi sententia, jacuit illo tempore æquata solo. Verum, cum de ea in Caroli Magni testamento fiat mentio, rursus arbitror per illud tempus excitatam fuisse. ÆMILIAM, qua vergit ad occasum, flu-

a) *Chron. Casin. lib. 1. cap. 8.*

b) *De temporali Romanæ Ecclesiæ potestate pag. 581. Gallice.*

Geographiæ lib. 4. n. 29. pag. 199.

De Gestis Langobardorum lib. 2. cap. 18.

Dec. 1. lib. 8. pag. 107.

LIBER I. flumen Trebia interfluebat, quod prope Placentiam in Padum influit. Illi ad Orientem Vatrenus erat, ad Septentrionem Padus, ad meridiem Apenninus. Provinciam hanc a Carolo Pontificatui fuisse traditam, probatur satis superque ex LI. LII. & LIV. Carolini Codicis epistolis, quas ad eum scripsit Hadrianus I. conquestus, Leonem Ravennatem Archiepiscopum DIVERSAS *Æmiliæ civitates* sui juris fecisse. Non ait unam aut duas, sed *diversas*: quod frangit conatus Mediolanensis Auctoris, hæc nimis libere effundentis: Carolus Magnus *sibi reservavit Æmiliam*: idque Sigonii sententia tuetur, qui, si hoc sibi e calamo excidere passus est, rem falsam omnino pronunciavit, cum Sigonii unius auctoritas tanti esse non debeat, ut quod octingentis ante ipsum annis evenerit, tacentibus omnibus, tanquam ab oraculo prolatum, ipse nobis credendum proponat. Sed alibi hoc a nobis fuit explicatum. Quare contra Sigonium atque alios, qui in ejus verba religiose jurare parati sunt, apte hoc Cardinalis Baronii effatum aut primum principium produci potest: *Quod a* RECENTIORI *auctore de rebus* ANTIQUIS *sine alicujus* VETUSTIORIS AUCTORITATE *profertur*, CONTEMNITUR. Jam *Parmam* ac *Placentiam* a Pipino Sedi Apostolicæ donatas, intra *Æmiliam* contentas fuisse, a Paullo Diacono percepimus: qui pariter de aliis ejusdem provinciæ locis accurate nos docet, quæ aliquot annis ante Aistulphum Liutprandus Langobardorum Rex occupaverat. Diaconi verba proferamus: *Rex quoque Liutprandus castra* ÆMILIÆ *Foronianum, & Montembellium, Buxeta & Persiceta, Bononiam &c. invasit*. Primus horum locorum, vulgo *Fornuovo*, ad Tarum situs, decem millia passuum a Parma distat. *Buxeta* secus Padum Cremonam versus jacent. *Persiceta* a Mutina novem millia passuum absunt. *Montembellium*, nunc *Monteveccbio* circa Bazanum in agro Mutinensi positum dicunt. Fines *Bardonis* montis, unde *Bardi* opidum ad illius

Animadvers. num. 95. §. Additur.

Defensio I. Dominii pag. 359. 360.

A. D. I. §. XII.

Lib. 6. cap. 49.

LIBER I.

illius radices situm, nomen desumpsit, usque ad Vercetum seu *Bercetum*, ab incolis *Bercè* appellatum, qui locus Tarum, Parmamque amnem interjacet, protendebantur, ubi, ex Paullo Diacono, in Sancti Remigii honorem cœnobium Liutprandus exstruxit. Atque hic animadvertendum est, iter ab Anastasio secundum Caroli Donationem indicatum, idem esse, quod hodie in Apennini transitu ab Ericis Portu Parmam proficiscentes frequentant. Nam a Portu Ericis Serezanam, Serezana ad Villamfrancam, a Villafranca Apuam sive *Pontremulum*, a Pontremulo Bercetum, a Berceto Foronianum, hinc Parmam itur. Ex his omnibus intelligimus quam recte atque distincte a Carolo Magno fines Sancti Petri ditionis constituti fuerint. Verba pariter, quibus Anastasius ad eos describendos est usus, illius Donationis tempore omnium sermonibus trita ac celebrata fuisse constat. Hæc atque alia a Joanne Morino clarissimo viro accurate expenduntur.

Lib.6. cap.58.

IX.

Explicatur Exarchatus Ecclesiæ donatus.

Carolus Magnus Sancto Petro Exarchatum donans, non quidem ut tum erat, cum eum Langobardis ademit, *sed sicut antiquitus erat*, quemadmodum legimus in LIV. Carolini Codicis epistola, & in diplomate apud Bibliothecarium, non solum Regium Lepidi & *Parmam*, urbes nominatim expressas, largitus est, sed totam *Æmiliam*, velut provinciam ad Exarchatum *antiquitus* pertinentem, cujus provinciæ caput PLACENTIA fuit, a Procopio ÆMILIÆ *Princeps* nuncupata. Hoc non solum narratur a recentissimis, minorumque gentium auctoribus, quales, dum antiquissima aguntur, in Mediolanensi scripto adductos miramur, sed a tertio Ravennate Exarcho, & a Romano Patricio, Smaragdi successore: omnemque hac de re dubitationem tollunt binæ litteræ ab eo ad Childebertum II. Francorum Regem scriptæ anno 590. quas primum Marquardus Freherus a consiliis Comitis Palatini ad Rhenum una cum multis aliis

De Bello Goth. lib. 3. cap. 15.

Corpus Francicæ Historiæ vet. pag. 207. 208.

LIBER I.

Histor. Francor. tom. 1. pag. 870.

aliis vulgavit, & deinde Andreas Duchesnius Christianissimi Regis Geographus: quod a me dictum velim, ut cæcutientibus facem admoveam. In Epistola XXXIX. Childebertum tum fœdere contra Langobardos cum Imperatore Mauricio conjunctum Exarchus monet, se Authari eorum Regi Altinum, Mutinam, Mantuam, Parmam, Forum Cornelii, & Placentiam eripuisse: *Non solas, quas superius diximus civitates, sed & alias, idest* PARMA, *Regio, atque* PLACENTIA *cum suis Ducibus atque plurimis Langobardis Deus Sancta* ROMANÆ REIPUBLICÆ *reparavit*, nimirum Exarchatui, qui intra Ducatum seu Romanorum Rempublicam continebatur, quemadmodum ab Anastasio, cujus verba prætereo, non uno in loco docemur: ideoque cum dicebatur *Respublica*, utrumque designabatur. Patet hoc etiam ex epistola decima (a) a Gregorio II. ad Ursum Venetiarum Ducem missa, ut Paullo Exarcho opem ferret, qui Ravenna a Liutprando Langobardorum Rege expugnata, ut narrat (b) Paullus Diaconus, in eas Insulas se receperat. Pontifex enim Ducem orat, ut una cum Exarcho velit *nostra vice*, quod ait, *pariter decertare, ut ad pristinum statum* SANCTÆ REIPUBLICÆ *Ravenna* redeat, utque *in statu* REIPUBLICÆ vivere possit. Sanctus Gregorius Pontifex aliquot ad hunc Exarchum Epistolas mittens, questusque de illo gravissime, eadem *Reipublicæ* voce hoc pacto utitur: *Ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit, ita ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam* REIPUBLICÆ *judices, qui nos malitia sua, rapinis, atque fallaciis in cogitatione consumunt*. Erchempertus in Langobardorum Regum serie, quam Paulli Diaconi additamento præponit, hoc vocabulum adhibet. Adhibet etiam post Exarchos expulsos Anastasius Bibliothecarius sæpissime. Nobis igitur in hanc vocem cogitationem intendisse sufficiat: hæc enim aliud infra comprobandi rationem suppeditabit. Urbes, quas

a) *Concilior. t. 6. pag. 1145 edit. Labbei.*

b) *Lib. 6. cap. 49.*

Lib. 1. Epist 33. al. 32. Lib. 2. Epist. 46. al. 32. Lib. 3. Epist. 28. al. 31. Lib. 5. Epist. 42. al. 35. edit. novæ.

Defensio I. Dominii pag. 340. 342. 345.

quas jam memoravimus, quæque initio ante Langobardorum adventum Exarchatui paruerant, se eidem Exarchatui Romanus Patricius Dei beneficio *recuperavisse* testatur. Id quoque a Paullo Diacono traditum est, qui Alboinum, statim ac in Italiam pervenit, solas provincias Venetiæ terrestris Liguriæque occupasse narrat, non quidem *Æmiliam*, quæ in Exarchatus potestate perseveravit. Eo igitur adducta res est, ut concludamus, *Parmam* & *Placentiam* secundi Exarchi Smaragdi tempore occupatas fuisse a Cleffo successore Alboini, qui primus in Italia Rex Langobardorum fuit, Autharique præcessit, cui postea Romanus Patricius eas civitates abstulit. Italia enim Barbarorum prædæ rapinisque patefacta, postquam Occidentis Imperium cum Augustulo desiit anno 475. Justinianus demum anno 537. Belisarium Patricium, & anno pariter 551. Narsetem ad Italiam liberandam misit. Cum vero Aula Constantinopolitana de Narsetis potentia in suspicionem venisset, is anno 567. dejectus fuit imperio a Justino juniore, qui Longinum, Exarchi idest Vicarii sui nomine, illo missum, honestavit. Quod Narses moleste ferens, anno insequente Alboinum Langobardorum Regem in Italiam vocavit: quam statim magna ex parte devicit. Tum ea loca, in quibus *Exarchus* dominabatur, *Exarchatus* appellata: quem magistratum Ravennæ constitutum septemdecim Exarchi per centum ac nonaginta annos gesserunt: qui postea multas ob caussas a Joanne Garnerio in notis ad Diurnum recensitas, tyranni populorum audierunt. Romanus Exarchus in epistola X. ad Childebertum Regem scripta, illi etiam priore epistola in memoriam revocata, idem his verbis nunciat: *Præcedentibus autem scriptis nostris designasse vobis meminimus, quod dum ad obsidendum* PARMAM *vel Regium atque* PLACENTIÆ *civitates proficisceremur, Duces Langobardorum ibidem constituti in Mantua civitate nobis cum omni festinatione ad subden-*

Lib. 2. cap. 14. 25.

Diurnus Pontificum Romanorum pag. 4.

LIBER I. *subdendum se* SANCTÆ REIPUBLICÆ *suscepimus, filios eorum in obsides accipiens: Ravennam remeantes, in Histriam provinciam contra hostem Grasulfum deliberavimus ambulare*. Verba his significantiora desiderari non possunt: & scriptor, qui ea protulit, gravitate atque auctoritate, quam qui maxime, pollet. Illud silentio transmitto quod Musæo in mentem venit, Parmam insuper Langobardis ereptam fuisse a Callinico, qui quartus Ravennæ Exarchus anno 598. Romano successit. De eodem Grasulfo Fori Julii Duce meminit Paullus Diaconus, cujus historia ex his Romani Patricii epistolis incredibilem lucem mutuari potest.

Comment. pag. 3.

X.

Rursus Exarchatus explicatur.

Cum hæc igitur certissimo sint Romani Exarchi testimonio comprobata, nullus dubitandi locus relinquitur, quin *Parma & Placentia* intra Exarchatum, *sicut antiquitus erat*, comprehenderentur: qui jam, ut antea dictum est, in amplissimam formam a Carolo Magno *Beato Petro & ejus Vicario Sanctissimo Hadriano Papæ* suffragiis omnium fuit traditus atque consensu: quem actum pariter signavere Episcopi, Abbates, Duces, *Grafiones*, idest Comites, ceterique minores Principes, qui una conjuncti publicam Regni majestatem referebant. Propterea hoc ab insigni [a] memoriæ nostræ auctore *observatu dignum* jure optimo reputatur. Hinc [b] Monachus Trium fontium Albericus egregie explicavit quid in Donatione Carolina sibi vellent ea verba, quibus Carolus ait, se Ecclesiæ donare Exarchatum, *sicut antiquitus erat, quicquid* nimirum *per* LONGA TEMPORA *Langobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit*. Tum enim *Parma, Placentia*, Regium Lepidi & Mutina jampridem in Langobardorum potestate fuerant, ut duplex Regum Ildprandi & Ratchisii diploma a Petro Maria Campo vulgatum, de Placentia id declarat, deque Parma alterum quoque Ratchisii, quod Bonaventura Angelus indicavit. Has pariter urbes spectabat

a) *Mabill. Annalium Benedict. tom. 2. pag. 226.*

b) *Chron. pag. 111.*

Histor. Placentiæ Italice scripta tom. 1. pag. 453.

Hist. Parmæ lib. 1. pag. 55 Italice.

bat Aistulphus, cum apud Bibliothecarium Stephano II. significavit, se nullum haberi velle sermonem de restituendo *Ravennatium civitatem & Exarchatum ei pertinentem*, nullumque pronunciari verbum *de reliquis* REIPUBLICÆ *locis, quæ ipse vel ejus prædecessores Langobardorum Reges invaserant*. Binæ illæ Exarchi litteræ strictiore oratione comprehensæ ab Hadriano Valesio in medium producuntur. Has si Flavius Blondus consuluisset, ab errore, in quem necessariis cognitionibus parum instructus incidit, sibi cavere potuisset. Ille enim de Parma ac Regio Lepidi hæc scribit: *Licet Exarchatus essent*, SEMPER *antea in Langobardorum duraverant potestate*. Neque ab ejusdem Blondi sententia Umbertus Locatus & Bonaventura Angelus decepti fuissent, qui, nimia Blondo fide habita, eamdem nobis crambem recoctam apposuerunt. Verum si Blondus, Locatus & Angelus ad vanam hanc opinionem adhæserunt, venia illi quidem digni existimandi sunt, dum primus ante typographiam inventam scripsit, alii vero priusquam Romani Exarchi litteræ in lucem prodiissent: etsi omnes si ad Paulli Diaconi lectionem animum appulissent, sua se facile opinione falsos intelligere poterant. Sed hoc profecto omni excusatione plane indignum judicatur, in tanta luce litterarum auctorem Mediolanensem ad eosdem scopulos, Hordeo duce, turpiter impegisse, cum eæ epistolæ semel atque iterum vulgatæ per manus hominum volitent, cumque Hadrianus Valesius perstrictas suis historiis inseruerit. Multo minus insuper illud alterum miti animo ferendum videtur, dum intemperanti opinionum suarum amori obsequens eo temeritatis pervenit, ut sua omnia, tamquam plane firma invictaque, universæ antiquitati præferre non dubitet, & sola sua auctoritate Apostolicam Sedem patrimoniis spoliandam esse decernat, quasi nunquam aut contra jus fasque illis donata fuerit. Porro animi pendet, Comite Luschio in te-

Rer. Francic. lib. 15. pag. 408.

De Origine Placentiæ pag. 29. edit. latinæ 1564. lib. 1. pag. 27.

Animadvers. num. 92. §. Additur. —Num. 96. §. Licet.

LIBER I

stem adducto, an *Parma* & *Placentia* Exarchatu re ipsa continerentur, aitque, potius fuisse descriptas, *tamquam confinia extrinseca, quam tamquam membra Exarchatus*. Postea sic fatur: *Per ducentum fere annos, quibus duravit illud Regnum* (Langobardorum), *eisdem semper paruerunt Placentia & Parma*: quod an veritati consonum sit, jam satis ostendimus. Atqui Luschius, quamvis & recentior & infimo scriptorum ordini adscribendus, ab adversariorum sententia tantopere abhorret, ut contra omnino definiat, ubi de Atestinis loquitur his verbis, quæ nos latine reddidimus: *Mutina & Regium Lepidi erant urbes Exarchatus Ravennæ, & quod consequens est*, UT *Parma & Placentia*, BENEFICIUM *Ecclesiæ*. At vero *externi Exarchatus* fines in illis locis Septentrionem spectantibus, Parma ac Placentia urbibus minime claudebantur, ut Scriptor Mediolanensis parum scite arbitratur; sed ipsis *Æmiliæ* limitibus seu Pado flumine, ubi eosdem circumscriptos fuisse constat, si quidem Carolo Magno potius, quam novis vulgaribusque auctoribus fides habenda sit. Sed hac de re infra iterum agemus. Hic observandum, metropoliticam Ecclesiæ Ravennatis auctoritatem pari jure ac civilem processisse. nam Gelasius II. in quodam diplomate, quod ad annum 1119. Hieronymus Rubeus vulgavit, Gualterio Archiepiscopo omnem dignitatem, quam ejus Ecclesia antequam a Romana deficeret, obtinebat, in integrum restituit. Hæc autem metropolitico in Æmiliæ Episcopatus jure constabat: *Episcopatus Æmiliæ provinciæ, idest Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Hadriæ, Comacli, Imolæ, Faventiæ, Forlivii, Foripompilii, Bobii, Cæsenæ, Ficocli*: quæ urbes cum intra Exarchatum continerentur, summo Sedis Apostolicæ imperio suberant, quemadmodum & Bobium, quamvis Cottiis Alpibus impositum, & Placentia vicesimo lapide distans. Hac de re in I. & IV. Carolini Codicis epistola dubitare Hadrianus I. nos minime

Animadvers. num. 92. §. Additur.

Ibidem §. Licet.

Compendio historica edit. 4 pag. 424. Italice.

Histor. Ravennat. lib. 5. pag. 322 edit. 2.

finit

LIBER I.

finit, in quarum prima legitur: *Bobio seu Tribunatu decimo*: ex quibus verbis percipitur, Ecclesiæ Romanæ regiones tum in *Tribunatus* divisas: more Ravennæ urbis, Exarchatus principis, a *Tribunis* item rectas. Ravennates enim in maximas, ut in vita Hadriani I. narrat Anastasius, angustias a Desiderio Rege conjecti, postquam hic Faventiam, Ferrariam & Comaclum sibi usurpasset, Julianum, Petrum, & Vitalianum urbis *Tribunos* ad auxilium a Pontifice implorandum Romam miserunt. Anno 1125. ipsismet Gelasii verbis proxime adductis jus idem Gualterio Honorius II. ratum faciens, hæc prodit: *Præterea confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romanæ Ecclesiæ* JURIS EST. Ergo illæ urbes in utramque Archiepiscopi potestatem venerunt, Pontifice, tanquam supremo Domino ac certissimo Divi Petri, qui eas dono habuerat, successore, id concedente.

Ital.Sac. tom.2. pag.366. edit.I.

XI.

Exarchatus uberius explicatur.

Quæ hactenus dicta sunt, nullo adversariorum conatu infringenda, Caroli Magni tabulis validius fulciuntur, quibus regna sua inter Carolum, Pipinum, & Ludovicum, ex se & Hildegarde uxore natos, divisit. Hæ tabulæ, quas Sanctus [a] Ado Archiepiscopus Viennensis, & [b] Auctores Annalium Bertinianorum atque Metensium *Testamentum* appellant, anno 806. conscriptæ fuerunt, Regni Principum firmatæ consensu, Romamquæ allatæ ab Eginhardo, iisdem Bertinianis Annalibus testantibus, ut Leonis III. Pontificis auctoritate comprobarentur, præstantissimi Imperatoris summa erga Christi Vicarium observantia id postulante. Carolus igitur in suo *Testamento* de iis locutus, quæ Pipino, Caroloque juniori adsignavit, jubet hujus ditionem ab ingressu in Italiam per fines Augustæ Prætoriæ, Eporediæ, Vercellarum, Ticinique protendi: ea vero parte, quæ vergit ad Septentrionem, & secus Padum porrigitur, ad Regii Lepidi fines, ipsamque urbem descendere: inde usque ad Civitatem Novam & Mutinam perveni-

a) *Chron. Ætate VI. tom. 16. Biblioth. PP. pag. 807. edit. Lugd.*

b) *Apud Duchesn. tom. 3. pag. 167. 292.*



LIBER I.

nire, tandemque ad occasum *usque ad terminos Sancti Petri*: hoc pacto sanciens, flumine Pado, Regiensi agro ac Mutinensi Caroli filii ditionem trans Padum circumscribi. Hic obiter animadvertam, ad hunc Carolum juniorem Biblia celeberrima, quæ Romæ in Divi Paulli servantur, esse referenda. Præstat ipsius Caroli Magni verba proferre, in quibus tamen legendis Joannis Morini admonitione opus est de finibus Carolinæ Donationis ab Anastasio descriptis. Morinus enim tradit, cum fines per has & illas urbes duci dicuntur, eosdem fines mathematicorum more ipsas medias urbes secare non esse intelligendum, sed per earum extremos agros duci. Ita igitur Carolus Magnus sancit: *Et hæc divisio tali modo fiat, ut ab ingressu Italiæ per Augustam civitatem, accipiat Carolus Eborejam, Vercellas, Papiam*. Mox subjicit, per loca Septentrionem spectantia reliquos fines excurrere: inde per *Padum fluvium* TERMINO CURRENTE, deinde paullum se se extendere, & *usque ad fines Regiensium & ipsum Regium, & Civitatem novam atque Mutinam*, pertinentes ad Æmiliam urbes, pervenire: tandemque ad occasum *usque ad terminos Sancti Petri* debere proferri. Caroli igitur Donatio ejus Testamento mirifice illustratur, ubi locis ad Septentrionem positis & trans Padum Carolo filio adsignatis Padus ipse pro finibus statuitur: *per Padum fluvium* TERMINO CURRENTE. Deinde fines Regiensis ac Mutinensis agri decernuntur, ac demum ad occasum pontificii imperii cis Padum jacentis limites *usque ad terminos Sancti Petri*: quibus limitibus cum *Parma* & *Placentia* includerentur, pro certo habendum, iis temporibus urbes illas supremæ Ecclesiæ Romanæ ditioni adjectas fuisse. De *Civitate nova*, quam Carolus Magnus memorat, in diplomate Aistulphi Regis Sancto Anselmo Nonantulæ Abbati mentio pariter occurrit. Ceterum constat, divisionem hanc minime impletam ob caussas nobis ignotas,

De temporali Romanæ Ecclesiæ potestate pag. 611. Gallice.

Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti sæculo IV. par. I. pag. 10.

LIBER I.

tas, quarum una fortasse mors Pipini, Carolique junioris ante Caroli Magni obitum censenda est. Cur vero Summi Pontificis consensum & comprobationem Carolus hac in re flagitaverit, in caussa fuit, quod in iisdem tabulis regiones ad Sedem Apostolicam spectantes attingerentur: quæ undecim post annis, ut infra dicetur, amplissima Constitutione, anno scilicet 817. signata, a Ludovico Pio Beato Petro Principi Apostolorum restitutæ fuerunt. Carolinum hoc *Testamentum* variis in libris exstat, maxime vero in Constitutionibus Imperialibus, quas collegit Melchior Goldastus, pontificiæ potestatis, nostræque Fidei hostis acerrimus: quod ad hoc ipsum *Testamentum*, si opus esset, firmius roborandum, magnopere sane valeret. Hinc Joannes Morinus, vir clarissimus, externus, & antiquitatis sagacissimus judex, qui hanc spartam accuratissime ornavit, in historia, quam de summa Romanæ Ecclesiæ in suas provincias potestate Gallice scripsit, finibus Carolinæ Donationis egregie explicatis, jure optimo rem clausit his verbis per nos latine redditis: MAGNA PARTE *Exarchatus, qui olim Ecclesiæ donatus fuit, Duces Parmæ Mutinæque potiuntur*. Quamobrem si Auctor Mediolanensis *Parmam* ac *Placentiam* Sedi Apostolicæ a Pipino & Carolo Magno non adsignatas ostendere voluisset, non solum erat illi demonstrandum, eas nunquam *Exarchatu* fuisse comprehensas, sed præterea nunquam *in Æmilia* stetisse. Idque non recentiorum, imperitissimorumque hominum auctoritate, nec legulejorum de trivio testimoniis præstandum fuerat, ut fidem sibi omnium conciliaret: sed hoc gravissimorum virorum sententiis & veterum monumentis comprobare debuit, quo cautius insignis Annalium Ecclesiasticorum parentis, cujus supra meminimus, censuram declinaret.

Constitut. Imperial. to. 1. pag. 145.

Pag. 616.

XII.
Ecclesia sibi donatas regiones statim possedit.

Sedem Apostolicam statim post editas tam luculentas Donationis tabulas, urbes, regionesque sibi publi-

LIBER I. blice concessas, tum vectigalibus exigendis, tum in easdem dominatu exercendo, omninò possedisse, quemadmodum per Fulradum antea possederat, multa declarant, ac potissimum epistolæ LI. & LVII. Carolini Codicis, quarum prior ab Hadriano I. scripta fuit ad Carolum Magnum quo tempore nuncii exspectabantur, qui *nobis* OMNIA, ut ait, *secundum vestram provisionem* CONTRADERE *debent*. Id ipsum ostendit alia Leonis III. quæ desinit precando Deum, *ut oblatio, quam dulcissimus genitor vester Domnus Pippinus Rex Beato Petro Apostolo* OBTULIT, *& vos* CONFIRMASTIS, *ipse claviger Regni cælestis ante conspectum Dei cum ipsa* DONATIONE *vobis præsentetur, quatenus gaudia æterna percipere mereatis*. Idem Leo in Epistola XII. queritur de locis in donatione usurpatis, *quam*, inquit, *vestri dulcissimi parentes, & vos ipsi Beato Petro Apostolo* OBTULISTIS. Exstat speciatim de Placentia testimonium certum atque evidens in diplomate, quod anno 808. Carolus Magnus concessit Juliano illius urbis Episcopo, cui auctoritate, qua, tanquam Romanæ Ecclesiæ *Advocatus* pollebat, jus quoddam in Apennino impertitur, a nullo ministro Sedis Apostolicæ, ad quam Placentia pertinebat, imperium amplius ibi exercendum esse declarans: *itaut deinceps nullus Dux, gastaldius vel actionarius, nec quilibet* EX MINISTRIS REIPUBLICÆ *de jam dicta judiciaria aliquid sumere vel de ipso teloneo contingere audeat*. Jam ex epistolis Romani Ravennatis Exarchi, Gregorii Magni, Gregorii II. Anastasio & Erchemperto satis perceptum est, *Reipublicæ* nomine Ducatum Romanum & Exarchatum significari. Quare ubi primum uterque Romanæ Ecclesiæ potestati traditus est, illi iidem Sedis Apostolicæ ministri, cui Placentia parebat, *ministri Reipublicæ* vocari debuerunt. Quod dicendi genus cum a Petro Maria Campo, qui illud diploma in Ecclesiastica Placentiæ Historia vulgavit, minus intelligeretur, incaute scripsit, Placentiam fuisse

Concil. tom. 7. pag. 1114.

Defensio I. pag. 361. 362. 363. 364.

Defensio II. pag. 40. 41.

Campus Histor. Placen. to. 1. pag. 202. 455. Ital.

Defensio I. pag. 353. 354.

LIBER I.

ſe *Rempublicam*. Eadem locutione Carolus Magnus uſus eſt in diplomate pro monaſterio Sancti Vincentii ad Vulturnum: nam hæc quoque regio Apoſtolicæ Sedi dono ceſſerat, ut ejus nullus miniſter, *nullus Reipublicæ exactor* vectigalibus cœnobium illud premere auderet. Id præterea ſit evidentius diplomate, quod anno 872. Eccleſiæ Placentinæ ſcripſit Ludovicus II. ubi de quibuſdam nundinis cautum fuit, ne quid Romanis miniſtris detrimenti afferretur: *ita ſane*, inquit Ludovicus, *ut neque in veniendo, neque in redeundo ullam reddibitionem, neque aliqua vectigalia a quolibet* REIPUBLICÆ MINISTRO *exigere præſumat*. Hæc ipſa litteris a Stephano VI. Pontifice Bernardo Placentiæ Epiſcopo anno 891. datis ſtatuuntur, ubi quicquid Pontifices ac Imperatores conceſſerant, Stephanus ratum illi propriumque facit, *itaut nullius impulſu, nulliuſque infauſta audacia, nullius etiam favore vel gratia quilibet tyrannus, Comes, Judex, vel quilibet* (hoc modo aliorum diplomatum ductu legendum eſt, non vero *cujuslibet*) REIPUBLICÆ *exactor contra jus ſibi antiquitus traditum & hactenus conſervatum eam* (hoc eſt Placentiæ Eccleſiam) *moleſtare præſumat. aut præjudicium inferat vel ſine* NOSTRO CONSULTU *quoquo modo deboneſtare pertentet*: qui omnes dicendi modi ad ſummum imperium pertinent. Cardinalis Bembus a Secretis Leonis X. in litteris, quas *Brevia* dicunt, ad civitatis Parmenſis magiſtratum miſſis, quæ civitas tum ad Apoſtolicam Sedem redierat, eodem dicendi genere utitur: *Optimum veſtrum in nos, alacremque animum* (Pontifex loquitur) *quem quidem mibi Benedictus Rubeus veſtro nomine detulit, libenter agnoſco: & quoniam diligentiam adhibui, ut ſub* REIPUBLICÆ *imperium rediretis, redeuntes nunc vos paterno amore, caritateque amplector atque recipio*. In aliis litteris ad Parmenſem Rectorem, imperat, ut ad Soraneæ Marchionatum recipiendum ejus beneficiarii ipſi præſto ſint: *mando inſuper omnibus iis, qui dono ali-*

Duchesn. tom. 3 pag. 671

Campus tom. 2. pag. 460.

Ibidem pag. 473.

Epiſt. Leonis X. nomine ſcriptæ lib. 2. epiſt. 34.

Lib. 7. epiſt. 24.

D *quid*

LIBER I.

quid a REPUBLICA *obtinent, idem ut faciant*. Ex his apparet vocem illam, non a barbara, sed ab antiqua latinitate profectam, in diplomatibus ac ultimorum temporum, scriptoribus remansisse. Quamquam igitur secundum jus naturæ & gentium (a) ex Grotii ac (b) Pufendorfii sententia, *translatio* imperii traditione non egeat, quæ in jure civili *positivo* requiritur, quia tum vera existimatur traditio, quando jam *apud illum* (idest possessorem) *scriptum donationis habetur*, cum sit *traditio* modus, non *titulus*, propter quem imperium transfertur; hoc nihilominus in loco palam fit, in urbibus & provinciis Exarchatus hanc traditionem Sedis Apostolicæ caussæ juribusque accessisse.

a) *Grotius de jure belli & pacis lib.2. cap.6. §.1. —Cap.8. §.25.& in notis.*

b) *Pufendorfius de jure naturæ & gentium lib.4. cap.4. §.5.*

XIII.
Parma & Placentia in Exarchatu positæ.

Quoniam ergo ex incorruptæ fidei documentis, ex æqualibus proximisque auctoribus, rebusque ipsis satis superque comprobatum est, Carolum Magnum post Donationes Pipini patris, Sedi Apostolicæ pariter tradidisse non tantum *Æmiliam*, verum etiam UNIVERSUM EXARCHATUM, *sicut antiquitus erat* antequam a Langobardis usurpatus aut diminutus fuisset, patet quoque Carolum omne illud, quod intra Exarchatum, antequam Donationem edidisset, continebatur, eidem Sedi adsignavisse, ideoque non solum *Parmam* ac *Placentiam*, sed Mutinam & Regium Lepidi. Quare optimo jure in Carolini Codicis epistola LIV. Hadrianus I. hæc scripsit: *A nobis* CUNCTUS *Exarchatus disponatur*. Hinc Julius II. Summus Pontifex justissima de caussa declaravit, se illarum urbium deditionem recipere, quæ aliquandiu in aliena potestate fuerant, tanquam membra, Exarchatum rursus Langobardis ereptum atque Ecclesiæ restitutum, constituentia. Hinc pariter Julii II. successores Pontifices tam firmo ac vero fundamento innixi, urbes illas semper in sua ditione continuerunt, quamvis Mutina ac Regio Lepidi postmodum spoliati denuo fuerint. Quamobrem hoc loco possem sermoni finem imponere, quoniam in omnibus judicijs, in quibus æquitas dominatur,

tur, ad summum Pontificis in illas civitates imperium evincendum unum hoc maxime sufficeret; idque eo magis cum videamus, rem ipsam omni controversia ac dubitatione exclusa, a Caroli Magni temporibus usque ad Fridericum III. nimirum ab anno 774. ad 1475. patefieri, atque singulos Imperatores, quos in Comaclensibus scriptis memoravimus, juravisse, Ecclesiam se defensuros, ut in possessione maneret *universi Exarchatus* eodem rerum statu, quo tum fuit, cum illum Carolus Magnus Ecclesiæ tradidit; utque jus omne & loca, antiquorum memoria ad eundem Exarchatum pertinentia obtineret sive hæc nominatim expressa fuerint sive secus, quomodo videlicet in quinta Constitutione, omnium sermonibus usurpata, Imperator Rudolphus I. tum suo, tum successorum suorum nomine decrevit: quæ omnia totus Electorum cœtus conjunctim, singulique ipsorum separatim amplissime comprobarunt. Itaque confessione ac *jurejurando*, ultro ab ipsis Imperatoribus palam dicto fit apertissimum, *Parmam* ac *Placentiam* sub Ecclesiæ potestate esse continendas, neminemque hac super re depromere argumenta posse, unde firmissima jura Pontificis infringantur, dum hæc justissima illis etiam temporibus existimata fuerunt, quibus Tyranni per impotentiam, rerum motibus, quos schismata, variæ factiones, Pseudo-pontifices, vacuæ Sedes, violenterque intrusi Imperatores excitaverant, abutentes, eas civitates usurparunt. Enim vero his unis, quæ hactenus probationibus nostris firmata sunt, tanta vis inesse videtur, ut ad sanam mentem eos adducere possint, qui sibi persuadent, *plena historiarum fide* pro certo habendum, eas urbes a remotissimis usque temporibus, quibus Coloniæ deductæ fuerunt, in Imperatorum dominatione perseverasse, ac nunquam Exarchatu comprehensas, Sedi Apostolicæ fuisse subjectas. Nihilominus, ut appareat, sæculis omnibus post Carolum Magnum Sedem Apostolicam, primigenio suo jure munitam, in eas-

Commentatio Muratori pag. 264.

easdem civitates liberum imperium identidem exercuisse illis ipsis etiam temporibus, quibus adversarii jura sua falso jactata constituunt, optimum fore censeo documenta publica imperatoriis decretis roborata; deinceps exponere, ut qui in hunc librum oculos sint injecturi, illi tum de Sedis Apostolicæ in eas urbes juribus tuto judicare possint, tum etiam fraudes, pravasque sciolorum artes deprehendere, qui eadem jura labefactare conantur.

XIV.
Prima Occidentalis Imperii origo.

Animadverf. num. 9. §. Ultra.

Defensio I. pag. 356.

Auctor scripti Mediolanensis nova semper confingere satagens, omnem lapidem movet, ut Imperatorem, tanquam totius Mundi Dominum, *Parmæ* etiam ac *Placentiæ*, universæque Italiæ Regem proponat. Hæc enim ab eo appellatur *hereditas Imperatoris propter universalissimum titulum in toto Orbe & specialissimum in tota Italia, qui Cæsari assistit: ex quo descendit præsumptio etiam pro Statu Parmæ ac Placentiæ*. Ita quidem ille. Quamquam hac de re supra nonnulla diximus, nunc tamen ut clariore in lumine veritas collocetur, considerandum est, an id auctori tam facile concedi debeat, quemadmodum ille ex vulgari de veteri illo Romano Imperio opinione locutus, sibi concedendum facillime putat. Hoc ut probe excutiatur, tantisper in Caroli Magni Imperio, a quo nostrum Occidentale deducitur, immorandum existimo. Hic aliis majorem auctoritatem, pluraque jura, quam quæ in se ipse habuerat, neutiquam tradere potuit: quod a me demonstrabitur uno studio veritatis inquirendæ, quam non temere excogitatis sententiis, sed antiquorum scriptorum ductu & auctoritate me expressurum confido. Carolus igitur quo tempore *Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum* dicebatur, anno 800. quartum Romam profectus est, ubi Romanos cum Leone III. in gratiam redire jussit: cumque Christi Natali die versaretur in Vaticana Basilica, in quam populus frequens convenerat, Pontifex, non *Senatus populique Ro-*

Romani voluntate, ut in Observationibus Mutinensibus falso profertur, sed sponte sua *manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum*, ut ait Anastasius: qui pariter nobis servavit verba ipsa a Romanis tunc pronunciata, cum & repente a Pontifice gesta Carolique animum erga Apostolicam Sedem mirum in modum propensum viderunt: *Tunc enim*, ut ille habet, *universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam & ejus Vicarium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu atque Beati Petri clavigeri Regni cœlorum, exclamaverunt: Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria*. Idem Anastasius testatur, post coronam a Pontifice Carolo impositam ter fuisse ejusmodi voces a Romanis repetitas, ac deinde Carolum una cum Pipino filio sacra unctione illitum, Regem Italiæ seu Langobardorum fuisse declaratum. In Annalibus Tilianis, Loiselianis, Bertinianis, Metensibus ac Fuldensibus uno consensu legimus, ante Sancti Petri confessionem, *cum Rex ab oratione surgeret*, Leonem III. Caroli caput corona cinxisse. Hoc memorat Anonymus auctor Chronici Reicherspergensis, quod centum abhinc annis Christophorus Gewoldus Ducis Bavariæ Consiliarius in lucem protulit: idemque affirmant Monachus Engolismensis, Ado, Regino & hisce versibus Poeta Saxonicus

Defensio II. pag. 39.

Anastas. in Leone III.

Duchesn. tom. 2. pag. 19. 41. 80. 139. —Tom. 3 pag. 154. 289.

Chron. Reichersper. pag. 112.

De Gestis Caroli Magni lib. 4.

Hic cum Missarum sacro solemnia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus, mundo venerandum continet omni
Petri, cui claves Christus dedit ipse polorum:
Ejus & ante sacros artus quum mente fideli
Effusis precibus se se Rex inde levaret,
Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.

Quamobrem nullus amplius dubitandi locus relinquitur,

LIBER I.

tur, quin Carolo, quid simile nunquam expectanti, ultro Leo honorem tantum habuerit. Hinc Urspergensis Abbas, Albertus Krantzius, Joannes Aventinus & Joannes Cuspinianus, Germani omnes, horumque aliquis a Pontificatu alienus, cum æqualium auctorum perspicuam certamque sententiam intellexissent, coronam atque Imperatorium nomen Carolo *nihil minus speranti* Leonem dedisse, uno ore affirmaverunt. Immo ex Waltramo omnium antiquissimo, ejusdemque patriæ animique, in Apologia pro Henrico IV. contra Sanctum Pontificem Gregorium VII. apud Goldastum Calvini asseclam, Carolus Magnus ad tale nomen suscipiendum *invitus est adductus*; Joannesque Calvinus Hæresiarcha fatetur Carolum Magnum Pontifici plurimum debuisse, *quod ejus medio ad honorem Imperii pervenerat*, adeo ut, nisi Leo III. id egisset, hoc tempore nec nomen fortasse Imperii Occidentalis superesset. Eginhardus omni laude major historicus, quippe qui Carolo familiarissime uteretur, hæc habet: *Imperatoris Augusti nomen accepit, quod primo in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non introiturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset*; non quod Carolus gloriosissimum Ecclesiæ Romanæ *Defensoris Advocati*que munus respueret, quod in titulo Imperatoris includebatur; sed quod idem novus titulus a Leone illi collatus maxima invidia apud Orientales laboraret, ut exitus comprobavit. Ceterum Carolus, omnium Occidentis Principum maximus, splendidoque Sedis Apostolicæ *Defensoris* & *Advocati* elogio ob *Patricii* dignitatem conspicuus, quo tanquam titulorum omnium complemento in publicis tabulis utens, summopere gloriabatur, verba ex Eginhardo supra recitata jure pronunciavit; siquidem *Augusti* nomen novas provincias, novamque in eas, quibus potiebatur, auctoritatem non dedit, sed Græcorum odium, ut patebit infra, in eumdem conflavit.

Replicatio in Gretserum par. 2. pag. 55.

Institut. lib. 4. cap. 7. n. 16.

In Vita apud Duchesn. to. 2. pag. 103.

Defensio I. pag. 342. 343.

Illud

LIBER I.

XV.

Leo III. ſponte ſua Carolum Magnum Imperatorem, Græcis id ægre ferentibus, declarat.

Illud igitur a propria atque improviſa unius Pontificis deliberatione, nec aliunde, profectum eſt, ſi antiquis potius Hiſtoricis, quam recentioribus quibuſdam hominibus fidem habere velimus. An vero id egerit Pontifex grati animi cauſſa propter beneficia a Carolo Magno in ſe collata, ut (a) Theophanes & (b) Conſtantinus Manaſſes poſteris tradiderunt: ſeu quod Pontifex Sedis Apoſtolicæ *Defenſorem* minus decere putaret, ut ſolo *Regis* nomine vocaretur: aut quod per eum honorem exiſtimaret, ſe Carolo aditum ad nuptias patefacturum cum Irene Conſtantinopolis Imperatrice, orbata Leone Conſtantini Copronymi filio: quas nuptias, ut quidam crediderunt, ipſe Carolus appetebat; id quidem parvi refert, cum hæc omnia ſint divinationes ſcriptorum, quos poſt eventum vixiſſe conſtat. Æquales enim ac veteres auctores nudam rem ac ſimplicem, talemque omnino, qualis a nobis expoſita eſt, non vero ſecus, poſteritati ſummo conſenſu commendarunt. Hinc fraudes ac mendacia ab Romanæ Eccleſiæ hoſtibus excogitata non modo deteguntur, verum etiam diſſipantur, negantibus, ipſam ſponte ſua, proprioque arbitrio per Summum Ponticem Leonem III. Imperii dignitatem in Carolo Magno inſtituiſſe. A Carolo eadem dignitas, ſi tamen illam Imperatores ſuſtinere jure voluerunt, manu Pontificum ad ſucceſſores deinde traducta. Ea de re ubi nuncii Conſtantinopolim pervenerunt, Græcos in Occidente pedem amplius ponendi ſpes omnis deſeruit: adeo vero iniquo animo Leonis III. deliberationem tulerunt, ut quaſi facinus ulturi, impia quædam pravis artibus meditari cœperint, Sancto Patriarchæ Nicephoro, ne Pontifici epiſtolas Synodales conſcriberet, interdicentes. Carolus tamen rixas omnes de medio tollendi cupidus, cum Irenes Leonem Spatharium ad eum miſiſſet, ut pacem conſtitueret, is quoque ad Irenem proficiſci juſſit legatos, Jeſſem Ambianenſem Epiſcopum, & Elingaudum Comitem, qui

a) *Chronograph. pag.* 339. *edit. regiæ*.

b) *Breviarium hiſtoricum pag.* 92.

Duchesn. tom. 3. *pag.* 165.

LIBER I.

a) *Chronograph pag.* 401. 402.

b) *Compendium Hist. to.* 2. *pag.* 474.

c) *Annal. lib.* 15. §. 13.

d) *Lib.* 23. *pag.* 251. *edit. Canisii.*

qui eam suo nomine in uxorem deposcerent. (a) Theophanes refert, non solum Carolum, verum etiam Leonem III. suos eo misisse legatos, ut per illud matrimonium *Oriens cum Occidente uniretur*, quemadmodum arbitratur (b) Cedrenus, cum quo Theophanes omnino consentit. Hic vero cum (c) Zonara & (d) Landulpho Sagaci, qui Miscellam Paulli Diaconi Historiam est prosecutus, nos monet, illud matrimonium ob Eunuchi Aetii Patricii auctoritatem exitu caruisse. Is enim Leonem germanum suum Thraciæ Prætorem ad Imperium evehere studebat: quod tamen secus accidit. Patricii enim illius administrationem perosi, in Irenem conjurantes, Nicephoro ad Imperium elato, illam in monasterium conjecerunt. Quare legatis ad Carolum redituris tres pariter Nicephorus addidit, Michaelem Episcopum, Petrum Abbatem, & Callistum Candidatum, qui cum eo pacem statuerent ac renovarent. Hæc, ut alios auctores omittam, testantur Laureshamensium & Metensium Annalium Scriptores, a quibus traditum est, legatos Salisburgi a Carolo exceptos, *pactum faciendæ pacis in Christo suscepisse*. De hac legatione a Nicephoro anno primo Imperii sui missa, in epistola CXI. Alcuini litteris inserta idem Carolus meminit, quam ad Nicephorum anno 810. scripsit.

XVI.

Græcorum, Carolique Magni Legationes.

Duchesn. tom. 1. *pag.* 256.

800.

Non tamen ideo contra Carolum odia Græcorum extincta sunt; immo eidem *Imperatoris* nomen denegarunt, donec Carolus viam concordiæ patefecit: quod contigit anno 810. cum Nicephorus ad Pipinum Italiæ seu Langobardorum Regem Arsacium Spatharium, Venetorum nomine misisset, qui nonnullis a Venetia exsulibus instigantibus, quasdam insulas, ferme omnes litoribus adjacentes, eo anno Venetis eripuerat. Pipino pridem demortuo, Arsacius Aquisgranum contendit, ubi de pace cum Venetis egit, Carolo Magno promittente; se insulas a Pipino filio occupatas, Heracleam, Equilium & Metamaucum illis restituturum:

turum: quod tamen nisi biennio serius confectum non est. Siquidem Arsacius fiduciariis litteris Pipino, non vero Carolo Magno reddendis instructus, Constantinopolim properare coactus fuit, rem cum suis communicaturus, ut nova mandata referret, ubi tamen Nicephoro e vivis sublato, in biennium consultationes abierunt. Eginhardus una cum Laureshamensium, Fuldensium, Metensium, Bertinianorumque Annalium auctoribus Carolum Magnum *Nicephoro Venetiam reddidisse* testatur, quod idem est ac si traderet, a Nicephoro, pacis auctore inter Carolum Magnum & Venetos, Arsacii Spatharii opera Carolum ipsum adductum, ut insulas per Pipinum filium ablatas, Venetis restitueret. Perperam enim aliqui rerum minus periti vocem *Venetiam* ipsam Venetorum urbem significare censuerunt: quæ tamen olim hoc nomine caruit, *Rivoaltus* vulgo dicta: quod nomen uni ex urbis regionibus adhæsit. Hanc vero urbem nemo unquam occupavit: nec Pipinus universam *Venetiam* maritimam, sive omnes insulas in suam potestatem redegit, sed quasdam solum: eaque Respublica summo jure, imperioque suo semper usa est, quemadmodum Gregorii II. epistola supra nos docuit: qui quidem Pontifex Ducem Ursum ad Paullum Exarchum Ravennatem pristino honori reddendum minime fuisset hortatus, si eadem Respublica sub Græcorum imperio fuisset: idque illa non Pontificis postulatione, sed sua sponte ex officio præstitisset, Pontificis hortationes nihil prorsus exspectans. Arsacius Constantinopolim rediens tres Caroli Magni Legatos secum ad Nicephorum duxit, Aitonem Basileæ Episcopum, Hugonem Comitem Turonensem & Aionem Forojuliensem, qui Nicephoro Caroli epistolam paullo ante memoratam, & Alcuini scriptis insertam, attulerunt. Utque Carolus sibi illum impensius obstringeret, *fratris* nomine honestavit, hujusmodi ratione Orientalium invidiam superans, quos *propter susceptum Imperatoris nomen*, ut ait Egi-

Vita apud Duchesn. to. 2. pag. 103.

E

LIBER I. Eginhardus, *quasi qui Imperium eis præripere vellet*, invitus offenderat. Quibus nihil aliud ostendere in animo habet Eginhardus, quam de *Augusti* nomine Græcos injuste fuisse conquestos, dum illud, honoris caussa usurpatum, nunquam in Caroli mentem cogitationem induxit, ut novæ dignitatis appellatione ad aliena appetenda abuteretur. Hæc præterea apud Eginhardum leguntur: *Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum invidiam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes & in epistolis* FRATRES *eos appellando*.

XVII.

Inter Græcos, Carolum Magnum, Venetos & Pontificem, tanquam summum Romæ, Exarchatusque Principem, pax inita.

812.

Legatos post Nicephori mortem Constantinopolim profectos Michael Curopalata ejus successor excepit, qui ut parem Carolo honorem haberet, illos cum totidem suis legatis in Occidentem misit, nimirum cum Arsacio, Michaele Episcopo & Theognosto Protospathario, *& per eos pacem a Nicephoro inceptam confirmavit*, ut Laureshamensium Annalium scriptor sive Eginhardus hoc anno 812. posterorum memoriæ consignavit. Hinc patet, Arsacium litteris fiduciariis Carolo Magno reddendis anno 810. minime instructum, sed tantum Pipino, quem mortuum offendit, ideoque duntaxat pacis negocium proposuisse: quæ hoc anno palam firmata est in Aquisgranensi Ecclesia, ut Germani, Gallique auctores Annalium Fuldensium, Laureshamensium, Metensium, Bertinianorum, Eginhardus & Monachus Engolismensis tradiderunt, una voce de Carolo clamantes: *Pacem sub Nicephoro inceptam confirmavit*. Illi iidem pariter hæc subjiciunt, Græcos legatos Romam Aquisgrano profectos in Vaticana Basilica, ut eorum temporum mores erant nostris multo sanctiores, alias cum Pontifice controversias composuisse, pacta conventa, pacemque signantes, quemadmodum cum Carolo, Venetisque peregerant: *& inde revertendo, Romam venientes, in Basilica Sancti Petri eundem* PACTI *seu fœderis libellum a Leone Papa denuo*

denuo susceperunt. Hinc evidenter innotescit, non inter *duos*, videlicet Carolum & Michaelem, sed inter *quatuor*, hoc est Carolum, Pontificem, Michaelem, & Venetos pacem fuisse statutam. Inter Carolum & Michaelem convenit, ut nullo alio nomine adjecto se vicissim *Imperatores Augustos* tantum vocarent, timentes Græci, ne si Carolum Imperatorem *Romanorum* vocassent, sibi damnum inferrent, quoniam ipsi, Constantinopoli morantes, quæ urbs *nova Roma* dicebatur, se pro *Romanis* jactabant: quamobrem Carolus a Theophane *Imperator Francorum*, non *Romanorum* nuncupatur. Hac ratione Veneti & Carolus sua composuerunt, ut illis insulæ a Pipino captæ & biennio ante promissæ restituerentur. Neque aliis conditionibus inter Græcos, & Pontificem convenisse credendum est, quam ut illi se omni jure in Sedis Apostolicæ regiones abdicarent, quamvis id esset supervacaneum, jure hoc prorsus amisso, cum centum & nonaginta annos Romam, totamque Italiam barbarorum avaritiæ ac direptioni, Exarchorumque tyrannidi rapacitatique expositam reliquissent, ut omittamus hæreses, quibus Catholicam Religionem violare tentarunt. Hoc plane sensu accipiendum arbitror factum illud celeberrimum, in Chronico Reichersperpergensi memoratum his verbis: *In Basilica Sancti Petri eundem* PACTI *seu fœderis libellum a Leone Papa susceperunt*. Rebus igitur Apostolicæ Sedis cum Aula Constantinopolitana hoc modo compositis, ad Summum Pontificem Leonem III. Patriarcha Nicephorus Synodales litteras scripsit, quibus scribendis jam usque ab eo tempore abstinuerat, quo Leo Carolum Magnum coronavit. Quare ex illo tempore Aula Imperatoris Constantinopolitani Pontificem, tanquam summum regionum suarum Principem agnoscere non detrectavit, ut de Leone III. locuti alibi ostendimus. Id ipsum pariter Imperatoris Constantini Porphyrogennetæ, qui sæculo decimo claruit, auctoritate firmatur, dum hæc de suis

Annales Francor. Caroli Cointii tom. 7. anno 812. §. 6.

In Chronograph. pag. 419.

Pag. 114. edit. 1.

Theophanes in Chronogr. Pag. 419.

Defensio I. Dominii pag. 350.

LIBER I.

De Thematibus lib. 2. Them. 10. pag. 27 to. 1. Imperii Orientalis Anselmi Bandurii.

suis temporibus scripsit: *Roma regium deposuit Principatum, & propriam administrationem ac jurisdictionem obtinuit, eique proprie ac legitime* DOMINATUR *qui suo tempore* PAPA *est*. Quæ quidem dicta, si auctorem spectamus & tempus, quo vulgata sunt, eam vim obtinent, ut omnibus, quæ in pontificiam dominationem adduci possunt, præferri mereantur. Atque ut errores contra sentientium clarius refellantur, Græci schismaticique Imperatoris auctoritati Ebræi prope idem tempus florentis, nimirum Beniamini, testimonium adjungamus, qui de Alexandro III. sermonem habens, *maximus*, inquit, *est Princeps*. Ex his, quæ hactenus diximus, satis colligitur, quam infirmis fundamentis insistat Grotii opinio existimantis nostrum hoc Occidentis Imperium arbitrio populi Romani fuisse productum. Proxime a nobis allati scriptores luculenta & vera pronunciant, utpote qui ea, qua simplex mens sensusque erat in pretio, ætate scripserunt: neque enim adhuc in hominum mentem venerat præteritorum sæculorum gesta ac dicta falsis narrationibus depravare. Grotius nobis persuadere conatur, Constantinopolitanorum jus Imperatores eligendi a Populi Romani voluntate deductum, dum ait: *Jus omne quod illi, qui Constantinopoli habitabant, ad eligendum Romanum Imperatorem habere poterant, pendebat a voluntate Populi Romani*. Hoc tamen, quod Grotius nobis venditat gloriosum figmentum, patronum, unde fulciatur, frustra requirit, omnibus Grotii sententiæ refragantibus, cum jam constet, Romanos jure quovis a Græcis spoliatos atque dejectos; tantum abest, ut Græci *a voluntate Populi Romani pendere* voluerint. Hoc nixus argumento suo Grotius, Occidentalis Imperii molem erigit, dum, ut ille ait, Constantinopolitanis *contra morem Populi Romani Irenis* Imperio parentibus, *merito Populus Romanus illam concessionem sive expressam sive tacitam revocavit*. Hæc autem, ut maxime decebat, ne Grotius abs se conficta, sed vera tradere

Itiner. pag. 10.

De Jure belli, & pacis lib. 2. cap. 9. §. 11.

re videretur, nullo veterum auctorum testimonio comprobantur: quod tamen ille, tanquam aliud agens, dissimulat, & hoc inde consequi opinatur, a Populo Romano Imperatorem suum (videlicet Carolum Magnum) primarii sui civis, hoc est Pontificis, voce postea evulgandum, electum fuisse: *Per se*, inquit, *Imperatorem legit, ac voce primi Civis, idest Episcopi sui, pronunciavit*. Patet cuique, hujusmodi narrationem, ingenioso commento undequaque substructam, facillime ruere, propterea quod neque Constantinopolitani Romanorum *voluntati* morem gerere cogerentur, nec Caroli Magni tempestate cum Græcis quidquam negotii Romanis esset, his nihil morantibus, utrum Græci feminis, an viris obtemperarent. Grotio, viro cetera summo, quomodo hæc in mentem venire potuerint, atque ex illius ore tam remota a vero sententia exciderit, prorsus ignoro, dum ne priscis quidem temporibus Imperatores Populi Romani voluntate creati fuerunt. Primus enim ad hoc jus per tyrannidem obrepsit: alii successione, atque exercitibus, dum illis imperabant, acclamantibus; nunquam certe electione ac Populi Romani arbitrio, quod cuique vel leviter erudito notissimum est. Porro, si ad Populum creatio pertinuisset, cum de Imperatoribus eligendis ageretur, tyrannos atque oppressores ipse suos nunquam profecto elegisset. Alia a Grotio prolata ad examen revocare piget, cum principiorum, quibus incumbunt, falsitate detecta, concidant per se ipsa universa necesse sit. Non tamen silentio præterire velim quæ veluti firmissima caussæ suæ argumenta auribus inculcat, videlicet Imperatori ex hujus vi nominis subesse *quæcumque Populi Romani fuerunt*, tribus tamen exceptis, illis nempe, quæ *neque pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium concesserunt*. Quod cum ita se habeat, nullum jus est Imperatori in aliena, multoque minus in

LIBER I.

in Sedis Apostolicæ regiones, quas eadem antequam Occidentale Imperium institueret, & subsequentibus inde temporibus, tot sæculis totque initis per Imperatores pactionibus verissima certissimaque dominatione possedit; adeo ut Imperator jure vindicare sibi nequeat regna ac ceteras Europæ provincias, quæ aliquo ex his tribus modis aut simul omnibus I. *Pactionibus* II. *Derelicti occupatione* III. *Victoriæ jure*, in aliorum potestatem transierunt.

XVIII.

Carolus Magnus imperatorii nominis dignitate nihil in suam dominationem transtulit.

His aliquantisper immorari opus fuit, ut rerum veritas exprimeretur, quam fabulis temere ac belle confictis in suo libello Auctor Mediolanensis labefactare conatus est, multa nova & falsa vulgando, atque adeo non solum (quod sua parvi refert) Sedi Apostolicæ perniciosa, sed vetustæ, summæ, communique aliorum Principum libertati noxia promendo. Ex his manifeste percipimus, Summum Pontificem Leonem III. Caroli Magni, Græcorumque consensu verum suarum regionum Principem remansisse, & tum præter Pontificem & Carolum, Rempublicam quoque Venetam tertio loco in Italia fuisse dominatam, ut ipse Carolus non *tota Italia*, sed tantum Langobardorum Regno sibi armis parto potiretur. Cum igitur nihil amplius, quam quod ipse obtinuit, ejus pariter successores arrogare sibi debeant, non est quod ipsi in pontificia loca jus sibi tribuant, multoque minus *totius* se *Italiæ* dominos vocent; dum Imperatoris nomen Caroli Magni successoribus nihil ultra detulit præterquam ea, quæ fuerunt in potestate ipsius Caroli, qui eam dignitatem invitus & præter expectationem a Leone III. consecutus est. Sed idem explicatius dicam. Carolus in nullas alias regiones, nisi in eas, quæ ad se pertinuerant antequam *Augustus* appellaretur, auctoritatem secum traxit. Quare dignitas, primum in illo instituta, quamvis multis honoribus reliquis Occidentis Principibus eum prætulerit, non fuit vere translatio Imperii a *Græcis*

ad

LIBER I.

ad Francos, atque inde *ad Germanos*, ſicut poſterioribus ſæculis a nonnullis recte judicandi arte plane imparatis, credita fuit, *cum Carolus ejuſque poſteri ne vicum quidem Imperatorio nomine poſſederint*, quemadmodum teſtatur Carolus Cointius, auctor ceteroquin ejuſmodi, ut jus omne & auctoritatem in illum atque in ejus ſtirpem quanta poteſt contentione derivet; ſed fuit mera ac ſimplex Imperatorii nominis innovatio, quod, ut ante diximus, in Occidente Zenonis Orientis Imperatoris tempeſtate anno 475. ſimul cum Romulo Auguſtulo Oreſtis Patricii filio extinctum eſt. Fuit pariter ejus Imperatoriæ dignitatis ſeparatio, quam Græci in Occidentem uſque protendebant. Eo enim in Carolo Magno honoris innovato nomine, perſtitit tamen adhuc trans mare Græcum Imperium, & quale antea, pro vero ſemper ac legitimo a Pontificibus atque Occidentis Imperatoribus uſque ad annum 1453. habitum fuit: quo anno idem Imperium in Conſtantino X. Palæologo, Nicolao V. Pontifice ſedente, eſſe deſiit. Neque hoc unquam Pontifices pro vero agnoviſſent, ſi omne *a Græcis, ad Germanos* translatum re ipſa fuiſſet. Cardinali Bellarmino in libro de Imperii translatione non fuit alia certe ſententia, dum refert, poſt Auguſtulum in barbarorum poteſtate Italia relicta, uſque ad Juſtiniani tempora ac poſtea ſub Beliſario, Narſete, Exarchiſque, qui eam contra Langobardos tueri non poterant, Leonem III. nomen & Imperatoriam Occidentis dignitatem in Carolum tranſtuliſſe, cui deinde Græcorum conſenſus acceſſit, *quod facta a Leone infecta reddere requirent*, Magdeburgenſibus Centuriatoribus aperte teſtantibus. Hinc quiſque videat quam vana ac futilis opinio ſit, Obſervationibus a me refutatis inſerta, ubi hæc verba per nos in latinum ſermonem converſa leguntur: *in Carolo Magno una cum Romani Imperatoris nomine innovata fuit etiam auctoritas, quam Græci Imperatores in Exarchatum atque adeo in urbem Romam habebant.*

A.D. 800. §. 48.

Raynal. A.D. 1453. §. 5.

Lib. 1. cap. 4.

Cent. 9. cap. 16.

Pag. 15. cap. 7.

LIBER I.

XIX.

De dignitate Imperatoria a Carolo Magno suscepta idem probatur.

Ex his liquet, Carolum Magnum quamvis illa dignitate omnibus Occidentis Regibus anteiverit, atque Orientis Imperatores æquaverit, ea de caussa majora jura, quam quæ antea possedisset, neque consecutum fuisse, neque se consequi putavisse: quod Cointius his verbis tradit: *Carolus Imperatorio titulo novum sibi jus aut in suas, aut in aliorum Dynastarum ditiones datum nusquam putavit*. Carolus Sigonius æqualium scriptorum sententiam secutus, qui nullius partis studio ducuntur, ad nomen honorificum eam dignitatem tantummodo redegit, inquiens, Pontificem in Occidente post Romulum Augustulum, ab aliquibus Momillum dictum, eum honorem, multo ante extinctum, nulla alia de caussa renovasse, *quam ut haberet Ecclesia Romana adversus infideles, hæreticos ac seditiosos tutorem, cujus officium repudiasse jam pridem Imperator Orientis videretur*. Baptista Egnatius hac de re sermonem habens, hanc quoque Imperatoriam laudem Carolo a Leone III. donatam fuisse putavit, ut veterem illam in Augustulo, *per trecentos & amplius annos intermissam* instauraret: quod idem Sigonius in Bononiensi Historia animadvertit. Hinc Carolus ubi primum *Imperator* dictus, *Patricii* nomen, anno 754. a Stephano II. sibi, Carolomanno fratri, patrique Pipino impositum abjecit: *ablato Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus est*, ut in Annalibus Bertinianis, Laureshamensibus, atque in Reicherspergensi Chronico relatum legimus; quandoquidem illo honore nihil aliud, *quam Defensor* atque *Advocatus* Sedis Apostolicæ revera significabatur, quamvis Imperatoria dignitas gloriosior haberetur. Quapropter Nicolaus Alemannus, de antiquitate egregie meritus, hæc jure optimo pronunciavit: *Romanorum Patricii ac Cæsaris eadem fuit instituendorum ratio, Ecclesiæ scilicet Romanæ defensio*. Et quemadmodum *ne quidem in vicum quicquam juris ex honore Patriciatus hausit*, teste Cointio, ita *Imperatoris Augusti* dignitate ni-

A. D. 803. §. 36.

De Regno Ital. lib. 4. A. D. 801.

Exempla illustrium Virorum lib. 1. pag. 8.

Lib. 1. A. D. 801.

Defensio I. pag. 342.

Chron. Reicherspergen. pag. 113.

De Lateranen. pariet. pag. 155.

A. D. 800. §. 57.

LIBER I.

nihil juris sibi peperit in alienas regiones, videlicet in Britanniam, Sarmatiam, Illyricum, Lusitaniam, ceterasque provincias, quæ antiquis Imperatoribus paruerunt. Scriptores illi, vere Christiani, religiosamque sinceritatem profitentes, qui Bollandianis Sanctorum Actis prosequendis operam navant, in eandem hisce verbis concessere sententiam: *Nibil igitur amplius, quam habuerat Patricius, acquisivit Imperator, & Augustus Carolus præter majoris dignitatis titulum: & hoc inter alios per Orbem Christianum Principes eo fiebat celsior, quo erat ad defensionem Ecclesiæ obligatior Pontifici vicissim obligato spiritualibus armis tueri eum, a quo præcipue erat corporalibus protegendus*. Ex his, quæ tam explicate narravimus, homines ab his studiis mediocriter parati discant aliquando ineptis, contumeliosis, ac philautia plenis verbis de rebus sibi parum notis aptius disserere. Statuuntur enim hæc omnia, præclareque firmantur Testamento, quod Carolus Magnus conscripsit post dignitatem Augustalem susceptam, & priusquam aliquem e filiis collegam adsciscceret. Nam in Testamento nunquam de *Imperio*, sed quidem de *Regno* filiis dividendo Carolus loquitur, quia illud in mera dignitate situm: quam simul ac est adeptus, suis ditionibus addendam esse minime censuit, cum iis reliquerit *Regni* nomen, quod quidem non tanquam *Imperator Augustus*, sed tanquam *Rex ipse possedit. Imperatoris enim titulo, ne vicus quidem fuerat attributus*, quemadmodum statuit Cointius. Neque enim ille vel ex eo orti jus aliquod Imperatorii nominis ope, sed ob Testamentum seu Carolinam divisionem in provincias, urbes aut opida, quibus potiti sunt, sibi pepererunt. Hoc idcirco apparet, quod cum LeoIII. primum in Vaticana Basilica coronam Carolo imposuisset, nomenque *Imperatoris Augusti* illi indidisset, sicut auctoritas, qua suis provinciis ante imperaverat & tunc imperabat, minime illi fuit confirmata, ita nullam plane obtinuit, qua de illis, quæ

Acta Sanctorum Junii die 12. tom. 2. pag. 585. num. 52.

A. D. 800. §. 60.

Defensio I. pag. 344.

Defensio II. pag. 38. 39. 40. 41. 42.

LIBER I. ad alios pertinebant, ipse decerneret. Neque vero hic honor, in eo renovatus, ea quæ olim, secum trahebat, cum in Occidente unus rerum dominus aut plures conjuncti vel inter se divisi, *Imperatores* nominabantur, reque ipsa administrabant Imperium, pluribus tunc provinciis constans, terminisque suis definitum, intra quos nullo alio, quam *Imperatorio* jure, summa auctoritas exercebatur. Contra vero dum Carolus Imperator fuit renunciatus, teste Cointio, *ex nova dignitate ne vicum quidem adjecit ditionibus, quas, ut Rex, antea possidebat*. Neque Carolus magna illa dignitate nobilitatus, quidquam sibi juris in eorum ditiones arrogavit, qui illo tempore in Occidente regnarunt; sed quæ habuit antea, sibi retinuit, nihil ultra Imperatoriæ potestati subjiciens. Quod, sicut dixi ac repeti potest, dum filiis, suis heredibus, ditionem in tria regna divisit, satis superque manifestum reddidit: idemque amplius demonstravit, dum Ludovicum Pium collegam Imperatoriæ dignitatis assumpsit, quem tamen *ex asse* heredem minime declaravit, tertiam regionum suarum partem adsignans Bernardo nepoti, Pipini filio, qui *Rex Langobardorum*, non vero *Imperator* nominaretur. Ludovici Pii, Lothariique divisiones id aperte confirmant: anno 817. Lotharius a Ludovico dignitatis Imperatoriæ collega cooptatur: postea Lotharius, Ludovicus junior, & Carolus anno 826. inter se patris regna distribuerunt. Hæc non sunt a nobis belle conficta, sed a viris fide dignissimis, Laureshamensium, Fuldensiumque annalium auctoribus referuntur. Itaque collega dictus Ludovicus II. Imperatoriæ dignitatis, nihil ultra obtinuit, quam quod pater, cum regna divideret, illi adsignavit. Constat igitur, Ludovicum Pium Caroli Magni regnis tum quæ sibi comparavit, tum quæ illi hereditate obtigerunt, non esse potitum, quod in Imperatoriam dignitatem successerit: verum eadem regna in varias partes fuisse divisa, uno-

A. D. 800. §. 53.

quo-

quoque suis in partibus dominante, quamquam qui summa & gloriosa *Imperatoris* dignitate honestabatur, ceteris præibat, qualemcumque regni partem administraret. Dignitatem ergo, quam Pontifex in Carolo Magno instituit, ab antiqua illa longe diversam fuisse constat, sicut antea indicavimus, proptereaque nullum ex Imperatoribus, qui Carolo successerunt, plura ac majora, quam quæ ipse sibi Carolus vindicavit, inde sibi arrogare unquam potuisse. Hic vero, quod attinet ad Italiam, nunquam se, nisi Regem *Langobardorum* appellavit. Quod si Pipinus Caroli filius, seu quivis alius, *Rex Italiæ* audivit, pro Rege *universæ* Italiæ minime est habendus, sed illius tantum partis, quam Carolus in Testamento seu regni sui divisione recenset: *Italia, quæ & Langobardia dicitur*: quæ nimirum extendebatur *per Padum fluvium termino currente usque ad terminos Sancti Petri*, quemadmodum ab ipsomet Carolo ibi explicatur. Hæc verba ex vera, primaque sua origine deprompta, ne, quæ alibi ad hoc propositum attulimus, repetamus, viam universis difficultatibus intercludunt.

Defensio I. pag. 370.

Defensio II. pag. 64. 65.

XX.

Imperatoria dignitas Carolo Magno nihil præter Sedis Apostolicæ defensionem tribuit.

Ea in Carolo Magno dignitate instituta nihil aliud Leonem III. spectasse, quam ut summum Sedis Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ *Defensorem* ornaret, Pontifex eadem die coram ipso ostendit scripto diplomate ad (a) Angilbertum Centulensem Abbatem, qui tum Romæ aderat, palam faciens, quidquid in eodem narratur, se illi concedere *in præsentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Caroli, quem, auctore Deo, in* DEFENSIONEM & PROVENTUM *Sanctæ universalis Ecclesiæ in* AUGUSTUM *hodie sacravimus*: quod antea *Patriciatus* honore comprehendebatur. Ideo Carolus priusquam se eo nomine exueret, modo *Patricius*, modo *devotus Sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor, & adjutor*, quæ unum idemque significant, dicebatur. Apud Sigonium exstat Caroli jusjurandum, descriptum ex antiquissimo Ordine Romano, cujus Alcui-

a) *Mabillon. Annal. Benedict. to. 2. pag. 349.*

Defensio I. pag. 342.

Defensio II. pag. 40. 42. 54.

Capitular. Baluzii to. 1. col. 1049.

De Regno Italiæ lib. 4. A. D. 801.

LIBER I.

cuinus, Carolo ipsi familiaris, meminit: idemque a Baronio quoque profertur. Quanvis cum hac dignitate in Carolum nec *totius Mundi*, nec *totius* Italiæ longe lateque diffusæ, Imperium collatum fuisset, quemadmodum inepta vulgi opinione ductus sibi fingit Adversarius, non ideo tamen nudum honoris nomen illi tributum, *dum ipsi collata est & dignitas amplissima, titulo sublimi respondens, Christianæ scilicet Reipublicæ ac Ecclesiæ universæ, præsertim Romanæ Tutoris, ac Defensoris*, ut a Scriptore nec incelebri nec illo quidem partibus Apostolicæ Sedis nimis dedito memoratur: qui hæc insuper scribit: *in hoc Ecclesiam tuendi officio maxime posita est Imperatoris dignitas, cui supra ceteros Principes Christianos honoris primatus adnexus est, ita ut cum ipse, tum ejus legati ubique primas teneant*. Ergo Carolus ut hujus Imperatoriæ dignitatis officium ac numeros omnes egregie impleret, nequid Sedes Apostolica Ecclesiaque detrimenti a suis hostibus acciperet, providere semper debuit: *in defensionem & proventum Sanctæ universalis Ecclesiæ*, & non quidem *in dominium totius Orbis seu omnium civitatum Italiæ*, quemadmodum post decem sæcula nobis hodie obtrudi videmus. Et sicubi aliquod dicendi genus his, quæ hactenus tradidimus, contrarium fortasse occurrit, in ejusmodi *Defensionis* significatione ponendum est. Si qui vero post Carolum Magnum eadem dignitate ac munere affecti Ecclesiam non defendendam, sed potius bonis suis spoliandam curarunt, hi officii sui parum memores se profecto ostenderunt, cum honor ille in una ejusdem *advocatia*, *protectione* ac *defensione* versaretur, dum *pactis* statutum erat, ut Pontifices tantam dignitatem illis deferrent, qui Sedem Apostolicam, ejusque regiones se defensuros pollicerentur: qua de caussa imperatorias declarationes *pacta* & *pactiones* fuisse appellatas, accepimus. Neque hæc ego unus pronuncio. Mecum sentit Monzambanus seu Pufendorfius, ju-

Baron. A. D. 800. §. 7.

Nat. Alex. sæc 9. dissert. 1.

Defensio I. pag. 361. 363. 369.

Defensio II. pag. 23. 24.

LIBER I.

juris publici peritiſſimus, noſtro commercio excluſus, ac Germanus, ideoque Sedis Apoſtolicæ amore minime captus. Ergo præſtat talis tantique viri auctoritate, quæ certe plurimum valet, noſtra firmare. Hæc ille habet: *Imperium autem illud Romanum in Carolum & Ottonem collatum, quod* NIHIL ALIUD QUAM ADVOCATIAM, SIVE PROTECTIONEM SEDIS ROMANÆ *notare videtur, ſucceſſu temporis Regno Germanorum nomen ſuum adfricuit*. Nicolaus Alemannus duo hinc ſapienter colligit, hoc eſt Imperium a Leone III. inſtitutum *ſummam inter Chriſtianos omnes Principes dignitatem, & Eccleſiæ Defenſionem complecti*. Quare omnia, quæ Caroli Magni ſucceſſores in Eccleſiæ Romanæ patrimoniis vel geſſerunt, vel ſibi tribuerunt, Sedis Apoſtolicæ cauſſæ minime officiunt, cum ea per hujus *Advocatiæ*, *protectionis* ac *defenſionis* ſpeciem, nullo quidem jure, extorſerint. Itaque fit, ut quæ per vim geſta ſunt, nunquam in juris locum ſuccedant. Sed his longiore ſermone perſequendis non ultra tempus abſumam, dum ſatis reſponſum eſt ubi contra Mutinenſem Scriptorem Apoſtolicam Sedem defendimus. Unum tamen hic addam, quæ hactenus a nobis ſunt explicata, ea pravi animi, atque amentiæ convincere Kriegſmannum in libro, quem legimus inſcriptum: *de attrito per Papas Imperio*, ac Muſæum, hæc verba ex eo recitantem: *Sedes Romana Imperii peſtis*, cum jam exploratum ſit, Sedem Apoſtolicam non *deſtruxiſſe*, ſed potius Occidentale Imperium inſtauraſſe, idemque tum veteri, tum memoria noſtra magna auri argentique vi, aliiſque auxiliis opportuniſſimis ita inſtruere ac munire ſtuduiſſe, ut inteſtinis ac Turcarum bellis potiſſimum firme valideque reſiſteret. Ergo, ut ad *Parmam*, *Placentiam*que redeat oratio, cum hæ urbes poſitæ eſſent intra *Æmiliam*, *Exarchatum*que, Sedi Apoſtolicæ, *ſicut antiquitus erat*, a Carolo traditum, palam fit, Ludovicum Pium in Conſtitutione

De Origine Imperii Germanici cap.1. §.14.

De Lateranen. pariet. pag.138.

Defenſio II. pag. 31. 32. 40. 147. 148.

Commentatio Muſæi pag. 113.

LIBER I.

ne, anno 817. sancita utranque eidem Sedi confirmavisse. Ludovicus Pius cessit Sancto Pontifici Paschali I. *& successoribus ejus in perpetuum Exarchatum Ravennatensem* SUB INTEGRITATE *cum urbibus, civitatibus, opidis, & castellis, quæ piæ recordationis domnus Pippinus Rex, ac bonæ memoriæ Genitor noster Carolus Imperator Beato Petro Apostolo & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam* RESTITUERUNT, *hoc est civitatem Ravennam &* ÆMILIAM. Declaravit etiam, hæc se confirmare Sancto Petro, Paschali ejus Vicario, *ejusque successoribus usque ad finem sæculi eo modo, ut in suo detineant jure, principatu, ditione*. Hæc Constitutio veteri ac proprio nomine *pactum* dicta est, non solum propter caussas supra adductas, sed etiam quia *pacto* inter ipsos convenerat, ut Ecclesiæ quidquid reddendum supererat, ac præsertim utriusque Ducatus Romani & Tusci appendices, restituerentur. *Pactum* est lex mutuo contractu & partis utriusqne accepta consensu. Donationis Caroli Magni luculentum exstat testimonium in versibus a Pontifice Hadriano I. Codici antiquo Canonum Romanæ Ecclesiæ præpositis, qui Romæ Carolo ipsi anno 787. ab eodem Pontifice oblatus, postea ab Henrico Justello vulgatus est. Hæc ibi scripta leguntur: Carolus *reddidit* PRISCA DONA *Ecclesiæ matri suæ, urbesque magnas*, FINES, *simul & castra diversa*. Præterea tanti exempli a Carolo Magno patrati memoriam illustrat quod narrat Petrus Mallius apud Hagiologos Bollandianos, videlicet in quibusdam januis æneis Vaticanæ Basilicæ se vidisse argenteis litteris inscripta nomina urbium, quas donatio Carolina complectebatur: *Sicut*, inquit, *nos vidimus & cum fratribus* SÆPISSIME LEGIMUS, ut habet Mallius, qui sub Pontifice Alexandro III. floruit. Quemadmodum vero donationis Carolinæ argumentum majores nostri in ære expresserunt, ita Comitissæ Mathildis aliam pariter donationem in marmore describendam curarunt, teste

Defensio I. pag. 350. 351.
Defensio II. pag. 33.

Barnabas Brissonius de verborum significat. lib. 14. pag. 473.
Defensio II. pag. 23. 24.

Bibliotheca Juris Canonici veteris to. 1. pag. 97.

Acta Sanctorum Junii tom. 7. pag. 54.

LIBER I.

teste [a] Francisco Maria Turrigio de Cryptis Vaticanis. De provinciis Romanæ Ecclesiæ donatis, atque ab Hadriano I. [b] *finium nomine*, a Carolo Magno, atque ab aliis *Terminorum* voce, & a Poeta Berengarii I. laudatore, *Pagorum* vocabulo significatis, alibi locuti sumus, cum Mutinensem confutaremus, cui, ut sub tactum res cadat, Vossii patris verba recitare præstabit: PAGUS, inquit, *non semper est vicus*, ut sibi persuadet Mutinensis, *sed etiam provincia* TOTA, *vel ejus pars, uti opidum cum territorio; unde* PAGENSES, *qui ejus sunt provinciæ seu diœceseos*. Si hæc ad fidem homini faciendam nondum sufficiunt, consulatur Joannis Jacobi Chiffletii liber pro Domo Austriaca, inscriptus: *ad Vindicias Hispanicas lampades historicæ*. [a] Alsatia quanvis, mea quidem sententia, *vicus* non sit, apud veteres tamen *pagi* nomine dicta occurrit: quæ vox, ut [b] Fulvius Ursinus docet, etiam ab aureæ ætatis Scriptoribus ac præcipue a Cæsare in hoc plane sensu usurpatur. Jam vero, ut ad Ludovicum Pium revertamur, primum ille quidquid ex Ducatibus Romano ac Tusco supererat, Sedi Apostolicæ tradidit, firmavitque deinde quæ Pipinus avus ei restituerat, præcipue *Exarchatum Ravennatense sub* INTEGRITATE, postea *civitatem Ravennam*, ÆMILIAM *cum omnibus* FINIBUS, *territoriis, atque insulis*; deinde pridem firmata, & per Carolum Magnum patrem amplificata eidem Sedi rata, propriaque fecit. Ludovici Pii Constitutionem suum exitum consecutam, ex eo etiam aperte intelligitur, quod Joannes XIX. anno circiter 1009. Benedictum nepotem in Sabinorum regionis possessionem misit, de qua in eadem Constitutione hæc habentur: *eodem modo territorium Sabinense, sicut a genitore nostro Karolo Imperatore Beato Petro Apostolo per donationis scripturas concessum est sub integritate*. Ut hanc Ludovici Constitutionem omni auctoritate egregie munitam redderemus, alibi argumenta ejusmodi digessimus, quæ unum-

a) *Pars 2. pag. 336. Ital.*

b) *Cangius* v. fines & terminus.

Defensio II. pag. 65.

Defensio I. pag. 380.

De Vitiis sermonis lib. 3. cap 3.

Pag. 30.

a) *Ulricus Obrechtus in Prodromo rerum Alsaticarum pag. 5. 25. 111. 130. 263.*

Hadrian. Valesius in Notitia Galliar. pag. 11

b) *Fragmenta Historicor. emendata pag. 62. 71.*

817.

Mabill. Annal. Benedict. tom. 4. pag. 699.

LIBER I.

Defensio I. pag. 70. 71. 72. 73. 74. 75.

Defensio II. pag. 72. 76. 80. 84. 87.

Responsio variis de Comacio scriptis, Italice pag. 45.

unumquemque dedoceant, ac mente sana præditis hominibus satisfaciant. Atque egomet seorsum in Tabula chronologica seriem eorum dispotui, qui eamdem Constitutionem semper veram existimarunt: ac illorum pariter, qui odio in Sanctam Sedem concepto de ejus fide satis infelici conatu detrahere ausi sunt. Quam seriem ea mente dispotui, ut uno oculorum obtutu de illa omnes facile judicarent.

XXI.

Nullum in Ecclesiæ regiones Ludovicus Pius sibi jus servat

Defensio I. pag. 361. & seq.

Defensio I. pag. 348. 349. 361.

Animadvers. num. 91. §. Rursus.

Inter *pactiones* cum Ludovico Pio compositas una hæc fuit, ut ipsi integra relinquerentur Sedis Apostolicæ *Advocatiæ* jura, capitibus duobus hisce contenta. *Primum*, ne Ludovicus in regionibus, quas Ecclesiæ tradiderat, quidquam sibi tribueret præterquam a Pontifice rogatus: *nisi quando ab illo, qui eo tempore hujus Sanctæ Ecclesiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus*. *Secundum*, ut siquis ex illis regionibus in Ludovici regna confugisset, nulla alia de caussa eum exciperet, *nisi ad justam pro eo faciendam intercessionem*, si tamen ille culpa vacaret. Si enim aliquo crimine obstringebatur, Pontifici reddendus erat. Frustra hoc loco novam Mediolanensis Scriptoris sententiam refellens tempus teram, dum arbitratur, *in præjudicium Imperii* nihil donare Pipinum Ecclesiæ, nihil Aistulphum restituere potuisse. Pater Hordeus una cum Sigonio tam curiose disceptans, hæc illi in mentem ingessit. Hac tamen de re alibi satis est a me disputatum. Unum dicam, hujusmodi erroribus illorum mentes maxime duci se sinere, qui Orientem ab Occidente discrepare nihil putant, ac puerilibus recentium rerum imaginibus decepti, de illis perinde ac de rebus antiquissimis disserunt, sibi facile persuadentes, Occidentale Imperium ab Orientali, tanquam per hereditatem successionemque manasse. Sigonium longe falsum quivis agnoscit ex eo, quod secus omnino accidit: atque ideo minime opus erat, Mediolanensem Auctorem a Sigonii errore firmiora mutuari, nisi ille de suo argumenta prompsisset, qui-

quibus, ea quæ mille ante annis evenisse finguntur aptius roboraret.

LIBER I.

XXII.

Novæ & inauditæ Auctoris Mediolanensis propositiones perpenduntur.

Age vero quasdam maxime novas & inauditas Adversarii nostri propositiones perpendamus, ut periti homines, atque illi, qui recte sentiunt, de illis judicium ferant. Hæc prima est: *Exarchatum Ravennæ supponunt Ecclesiastici Sanctæ Sedi spectare ex donatione Pippini. Moderniores & prudentiores assertores dominii temporalis, quo fruitur Ecclesia, non admodum fidunt assertis bujusmodi antiquis donationibus.* Unus ille, vir tantus, post mille annorum spatium, per *moderniores ac prudentiores* de se loqui in animo habens, primus a summis omnium sæculorum Scriptoribus, qui a Pipini ætate ad nostram floruerunt, sua tutus opinione, dissentit. Atque hæc eo pertinent, ut non solum Parma ac Placentia Ecclesiæ auferantur, sed ea omnia, quibus potitur: idque hac de caussa, quod *moderniores & prudentiores assertis bujusmodi donationibus* fidem minime habeant. Plura jam alibi a nobis dicta sunt, ut hæc *Pacta* & Constitutiones, *Donationum* nomine vulgo circumlatas, tueremur. Neque solum *Ecclesiastici*, ut Adversarius blaterat, sed omnes illi dissimiles, hoc est vere docti, bonoque sensu utentes, Pipini *Restitutionem* tanquam rem veram, ac probatissimam semper magni fecerunt; omnesque Occidentales Imperatores a Carolo Magno ad Fridericum III. pro re vera certaque habentes, in suis declarationibus juribusque jurandis summa pollere auctoritate voluerunt. Ita judicavit Rudolphus I. cum filiis, Principibus Ecclesiasticis, totoque Electorum ordine, ut ex Constitutionibus apparet, quæ genuinæ adhuc Romæ exstant in Nicolai III. Regestis, quorum partem Raynaldus vulgavit. Quare cum Adversarius ipse unus primusque omnium se rei opponat, quæ a veteribus, recentioribusque memorata Scriptoribus, omnium sæculorum testimonio certissima habetur, universos nimiæ credulitatis damnans, se pro-

Animadverf. num. 71. §. Exarchatum.

Defensio I. Dominii pag. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 100. 101.

Defensio II. pag. 23. 24.

Commentatio Musæi pag. 109.

profecto, ut mitissime loquar, eximium, ac singularem ostentat. Ceterum Musæus locutus de Constitutionibus pro Sede Apostolica per Occidentis Imperatores editis, quas veteres *Restitutiones* dixere, hæc habet: Pontifex *allegat quidem donationem, sed tabulas donationis non ostendit*. Sed præterquamquod nec Musæus, nec quivis alius contra Romanam Ecclesiam *tabulas ostendit*, respondemus, ipsum longe falli. Nam suas Pontifex ostendit quoties æqualium, proximorum, posteriorumque Scriptorum auctoritatem & consensum adducit, qui vulgatis libris, hisque omni fide dignissimis, ejusmodi singularum Constitutionum, memoriam, ac veritatem tradiderunt. Præterea inter Doctores convenit, Historiis, Chronicis publicis, antiquis, & omnium judicio comprobatis, ab æquis atque ingenuis hominibus fidem in illis habendam, in quibus majores nostri habendam esse maxima consensione censuerunt. Atque his accedit Jurisconsultorum judicium, quo statutum est, non tantum omnium æqualium Scriptorum testificationes, sed etiam famam per se unam in rebus antiquis efficere, ut satis superque veræ probationes & certissimæ reputentur: quæ sanæ adjumenta caussæ nostræ mirum in modum favere compertum est. Quod cum ita sit, opinor Sanctæ Sedis jura valide fuisse demonstrata, quemadmodum in *Defensione Dominii* in *Comaclum*, olim docuimus. In jure civili præterea legimus: *si lex agri non inveniatur*, VETUSTATEM *vicem legis tenere*: quod si ex Juris civilis præscripto in more positum est ubi de rebus privatis agitur, ex Jure naturæ ac gentium quanto magis obtinebit in rebus publicis? Istud Jus nunquam imperasse accepimus, ut postquam anni innumeri effluxerint, documenta proferri debeant ad tuendas plurium sæculorum possessiones: cumque illa incendiis, bellis, aliisque temporum injuriis interciderint, statim de possessione eorum, quæ tot per sæcula jure possedimus, deturbemur, etiamsi

Defensio I. pag. 54.

Jos. Mascard. de Probat. to. 1. conclus. 105. num. 11. conclus. 393. num. 5.

Decisiones Cameræ Imperialis editæ ab Hadriano Gilmanno tom. 1. pag 165. num. 7.

Nicol. Fermosinus de Probat. ad cap. 13. cum caussam *quæst. 1. num. 4.*

Fernandi Vasquii illustres controversiæ tom. 1. cap. 84. num 16.

D. lib. 39. tit. 1. L. 1. de aqua pluvia arcenda. §. Denique ait.

etiamsi ab æqualibus, proximis & subsequentibus variarum nationum auctoribus prolata argumenta passim reclament.

Nova *altera* Mediolanensis auctoris propositio est, qua Pipini Donationem cum Constantiniana permiscet, pari utramque valere auctoritate somnians, atque in utraque Sedem Apostolicam sua jura collocare, propterea quod ignoret, ut ille pronunciat, quid *per Scriptores Germanos, inter quos Limnæus enucleatus*, huic Constantinianæ donationi objiciatur. At, vir bone, sine horum auxilio videt illa quidem, rectissime videt. an summæ suæ potestatis fundamenta in Constantiniana donatione tantummodo nitantur: quam Donationem si Juris peritorum auctoritate tueri vellet, ingens eorum suppeteret numerus quos Mediolanensi, *Limnæo*, illique, a quo fuit *enucleatus*, opponeret. Sedes Apostolica suarum rationum momenta probe cognoscit, ac magnopere intelligit, an sit *impossibile aut saltem difficillimum respondere congrue omnibus objectis*, quibus Constantiniana Donatio impugnatur, quanvis hic homo se primum putet, ad quem ejusdem cognitio pervenerit. Etsi vero *objectis*, quæ Constantinianæ Donationi fiunt, *impossibile aut saltem difficillimum respondere congrue* videretur, non tamen hinc Romana Ecclesia, quod auctor Mediolanensis hariolatur, ullum caperet detrimentum, dum ea, quæ summum ejusdem imperium, potestatemque respiciunt, jamdiu veris rationibus stabant *nono sæculo* & subsequentibus, cum de *Donatione* Constantiniana mentio institui cæpit: quæ Donatio propter beneficia a Constantino in Sedem Apostolicam collata, illis temporibus generatim pro certa, veraque habebatur. Nostra autem parvi refert, utrum a Silvestri I. an a Gregorii II. temporibus summa illa dominatio originem duxerit; dummodo res ipsa tum vera esset, ut erat certe, & dummodo non fabulosis & falsis, sed solidis fundamentis insisteret: quod quidem vir prudens

 ne-

LIBER I. nemo affirmabit, qui intelliget, hoc in genere nunquam ad unam Constantini Donationem Pontifices confugisse, verum ad certissima Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, & posteriorum deinceps Imperatorum decreta, qui omnium plane historicornm consensu non tantum se veneraturos Romanam Ecclesiam ac defensuros jurarunt, sed etiam pro ejusdem tuendo imperio, tanquam pro aris & focis se pugnaturos in suis Constitutionibus edixerunt. Nunc tandem ad quosdam convertendus sermo nobis videtur, qui de Constantiniani diplomatis falsitate semper garrientes, hac mirifice gestiunt præter modum exultantes perinde ac magnam voluptatis materiam Ecclesiæ excidio sibi paratam conspicerent. Eo tamen hoc genus hominum, quo fortasse non cogitat, est amandandum, nimirum ad Cardinalem Baronium, tanto ab ipsis contemtui habitum, cui pridem chartæ fictio suboluit: & Hieronymus Paullus Barchinonensis, Ecclesiæ Romanæ Præsul ac Bibliothecarius, Alexandro VI. Pontifice, in libro Romæ anno 1514. vulgato, multo ante Baronium hoc palam docuerat. Sed attendi velim, a viro illo purpurato *stultos* merito appellari qui sibi persuadent, chartæ hujus falsitate quidquam damni Sedi Apostolicæ posse importari. Hæc pauca de Constantini *Donatione*, quæ in hominum voculas tam sæpe incurrit, interim sufficiant, ut, si fieri possit, satis etiam sibi factum putent qui eamdem Sedi Apostolicæ crambem iterum, iterumque recoctam offerre non dubitant, quasi vero nihil ipsa suis hostibus possit opponere. Et sane tantum abest, ut illa, legitimis munimentis carens, suorum jurium sinceritatem pravis artibus, deque industria excogitatis fulcire velit, quæ adversariorum calumnia est, ut gravissimi criminis reos ministri pontificii illos judicaverint, qui ad Sanctæ Sedis auctoritatem amplificandam falsa comminiscerentur: quod sane ab iis negari non poterit, quibus innotuit Gregorio XIII. Pon-

Defensio II. pag. 130.

Annales. Ecclesiast. to. 12. A. D. 1191. §. LIII. & LXI.

Provinciale fol. LVI.

Pontifice, Alphonsum Ciccarellum hoc præcipue crimine mortem subiisse, *quod ipse Alphonsus dolose, fraudulenter & falso confinxerit & fabricaverit instrumentum confirmationis donationis Constantini sub asserto nomine Theodosii Imperatoris*, quemadmodum legitur in sententia, qua a Hieronymo Matthæjo *Cameræ Apostolicæ Auditore* anno 1583. Calendis Juniis Ciccarellus capitis damnatus est. Videant nunc æqui rerum judices, an verum sit, ex falsis argumentis ac belle confictis, quod malevoli in vulgus spargunt, Ecclesiam in caussam suam patrocinia derivare, ita ut *objectis*, quæ illi fiunt per *Scriptores Germanos*, *inter quos Limnæus enucleatus*, *sit impossibile aut saltem difficillimum respondere congrue*.

Defensio II. Dominii pag. 319.

Allatius de scriptis Ciccarelli pag. 278.

Tertia Mediolanensis Scriptoris æque ac reliquæ nova atque inaudita propositio ea est: *Donationem, quæ Pippino adscribitur* EVIDENTIA DEMONSTRAT, *non fuisse ab eo factam*. Ergo si res ita se habet, omnium gentium Scriptores, Annales Ecclesiastici, Imperatorum diplomata, Pontificum epistolæ, insignis Carolinus Codex contemtui habeantur, quoniam EVIDENTIA *demonstrat*, Pipinum Regem eam Sedi Apostolicæ donationem minime scripsisse, quam mille abhinc annis a Pipino fuisse scriptam, semper nos Historici omni sæculorum memoria docuerunt. Atque hoc pacto fiet, ut unius Mediolanensis caussidici auctoritas æqualibus, proximisque scriptoribus, Summis Pontificibus, Imperatoribus, communique famæ ac monumentis antiquissimis, quæ saxa ipsa nobis servarunt, anteferenda sit: nam Papirius Massonius affert inscriptionis Ravennatensi turri infixæ fragmentum, in qua hæc leguntur PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VIAM. APERUIT. ET EXARCHATUM. RAVENNÆ. CUM. AMPLISSIMIS.... Reliqua temporum injuriis exesa a Cointio supplentur.

Annales Francorum lib. 2. pag. 87. edit. 2.

A. D. 755. §. 17.

Jam ad *quartam* Mediolanensis auctoris singularem

LIBER I.

rem propositionem pervenimus, quæ non solum ceteras æquat, verum etiam sua novitate omnibus antecellit, cum plures aliæ in hac una includantur. Affirmat enim ille Donationem Pipini omni robore carere, propterea quod ipse eam non ediderit, *sed coegerit Ainulphum*, (ibi enim ita legitur pro *Aistulphum*, fortasse propter typographi incuriam,) ULTIMUM EXARCHUM *donare*, *unde cum agatur de donatione* COACTA, *videat quisque quam* VALIDITATEM *præseferat*. Quot monstra paucis verbis clauduntur! *Aistulphum ultimum Exarchum?* Vel pueri Aistulphum Regem Langobardorum proximum a postremo fuisse non ignorant: idque omnes hactenus crediderunt. Aistulphum vero inter *Exarchos* locum ullum tenuisse, multoque minus *ultimum*, nulli adhuc puto, in mentem venisse, cum ultimus Ravennæ Exarchus non alius fuerit, quam Eutychius, teste Bibliothecario in Zacharia, & inscriptione quadam a Rubeo vulgata. Si autem Mediolanensi caussidico ad hanc ab iisdem auctoribus discendam veritatem, cetera notissimam, otium defuit, illam discere poterat a Petro de Marca, qui Eutychium *Exarchorum ultimum* vocat, vel saltem a Joanne Garnerio in notis ad Diurnum, ubi hæc leguntur: *Postremus Eutychius ab Aistulpho Langobardorum Rege pulsus anno* 753. Aistulphum porro sua *donare* Pipinus minime coegit, sed erepta *restituere*: eumdemque postquam jusjurandum pactionesque violasset, alienis spoliavit, hæc omnia Sedi Apostolicæ donans seu potius restituens. Si vero nostris temporibus hoc donationum ac restitutionum genus nihili sit, ratio quidem facillima erit inventa Ecclesiam Romanam suis regionibus spoliandi (quo certe spectant Mediolanensis auctoris sermones) illisque blandiendi, qui aliena sibi usurparunt. Hi enim hoc pacto ad aliena restituenda firme valideque *compelli se non posse* gaudebunt. Tristanus Calchus ab Adversario aliquando testis adductus, unus inter alios hominis inscitiam po-

Defensio I. Dominii pag. 336. 339.

Histor. Raven. lib. 4. pag. 220. *edit.* 2.

De Concord. lib. 3. cap. 10. §. 8.

Pag. 4.

Defensio I. pag. 340. 344. 345. 346.

Mediolan. histor. lib. 4. *pag.* 95.

poterat dedocere, dum, ut ille refert in Mediolanensi historia, fuit a Pipino *compulsus Aistulphus*, *quæ* SUA ERANT, *Ecclesiæ* RESTITUERE, non quidem *donare*. Verum si Adversarii argumenta contra Romanam Ecclesiam quidquam possent, caussa ipse quoque sua caderet. Etenim non unus Pipinus Aistulphum, verum etiam Carolus Magnus Desiderium ad restituenda injuste ablata compulit, sua insuper illi adimens, eumque Regno privans: idque, invito Desiderio ac *per vim* utique factum est. Quapropter Imperator, cui in Italiam, hoc est in *Langobardiam*, utpote Caroli successori, dominationis jus est, nunc, doctore Mediolanensi definiente, nihil rei in regionibus per Carolum Desiderio Regi ereptis habiturus erit; quoniam Desiderius *vi* a Carolo Magno coactus fuit illis excedere. Atque huc percommode cadunt Adversarii verba: *Videat quisque quam validitatem præseferat*: & Catonis quoque Poetæ Christiani versiculus his esset addendus:

Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.

Quinta Scriptoris Mediolanensis insolita propositio deducta est ex lutulentis fontibus *Limnæi enucleati*: qui cento pessime consutus, nudus rebus, manuque Lutherana congestus, etiamsi nihil aliud illi opponi posset, per se ipse sufficeret, nihili ut eum faceremus. Primo quidem Adversarius docuerat, nullam Pipinum Sedi Apostolicæ donationem fecisse: *donationem, quæ Pipino adscribitur, evidentia demonstrat non fuisse ab eo factam.* Deinde eorum, quæ antea scripserat, de more oblitus, in aliam sententiam transit, virque suavis Pipinum donationem fecisse fatetur, sed tamen addit, eamdem ex Leonis VIII. *Bulla* olim fuisse antiquatam: *Immo*, ait ille, *donationi factæ per Pippinum ac Carolum Magnum renunciatum fuisse per Sedem Apostolicam tradit Additio Additionum ad Limnæum enucleatum, ubi refertur Bulla Leonina talis renunciationis fa-*

ctæ

LIBER I.

sta Ottoni: *qui postea dicitur iterum donasse*, *sed cum reservatione alti dominii*. Hi novi homines quoties de bonis Deo in honorem Principis Apostolorum oblatis differitur, Arnaldi Brixiensis *alti dominii reservationem* semper inculcant. At si auctor quidquam ultra Limnæum videre studuisset, a proletariis novorum hominum contra Ecclesiam Romanam calumniis in medium proferendis abstinuisset. Immo vel obiter Annales Ecclesiasticos Baronii Cardinalis consulenti, ineptissimam illam *Bullam Leoninam*, cui tantam ipse habet fidem, *plures errores continere*, *quam verba* statim patuisset. Quis vero non videt, fabellam eo animo fuisse confictam, ut per eam quodammodo juris color adderetur impie gestis in Sedis Apostolicæ patrimonia? Fabula tamen parum caute contexta illa fuit, cum suam ipse inscitiam auctor minime adverterit, qui Leonem VIII. Romanæ Ecclesiæ nomine amplissimis Pipini, Carolique Magni donationibus se abdicantem induxit, ut Ottoni I. Imperatori gratificaretur, utque Leo ab Ottone aliam donationem primis illis dissimilem, summoque suo *dominio* spoliatam, referret. Quandonam his magis ridicula excogitata? Et tamen hoc tempore non desunt qui palam talia pro veris venditare non erubescant proptereaquod pridem vulgata apud æque virulentos ac ineptos auctores offendant. De hac *Bulla* Romanæ Ecclesiæ hostibus tantopere accepta, quos inter excellit Mutinensis, alibi quantum quidem opus fuit, a nobis disputatum est. Quare hoc in loco nihil ultra dicendum superest. Dicam dumtaxat, primos multis sæculis post Leonem VIII. eam edidisse, quorum ut ederetur, plurimi interat. At de hoc satis.

A. D. 964. §. XXVI.

Dominium Sanctæ Sedis pag. 10.

Defensio I. pag. 381.

XXIII.

Declaratio Ottonis I. & Henrici II. de Ecclesiæ regionibus, inter quas Parma atque universa Æmilia recensentur.

Itaque nihil est cur argumentis a fabulosa antiquitate petitis Sedis Apostolicæ jura Adversarius conetur infringere, cum illa ab argumentis veræ antiquitatis tam præclare parata sit, ut nullum impetum reformidet. Si autem a Ludovico Pio ad Ottonem Magnum,

962.

gnum, de quo paullo ante, hunc ex jurejurando per Gratianum & Baronium adducto, & ex diplomate, quo a decessoribus provincias Sedi Apostolicæ rite traditas agnovit firmavitque, statim audiemus Pipini Carolique Magni sententiam secutum se id facere declarantem, eademque verba usurpantem, quæ Ludovicus ante usurpaverat. Profitetur enim & jurat, se una cum Ottone II. filio, Romanæ Ecclesiæ servaturum ac defensurum *Exarchatum Ravennatium* SUB INTEGRITATE *cum urbibus, civitatibus, opidis, & castellis, quæ piæ recordationis domnus Pippinus & Carolus excellentissimus Imperator, prædecessores videlicet nostri, Beato Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris* (Joannem XII. alloquitur) *jamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam & Æmiliam*. His ipsis verbis, uno tantum immutato, nimirum *restituerunt* pro *contulerunt*, in sua etiam Constitutione Ludovicus Pius antea usus fuerat. Pergit Otto: *itemque a Lunis* (apud Baronium pro *a Lunis legitur Almus*, facili errore *librarii* ob litterarum in veteri codice conjunctionem, ut periti norunt) *cum Insula Corsica. Deinde in Suriano. Deinde in monte Bardone. Deinde in Berceto. Exinde in Parma. Exinde in Regio. Exinde in Mantua*. Hoc loco *Parma* urbs limitanea qua ad Orientem spectat inter Æmiliam & regnum Italiæ, ex prima finium Caroli Magni descriptione nominatur: non ita *Placentia*, quæ, ut ostendimus, Exarchatu, *sicut* ANTIQUITUS *erat*, atque *Æmilia* continebatur, quemadmodum ex immutabilium montis Bardonis & Berceti finium situ percepimus: qui quidem fines in Caroli atque Ottonis donatione *Æmiliam*, qua ad meridiem vergit, a Liguria dividentes, circumscribunt. Si ad ea, quæ supra diximus, mentem intendimus, Sancti Petri imperium ad Occasum aliquantulum extra *Æmiliam* usque ad Bobium, in Cottiis Alpibus positum, protendebatur. Hæ Alpes in Sedis Apostolicæ

Dist.63. cap 33. tibi Domino.
A. D. 960. §.5.
Defensio I. pag. 232.234. 365. 366. 376.
Defensio II. pag. 7. 115. 116. 121. 122.

 pa-

LIBER I.

patrimonium multo ante concesserant, quam eas Rex Langobardorum Aripertus eidem Sedi restitueret, postquam, (a) Paullo Diacono & (b) Bibliothecario testantibus, Sedi Apostolicæ ereptas Langobardica natio diutius occupasset. Ab hisce auctoribus docemur, Regem Liutprandum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ veterem Alpium, ubi Bobium surgit, donationem confirmavisse. Præterea hanc urbem Ludovici Pii, Ottonis, Sanctique Henrici diplomata, in quibus *Ravennam*, *Æmiliam*, *Bobium* legimus, ad Ecclesiæ jura pertinere sanxerunt. Immo in epistolis LI. & LIV. Carolini Codicis Hadrianus I. intra ipsam *Æmiliam Bobium* collocat. Singuli autem Imperatores se loqui testantur ex Caroli Magni sententia, qui primus regiones Ecclesiæ restitutas atque donatas certissimis ac nunquam mutandis finibus distinxerat. Et quanvis Otto I. professus fuisset ad diploma suum etiam Ottonis II. filii voluntatem accedere, hic tamen seorsum quinquennio post, nimirum anno 967. Ravennæ aliud ad Joannem XIII. scripsit, & postmodum Henricus II. terminos, finesque superiorum diplomatum nominatim expressos declaravit. Hæc cum ita se habeant, nullus superest dubitandi locus, quin uterque Otto *Parmam*, urbem limitaneam, *Placentiam*que pro locis Ecclesiæ, *Æmilia*, Exarchatuque, *sicut* ANTIQUITUS *erat*, comprehensis, acceperit. Quod vero attinet ad Ottonis II. diploma, ideo illud non intercidisse, sed adhuc superesse vere affirmamus, quod Mabillonius, vir omnium judicio harum rerum peritissimus, scriptum reliquerit, Innocentium IV. aliqua Ecclesiæ Romanæ autographa privilegia in Concilio I. Lugdunensi coram quadraginta Præsulibus exscribi jussisse: quæ illi una cum Pontifice, majorem hoc pacto sibi fidem conciliatura, propriis signis firmarunt, Pontifice decernente, ut his, *sicut originalibus*, fides perpetuo haberetur. Idem auctor, testis oculatus, primigenia ejusmodi privilegiorum exempla-

967.

Defensio I. pag. 355.

Iter Italicum pag. 98.

a) *Lib. 6. de Gestis Langob. cap. 28. & 43.*

b) *In Joan. VII pag. 90.*

plaria in cœnobii Cluniacensis Tabulario adhuc servari testatur: inter quæ utriusque Ottonis I. & II. atque Henrici II. *litteris aureis per totum scripta* diplomata leguntur. Caussam, quamobrem in Concilio de Ecclesiæ Romanæ diplomatibus tam religiose statutum, generalia Synodi Acta nobis aperiunt, ubi anno 1245. agitatum de patrimoniis Sancto Petro inique usurpatis direptisque per Fridericum II. cujus autographa privilegia coram ejus legatis lecta fuerunt: *item* (Pontifex Innocentius) *fecit legi plura alia privilegia, aurea bulla munita, Ecclesiæ, dum esset Rex, & postea Imperator, concessa: in quibus habebatur, quod ipse quitabat, donabat & concedebat & confirmabat totam terram a Castro Radicofani usque ad Castrum Ceprani: Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Comitatum Romandiolæ, & terram Comitissæ Mathildis.* In sententia Concilii Lugdunensis contra Fridericum lata varias Sancti Petri provincias per vim ab ipso detentas fuisse, narratur. Quare ut res gravissimæ, tum in controversiam vocatæ, æquius perpenderentur, autographa diplomata Lugdunum vecta, ubi tanta religione in exemplaria redacta sunt, quemadmodum celeberrimus Mabillonius egregie nos docuit.

Concil. tom. 11. pag. 638.

Pag. 642.

Finis Libri primi.

HISTORIÆ
SUMMI IMPERII
SEDIS APOSTOLICÆ
IN DUCATUM
PARMÆ AC PLACENTIÆ
LIBER II

Qui argumenta summi imperii Ecclesiæ Romanæ in PARMAM *ac* PLACENTIAM *a sæculo undecimo ad sextum decimum complectitur.*

I.
Summum imperium Sedis Apostolicæ in Parmam ac Placentiam rursus adstruitur.



X his, quæ in superiore libro exposuimus, colligitur, a Pipino ad Henricum II. nempe ab anno 755. ad 1014. publicis apertisque declarationibus *Parmam*, *Placentiam*que urbes vere & palam ab Imperatoribus Carolinis juxta ac Saxonicis, veluti ad Ecclesiam pertinentes, passim fuisse agnitas. Et quanvis anno 1009. Placentiæ, quasi imperatoria in urbe, Henrici II. mora per tres hebdomadas vera esset, quam memorant, id nunquam posset Romanæ Ecclesiæ jura labefactare. Diploma enim posterius an-

Defensio I. pag. 368.

anni 1014. pro ipsa ab Henrico vulgatum, contra omnino ſtaret. Præterquamquod cum nihil aliud, quam mora illa adducatur, hinc ſumma dominatio evinci nequit: & revera nullum aliud prorſus documentum adhuc adſpeximus, unde innoteſcat, per ea tempora Henricum in Placentinos aliquod juriſdictionis genus exercuiſſe. Quod ſi mora illa ad ſummum imperium indicandum traheretur, per nos opponi præterea poſſet, Urbanum pariter II. anno 1095. Placentiæ moratum, ubi Concilium ab Luca Holſtenio in lucem editum convocavit, in quo Henricus IV. a Chriſtianorum communione disjectus. Neque Pontifex in urbe aliena & Imperiali, in qua Henricus dominaretur, potius quam in ſua & ad Sedem Apoſtolicam pertinente, voluiſſe illa præſtare credendus eſt. Anno pariter 1132. Placentiæ moratus Innocentius II. aliud Concilium habuit. Eugenius III. anno 1147. Placentiam incoluit, quemadmodum animadvertit Umbertus Locatus: qui tamen ex his aliqua per errorem extra ordinem collocare videtur. Utroque horum Pontificum prior Paſchalis II. anno 1106. Parmæ verſatus eſt, cujus urbis Eccleſiam ob ſchiſma Ravennatium Archiepiſcoporum Sedis Apoſtolicæ auctoritati prorſus ſubjecit, quomodo in vita Comitiſſæ Mathildis incultus quidem, ſed tamen verax Poeta Domnizo memoravit. Anno etiam 1185. ex ea urbe Gregorius VIII. ad Henricum VI. epiſtolam a Leibnitio primum editam ſcripſit. Eamdem porro Comitiſſam, quæ in ipſius actis *Domina Tuſciæ* & *Langobardiæ* propter multa loca ibi per eamdem poſſeſſa nuncupatur, Parma etiam potitam oſtendunt bella ejus, diſcordiæque cum Henrico IV. quod ſemper Sedi Apoſtolicæ addicta, nunquam in Pontifices Alexandrum II. Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. & Paſchalem II. fœdus cum illo inire voluerit. Ad Mathildem profecto Parma pertinuit. Id enim ex Domnizonis verſibus evidenter apparet, qui eamdem quoque Re-

Margin notes: 1014. — 1095. — 1132. — 1147. — *Lib. 2. cap. 17.* — 1185. — *Prodromus Codicis Juris gentium pag. 4.* — *Florentinii Commentarii lib. 2. pag. 338. Italice.* — *Lib. 2. cap. 6.*

gii

LIBER II. gii Lepidi ac Mutinæ agris seu comitatibus præfuisse hoc pacto testatur,

. . . . nec ob hoc Comitissa recedit
A zelo Petri, pro quo mala tanta recepit:
Quæ per Regensem comitatum seu Mutinensem
Ibat lætanter, PROPRIAS *firmabat & arces*.

Benvenutus Imolensis, vetus Dantis interpres nondum latine vulgatus, in Carmen XXVII. de *Purgatorio* hæc habet: Comitissa Mathildis *fuit potens in Principatu; habuit enim sub dominatione sua Mantuam, Parmam, Regium, Mutinam, Ferrariam*, quæ urbes omnes, ubi quidem antiquis tabulis, æqualibusque Scriptoribus fides habeatur, dubitari nequit, quin Sedis Apostolicæ imperio paruerint. Neque desunt auctores, disertim affirmantes, ipsam quoque urbes Anconam, Spoletium & *Placentiam* possedisse. De hac certe minime ambigendum videtur, cum jam illa generatim secundum ejus ævi consuetudinem *Domina Langobardiæ* diceretur, cumque ex publicis documentis constet, omnia illarum regionum opida, propria ejus bona ac libera fuisse, quæ postea Sedi Apostolicæ ipsa legavit. Quare Domnizo, eidem a sacris hæc habet:

Mellini Vita Mathildis pag. 42. Italice.

Lib. 2. cap. 20.

Maxime tu Princeps Petre, cui sua CUNCTA *reliquit.*

Neque sane, nisi ut illorum locorum *Domina*, cœnobium Virginum Sancti Sixti Placentiæ, de quo Bacchinus in Padolironis Historia, ad pristinum splendorem redegit. Nemo adhuc ex recentioribus Historicis, qui de tanta femina scripserunt, regiones ab ipsa Apostolicæ Sedi testamento relictas singulatim recensuit, ne fortasse occupantibus parum grata proferret. Anno tamen 1614. Michael Leonicus de illis librum scripsit, tabulis fide dignissimis roboratum; interque multa Garfanianam, Carpos, Canusium, utrumque Bondenum, Corrigium, Gazolum, Gonzagam, Montem altum, Montem bellum, Nonantulam, Roncalias, Her-

Pag. 199.

Herberiam, Saxolum ac Sablonem, aliaque non pauca enumerat, a me brevitatis cauſſa prætermiſſa: quæ non ſine Romanæ Eccleſiæ detrimento, & contra Comitiſſæ voluntatem, in aliorum poteſtate detinentur. Quapropter non ſolum aliena per ſummos Pontifices nunquam uſurpata, ſed contra, veteri Eccleſiæ patrimonio majore ex parte ipſi ſpoliati fuerunt. Eadem Comitiſſa, egregii animi ac miræ pietatis femina, Sedi Apoſtolicæ ſua opida poſſidenda tradidit propterea quod omnia in ſolo atque agris ad illius imperium pertinentibus ſita exſtructaque fuiſſe pateret. Sed pergamus porro.

II.

Idem ſummum imperium defenditur.

Joannes Ruizius de Lacuna in libro Matriti edito anno 1637. omnia Cæſarea jura in Placentiam coacervavit, unde Hordeus, ab Adverſario laudatus, ſua mutuatus eſt. Placentiam is ait, anno 1092. ab Imperio ad Conradum Henrici IV. filium deſciviſſe. Hæc ſi vera eſſent, Ruizii inſtituto adverſarentur, quia tum Henrico Eccleſiæ hoſte, & ex Chriſtianorum ſocietate per Pontifices expulſo, Placentini Conrado faventes, qui Eccleſiam tuebatur, quique, ut ait Urſpergenſis Abbas, *erat vir per omnia catholicus & Apoſtolicæ Sedi ſubjectiſſimus*, eidem *Sedi*, ut par erat, addicti ſemper fuerunt, Mathildem imitati, quemadmodum teſtatur Sigonius; quandoquidem ab anno uſque 1080. Langobardiæ urbes ac *Placentia* potiſſimum ad defendendam Sedem Apoſtolicam inter ſe amantiſſime conſpirarunt. Ejuſdem momenti ſunt quæ Ruizius, Mediolanenſiſque auctor obtrudunt, idcirco nempe Placentiam urbibus imperatoriis eſſe adſcribendam, quod reapſe inter urbes Friderico I. ſubjectas locum tenuerit in Pace Conſtantiæ. Hoc ut clarius appareat, quid Sigonius de illis temporibus ſcriptum reliquerit, audiamus: *Italia*, inquit, *nunquam acrioribus* REPETENDÆ LIBERTATIS *& propugnandæ Eccleſiæ ſtudiis arſit*. Ea tunc a Tyrannis, *Vicariorum Imperialium* nomine perperam fultis, miſere vexaba-

Compendium Hiſtoricum incrementi civitatis Placentiæ in Langobardia pag. 4. Hiſpanice.

Chron. anno 1099.

De Regno Italiæ lib. 9. anno 1077.

Pag. 6.

Lib. 14. in principio.

LIBER II.

batur, quibus, nullo ejulatu exaudito, Fridericus moderandam tradiderat: atque adeo ille ipse Italiam crudeliter depopulabatur; ne Ecclesiæ quidem regionibus parcens, quæ immo propter Cæsaris odium in Alexandrum III. Pontificem, totum ejus feritatis impetum sustinebant. Tandem Itali, ut pergit Sigonius, tantis oppressionibus ferendis defatigati, ob libertatem de feriendo inter se fœdere cogitaverunt. Cum primis numerati sunt Veronenses, Vicetini, Patavini & Tarvisini, quippe qui aliis graviora subirent. Hi Venetorum auctoritate, Mediolanenses, Cremonenses, Brixianos, Bergomates, Mantuanos, *Ferrarienses*, *Bononienses*, Mutinenses, Regienses, *Parmenses* ac *Placentinos* in societatem vocarunt: quæ *Lombardiæ, Marchiæ* & *Romandiolæ societas* dicta est, & secum fœdere juncti ex Vicariorum Imperialium tyrannide se eripientes, per Consules se suaque regere cœperunt. Facta ultro citroque sacramenta apud Sigonium leguntur. Cum tamen Fridericus in sævitia contra Italiam, Ecclesiamque ipsam persisteret, adeo præ-

1176. cipites res ejus tandem abierunt, ut Anagniæ anno 1176. perpetuam pacem cum Alexandro III. Pontifice, cum Guillelmo autem Siciliæ Rege quinquennalem, sexque annorum inducias cum fœderatorum *societate* stabilire coactus fuerit. Hæc vero cum per colloquium inter Fridericum, Alexandrumque perfici necessario deberent, insequente anno 1177.

1177. Venetiis una convenerunt, ubi ea decreta sunt, quæ neminem fugiunt. Vix induciarum cum fœderatis civitatibus tempus præterierat, cum Constantiæ anno 1185. tricennalis pax inita: quam etsi aliquæ

Auth. tit. III. vel XXI. de Pace Constantiæ.

1183. civitates Romanæ Ecclesiæ æque ac illæ, quæ ad eamdem minime pertinebant, firmaverunt, ut præter *Parmam* ac *Placentiam*, Mutinam, Regiumque, de *Faventia* & *Bononia* legimus, non ideo tamen dicendum, urbes illas ad Imperium spectasse, cum omnium Imperatorum declarationes ab hac opinione dis-

Romuald. Salern. apud Contelorium in Concordia Alexandri III. & Friderici I. pag. 201. 226.

LIBER II.

dissentiant. Præterquamquod in Pace Constantiæ eædem urbes non tamquam Imperio subjectæ, sed quidem liberæ ac fœderatæ habitæ sunt. Suis autem illas nominibus speciatim distinctas, & *Æmiliæ*, *Exarchatus*que appellatione comprehensas, in Ecclesiæ potestate fuisse, iidem Cæsares palam vulgarunt, jurantes sibi nunquam eas se arrogaturos, sed semper defensuros, immo potius easdem usurpantibus erepturos, ut Sedi Apostolicæ restituerent. In ea Pace has ipsas urbes injustis oneribus ab se oppressas Fridericus agnovit: ideoque nonnullis eas conditionibus levandas censuit, sicut ille testatur, impositis *timore nostro vel per impressionem nunciorum*. Ac præsertim *pacta Placentinorum* memorat, quibus in illa Pace nullum onus injunctum præter solutionem pecuniæ ex quibusdam locationibus perceptæ pro Abbatissa Sanctæ Juliæ Brixiæ. Præterea ex ejus Pacis capitibus liquet, civitates fœderatas pro singulari corpore habitas, ex Langobardiæ urbibus constante, atque etiam ex ijs, quæ essent EXTRA *Lombardiam in* SUO CONFINIO: cujusmodi quidem Exarchatus urbes vere habebantur atque erant. Si vero illæ Friderico, tanquam *Urbis & Orbis* Domino, ut ait Radevicus, obtemperaverunt, ea, quæ ab impotentia Principum proficiscuntur, *facta* quidem, non *jura* dicenda esse, sine hæsitatione respondemus. Ceteris calamitatibus, quibus eo tempore Apostolica Sedes afflicta est, accessit veterum documentorum jactura: nec minus gravia Placentini sustinuerunt, quibus Arnaldus de Barbararia, homo Germanus, postquam illis argenti undecim millia pondo extorsisset, thesaurum quoque Ecclesiæ Sancti Antonini sustulit una cum antiquorum diplomatum Codice, in Germaniam secum omnia deferens. Quæ nisi evenissent, multa alia profecto hinc ad summum Romanæ Ecclesiæ imperium demonstrandum argumenta suppeterent, quamvis uberrima eorumdem copia minime careamus. *Locatus pag. 42.*

III. Eadem defenduntur.

Biennio tantum post Constantiæ Pacem Fridericus

LIBER II. cus una cum Henrico VI. filio in Italiam reversus, & Pace ac juribus jurandis violatis, in Ecclesiæ provincias infestum agmen duxit, civitates in suam potestatem redigens, quæ Alexandri III. partibus studuerant, etsi se restituturum Sedi Apostolicæ alias ab se occupatas, Venetiis promiserat. Ideo ex Pace, Constantiæ inita, nullum argumentum de *Parma* ac *Placentia* pro Imperio deducitur, quod tamen post Ruizium & Hordeum recens sibi persuadet Adversarius, verbis magna fiducia plenis: *prompta se offert probatio suprematus Cæsaris in civitatibus Parmæ & Placentiæ in Tit. Codicis de Pace Constantiæ*. Neque inde quidquam damni jam integris ac probatissimis Sedis Apostolicæ in illas urbes juribus illatum dici potest, quandoquidem nec aliæ, Bononia scilicet ac Faventia, ullum detrimentum inde subierunt. Præterquamquod *Placentia* Friderico *ficta devotione, ac simulata adhærebat obedientia*, ut testatur Radevicus, narrans insuper eamdem ab illius potestate ad pristinum Apostolicæ Sedis imperium palam rediisse, cum ab Legato Apostolico Petro Cardinali Diacono Sanctæ Cæciliæ, tum administraretur: quod apparet ex *Remonstratione* seu Commentario, quem de beneficiis seu *feudis* Bardi & Complani, Viennæ Austriæ Academicis typis impressum, Raynutius II. Parmæ & Placentiæ Dux Leopoldo Imperatori hac epigraphe insignem nuncupavit: *Ad Augustissimum Cæsarem Leopoldum, gloriosissimum, invictissimum, clementissimum humillima Remonstratio historico-juridica Serenissimi Domini Ducis Placentiæ & Parmæ una cum responsione ad objecta a Domino Principe ab Auria deducta in suo præsentato diei XI. Octobris anni MDCLXXX. pro feudis Bardi & Complani cum adjunctis* 133. *Viennæ Austriæ typis Jo. van Ghelen Universitatis typographi. In folio*. In hoc igitur libro hæc leguntur: *redierat Placentia anno* 1180. *sub* ANTIQUUM *Sedis Romanæ* DOMINIUM, *ipsique præsidebat nomine Pontificis Petrus Sanctæ Cæciliæ Car-*

Sigon. de Regno Italiæ lib. 15.

Animadvers. num. 11. §. Ultra.

De Gestis Friderici I. lib. 2. cap. 46. & 49.

1180.

LIBER. II.

Cardinalis Diaconus. Cives præterea omnium urbium fœderatarum, ac prætertim *Placentini*, ob fractam Pacem Constantiæ, quamvis sibi perniciosam, se contemptui habitos proditosque intelligentes, viribus sumptis anno 1188. una iterum se conjunxere, & arcibus conditis, armisque captis, Henrico VI. parere noluerunt, quemadmodum ex publicis documentis Sigonius testatur, & Locatus, qui de ipso Henrico hæc tradit: *Hic nullam a Placentinis habuit obedientiam*. Sedem Apostolicam anno 1188. in Placentinas regiones summa potestate dominatam, aperte liquet ex Ducis Parmæ Commentario jam memorato, in quo eodem anno hæc referuntur: *Dominante Sede Romana filii Opizonis Malaspinæ vendunt civitati Placentiæ, præsente Legato Apostolico, omnia jura & bona, quæ ipsorum pater & illi ipsi habebant in Valle Tari, & Hena*. Hæc loca intra Æmiliam in montis Bardonis tractu posita sunt: ac venditionis documentum, in ipsis frequentibus civitatis comitiis, præsente Cardinali, convocatis, signatum fuit. Id omne ex eadem *Remonstratione* Ducis Raynutii ad Leopoldum Augustum, cui tabulas ipse obtulit, percipi facile potest.

Lib. 15. de Regno Italiæ.

Locatus de orig. Placen. Pag. 61.

Remonstratio Historico-juridica Ducis Parmæ A. D. 1188.

Remonstrat. §. 5.

IV.

Innocentius III. in Parmam ac Placentiam summum imperium exercet.

1199.

His ipsis temporibus maximum argumentum veteris Sedis Apostolicæ in Parmam ac Placentiam imperii suppeditant quæ Innocentius III. de utraque urbe constituit, maximis propter Sancti Domnini municipium inter finitimas gentes discordiis flagrantibus. Cum ad arma ventum esset, Pontifex, tanquam supremus Princeps, Abbati Lucediensi imperavit, ut una cum Mediolanensi Archiepiscopo, Episcopis Vercellarum, Bergomi, Laudis Pompejæ, Brixiæ, Cremonæ, Regii Lepidi, *Placentiæ* ac *Parmæ* de turbis inter eas civitates sedandis serio cogitaret. Cui, Prætoribus, Consulibus, Consiliariis, & utriusque partis fautoribus morem non gerentibus, sacrorum communione de more expulsis, mandat, *ipsos* (ut ait) *Placentinos & Parmenses ad* SUBEUNDUM JUDICIUM NOSTRUM *suffi-*

cientissima in manibus tuis hinc inde præstita CAUTIONE, *vel Parmenses, ut Burgum ipsum nomine* NOSTRO *in manibus tuis tenendum assignent, restituendum per nos eis, quibus de jure fuerit assignandum, omni occasione, excusatione, dilatione, appellatione, & recusatione cessantibus*, NOSTRA *fretus* AUCTORITATE *compellas*. Hactenus Innocentius III. tanquam summus utriusque urbis Princeps locutus est, nulla *dilatione* atque *appellatione* interposita, quamcelerrime agendum imperans. Quæ statim sequuntur, id jus magis luculenter explicant. Ait enim: *& eis insuper* COMMINERIS, *quod nisi mandatis paruerint Apostolicæ Sedis*, MANUS NOSTRAS SUPER EIS *curabimus* AGGRAVARE. Hæc se præstare addit, *non ut alterutri partium cum alterius dispendio placeamus, sed ut* OFFICII NOSTRI *debitum exequentes, sopiamus dissensionem ipsam concordia, vel* JUDICIO *terminemus*. Si, quemadmodum Adversarius cum suo Hordeo arbitratur, *semper* illæ urbes, ac *Placentia* præsertim, revera Imperatori paruerant, ubinam gentium ministri ejus morabantur, Innocentio III. jura hæc summi imperii exercente? Cur non illi Pontificis jussis, judiciisque se opposuere? Idem Pontifex aliis sententiis usus claudit epistolam, qua quidquid agebat, se tanquam earumdem urbium dominum supremum agere, declaravit: *Sufficienti vero cautione ab utraque parte, quod* JUDICIO *vel* MANDATO NOSTRO PAREANT, *& a Parmensibus possessione, receptis, si per publicam famam vel alias legitime tibi constiterit, Parmenses ipsos possessionem temeritate propria Placentinis per violentiam abstulisse, possessionem ipsam restituas Placentinis, cum id* ORDO JURIS *exposcat, ita tamen, quod prius tibi sufficienter caveant, ut siquid postmodum propositum fuerit*, MANDATO NOSTRO *sint* & JUDICIO PARITURI. Facti hujus celeberrimi ac certissimi, quod anno 1199. contigit, Vincentius Carrarius in Historia Italica *Rubeorum Parmensium*, & Carolus Sigonius meminerunt. Hinc sane

Animadvers. num. 11. §. Ultra.

Lib. 2. pag. 21.

Lib. 15. de Regno Italiæ in fine.

ſane unuſquiſque videt, in opidi Sancti Domnini reſtitutione, per Pontificem facta cui debebatur, hunc ſupremi Judicis, a cujus decretis provocare non licet, partes, munuſque impleviſſe, ac propter ſuam in Parmenſes Placentinosque poteſtatem, libere illum jura ſua omnia fuiſſe executum. Neque enim ob alias rationes, eaſque ab ſe minime explicatas, tantam cauſſam, ad jura majeſtatis pertinentem, ſibi uni perpendendam ac dijudicandam in luce hominum, tribuiſſet. Ex his, aliiſque firmiſſimis, quæ poſſunt adduci, integra atque incolumis Sedis Apoſtolicæ in urbes illas dominatio manifeſtatur, quamvis alioquin leges Imperatoriæ, earumque interpretes doceant, vel minimum quodpiam monumentum ſervatum, ſufficere, ut ſummum hujuſmodi imperium quilibet jure adſtruat. Neque mirandum eſt, ſiquid in illas urbes juris ſibi interdum tribuerunt Imperatores, quando aliis etiam, Sedi Apoſtolicæ citra omnem controverſiam ſubjectis, diplomata ſua largiri non dubitarunt. Urbes enim atque Epiſcopi ipſi ab Imperatoribus in Italiam adventantibus ejuſmodi diplomata implorabant, ut moleſtiis oneribuſque ſe eximerent, quibus indiſcriminatim opprimebantur, neve quæ Pontificum conceſſione poſſidebant, in potentiorum familiarum manus devenirent, quæ, ut contra Epiſcopos ac Pontifices tutæ eſſent, Eccleſiarum bona, ab ſe perperam uſurpata, Imperatorum auctoritate ſibi munire geſtiebant.

V.
Alia Sedis Apoſtolicæ imperii in Parmam ac Placentiam argumenta.

Hoc conſtat ex Sancti Remigii cœnobio in *Berceto* ſeu *Verceto*, a Rege Liutprando primum exſtructo & poſtea una cum toto illo tractu intra *Æmiliam*, ubi mons Bardonis extenditur, a Carolo Magno Eccleſiæ Romanæ donato: quod Carolinum diploma apud Anaſtaſium evincit. Hugo enim Italiæ Rex anno 924. idem cœnobium Erchardo Parmenſi Epiſcopo largitus eſt, & ſubinde anno 1027. Conradus II. Hugoni item Parmenſi Epiſcopo, iis additis locis ac juri-

Ital. Sacr. to. 2. pag. 192. 207. 222. edit. 1.

LIBER II. juribus, quæ ad illud pertinerent. Henricus VI. anno 1195. idem præstitit Episcopo Obizoni, se id facere aperte significans *propter servitia, quæ nobis*, ut ait, *& Imperio intrepide exhibuit, & imposterum videtur exhibiturus*. Anno deinde 1210. Otto IV. pro Obizone eadem sanxit. Sed cum Bercetum, monsque Bardonis ad Sanctum Petrum spectarent, hæc loca ab aliis, quam a Summis Pontificibus, Parmensi Ecclesiæ jure primum tribui non potuerunt. Certe nulla alia de caussa imperatoriis diplomatibus se suaque Episcopi illi muniebant, nisi ut copiis Barbarorum per montem Bardonem in Tusciam transeuntibus, tutius suis rebus consulerent, quemadmodum Joannes Morinus, Scriptor diligentissimus, variis exemplis demonstrat, nec non Philippus Cluverius, in antiqua locorum descriptione tantopere versatus. His adde quod narrat Domnizo de Henrico IV. post colloquium Bibianelli cum Mathilde habitum, quem ait per montem Bardonem in Tusciam profectum.

De temporali Ecclesiæ Romanæ potestate p.610.

Ital. antiqua lib. 1. cap. 28. pag. 294.

Lib.2. c. 18.

FRANCIGENAM STRATAM *tenuit Rex pace peracta:*
Transivit certe tunc incipiente Decembre
Montem Bardonis, Tuscanæ fluxit in oris.

Viam illam Domnizo *Francigenam* vocat, quasi Transalpinorum, Francorum ac Germanorum dixisset, ut Leibnitius de ea nominis significatione observavit: quod etiam ad viam Flaminiam indicandam translatum in actis a me editis alibi occurrit. Biennio tantum post ea, quæ de opido Sancti Domnini, uti diximus, Innocentius III. in Parmam ac Placentiam summo jure gessit, Imperator Otto IV. Nussiæ in diœcesi Coloniensi anno 1201. VI. Idus Junias eidem Pontifici sacramento pollicitus, se ejusque successoribus servaturum ac defensurum omnes Sedis Apostolicæ regiones, ac præsertim *Exarchatam Ravennæ*,

Præfat. ad Codicem Diplom.

Defensio II. pag. 276.

1201.

Raynald. A. D. 1201. §. 15.

næ, quo Parma ac Placentia continentur, *cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici*. In amplissima hujus Augusti Constitutione cum nominatim legatur *Exarchatus*, *Æmilia*, & *Bobium*, supra Placentiam situm, & ab ipso atque a Ludovico Pio sigillatim expressum, quod alii intra *Æmiliam*, alii in *Alpium Cottiarum* provincia collocant, dubitari nequit, quin Otto IV. juraverit se *Parmam*, *Placentiam*que, proprias Ecclesiæ urbes, servaturum ac defensurum: idque eo magis, constat, quod in Ottonis I. diplomate, cujus summam Otto IV. veram agnoscit & comprobat una cum ceteris usque ad Ludovicum Pium diplomatibus, Parma, tamquam limitanea civitas nec non Placentia *per designationem confinium* Bardonis montis ac Berceti, in *Æmilia* positæ præcipue legantur. Octo post annis, anno scilicet 1209. Spiræ idem ratum fecit ipse Otto, ubi ex Ludovici Pii successorumque sententia declarat, *in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu & honore suo* Exarchatum ad Romanam Ecclesiam pertinuisse ac pertinere debere. Raynald. a. D. 1209, §. 10.

VI.
Alia ejusdem summi imperii argumenta.

Ex his publicis celeberrimisque Constitutionibus liquet, summa Ecclesiæ jura in proprias provincias, ac præsertim in *Æmiliam* universam, atque *Exarchatum*, *sicut antiquitus erat* antequam a Carolo Magno in Sancti Petri potestatem redigeretur, Pontifices omnes, Imperatoresque una voce integra semper servasse, ipsosque Pontifices ob nullam vim aut injuriam rationes amisisse; sed ita semper egisse, ut eas non solum Cæsares, verum etiam Imperii Principes legitimas verasque esse confiterentur. Immo anno 1226. quo Friderici II. Constitutio prodiit, Hugo Cardinalis Ostiensis, Apostolicæ Sedis Legatus in Tuscia ac Langobardia, Placentinis summum, ut ea tempora ferebant, magistratum Ottonem Mandellum, Umberto Locato testante, Prætorem, *Potestatem* Pag. 71. vulgo tunc dictum, adsignavit: quod nomen, sicut quis-

LIBER II. quisque intelligit, amplam dominationem, jurisdictionemque demonstrat. *Jus autem creandi Magistratus ad expediendam justitiam, majestatis est, & regalibus Principis adscribitur*, quemadmodum Dux Raynutius II. Germaniæ Jurisperitorum, ac præsertim Arnisæi, Besoldique sententiam secutus, Imperatori Leopoldo publico scripto Viennæ edito significavit. Atque hoc ipsum non uno tantum argumento comprobatur, sed aliis plurimis, deinceps pro re nata explicandis, ut omnibus pateat, an verum sit, necne, Placentiam *plena historiarum fide* in Cæsaris potestate semper fuisse: quamvis ad Sedis Apostolicæ jura corroboranda, quæ hactenus allata sunt, abunde sufficerent.

1236. Anno 1236. inter Placentinos tumultu coorto propter externos milites in urbem inductos, Gregorius IX. Pontifex Honorii III. successor Asculi Episcopo illuc misso imperavit, ut, si pacis conditiones publico bono civium utiles reperiret, servandas omni ope curaret, vel eas ipse pro suo arbitratu emendaret refractarios compescens, utque externis copiis dimissis, militibus in urbe versantibus abeundi faceret potestatem. Id omne ex epistola ad Placentinos a Pontifice scripta discimus, dum anno 1235. nonis Aprilibus se Asculi Episcopum illuc misisse ait, ut *ipsam* (pacem videlicet) *faciat inviolabiliter observari, alioquin vel corrigat eam, si fieri poterit, prout communi utilitati partium viderit expedire: vel de novo inter vos pacis fœdera studeat reformare, compescens violentiam quamlibet, & omnem reprimens vim armorum: venientes in subsidium partium arceat, & existentes in civitate ipsa pro cujusquam vestrum subsidio, ad propria redire compellat*. In altera ad eosdem epistola IX. Cal.

1235.

1236. Apriles anno 1236. scripta legimus, Pontificem quietis ac felicitatis Placentiæ caussa, quam Sedi Apostolicæ subesse dicit, Asculanum Episcopum ad eos proficisci jussisse: *quem ad partes vestras pro pace totius provinciæ destinamus*. Illi inter reliqua imperat, *ut*

Regest. M.s. Gregor. IX. an. X. epist. 9. fol. 138. & 139.

ut pro concordia inter vos inviolabiliter observanda omnem diligentiam & studium interponat, Apostolica auctoritate roborando. Hæc præterea præscribuntur Placentinis: *ejus monitis, consilijs, & mandatis devote & humiliter intendere procuretis, ita quod matrem vestram Romanam Ecclesiam in devotione vestra lætificari contingat*. Clauditur epistola verbis, qui illi minime obtemperarent, eos ab ipso Episcopo pœna afficiendos mandantibus: *ipsi mandavimus, ut auctoritate nostra, contra pacis ejusdem violatores sub Apostolica obedientia procedere non postponat*. Ad Asculanum Antistitem alias ejusdem argumenti litteras dedit Pontifex. Hæc omnia summum Sedis Apostolicæ imperium significant: quæ sine hac ratione a Pontifice gesta dictaque nunquam fuissent: idque maxime patet, dum in alienis civitatibus nunquam Pontifices sibi tantum arrogaverunt. Hoc amplius firmatur ex eo, quod scriptum comperimus in Chronicis Placentinis, urbem illam Jacobo de Pecoraria Episcopo Prænestino Cardinali Legato eo tempore paruisse. Hæc omnia pariter a Blondo, in rebus, quæ hac ætate evenerunt, recensendis, diligenti auctore, affirmantur: qui insuper narrat, annis 1240. 1241. Gregorium de Montelongo Legatum Pontificis omnes urbes & opida *Æmiliæ*, ac præsertim *Mutinam*, *Regium*, *Parmam*, atque *Placentiam* in Gregorii IX. potestate continuisse. Quare sufficere videtur, Gregorium per ea, quæ gesserat quibus temporibus Gibellinorum, Guelforumque dissidia ardebant, quoquo modo edixisse publice atque ostendisse, eas civitates ad nullum alium præterquam ad Pontificatum spectare: suum unice fuisse copias Placentiæ receptas missas facere, quæque recens eo properaverant, dimittere: ad examen pacis conditiones revocare, moderari ac firmare: quibus omnibus ad rectam absolutamque jurisdictionem patefaciendam nihil clarius atque evidentius potest excogitari.

Locatus pag. 77.
Campus to. 2. pag. 156.
Dec. 2. lib. 7. fol. 291. 292.

1241.

VII.
Alia pontificii imperii in Parmam ac Placentiam argumenta.

Interea Fridericus II. omni erga Sedem Apostolicam

licam observantia deposita, consiliariis, ac impiis ministris, qui nunquam desunt, suadentibus, ac præsertim Petro de Vineis ejus Scriba, qui ex Dantis sententia, *utramque cordis Friderici clavem tenuit*, propter impietatem a Gregorio IX. summo Pontifice, ac deinde ab Innocentio IV. in primo Lugdunensi Concilio Christianorum sacris interdictus fuit, hæreticus declaratus, atque Imperatoria motus dignitate. Itaque omni ille sui emendandi occasione contemta, immo effrenata ejus audacia in Sedem Apostolicam magis magisque crescente, sacramentorum immemor, quæ ter palam ac rite, Electorum ordine ceterisque Imperii principibus assentientibus, pronunciaverat, eam omni patrimonio suo denudare contendit. Hinc ut Sancti Petri jura ab ejus crudelitate defenderentur, populique in officio ac fide perseverarent, Innocentii IV. jussu celeberrimus Gregorius de Montelongo Legatus Apostolicus Parmam profectus est: quod Friderici II. ad Capuanos epistola, illis, quas Petrus de Vineis scripsit, inserta, nos docet: unde liquet contra Apostolicæ Sedis civitates, quas *rebelles* vocavit, quod in optima erga eamdem voluntate persisterent, illum cum Ezelino Tyranno conjurasse, ut Pontificis regiones funditus everteret. Philippum Vicedominum tum Parmæ Prætorem Legatus Apostolicus urbis instituta servandi onere levavit *ad instantiam & supplicationem concilii Parmensis pro bono statu civitatis ejusdem*: quod ipse Pontifex confirmavit ad Vicedominum datis litteris hoc pacto incipientibus: *his, quæ pro bono statu civitatis Parmensis fiunt, libenter adjicimus Apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint præsidio communita*. Parmenses anno 1248. de Friderico relatam victoriam, ut ipsemet narrat in Petri de Vineis litteris ac Matthæus Parisius, Mediolanensibus significarunt, etiam nunciantes, Sancti Domnini ac Brixelli opida se recuperaturos. Hinc propter navatam Sedi Apostoli-

Dominium Sedis Apostolicæ pag. 15.

Difensio II. pag. 167.

Lib. 2. epist. 37. pag. 315.

Regest. ms. r. Innoc. IV. an. V. epist. 638. fol. 512.

1248.

Lib. 2. epist. 5.

Histor. Anglor. lib. 3. pag. 734. 746. & in Additamento pag. 164. edit. Londini.

LIBER II.

stolicæ egregie operam tum in Parmensi negotio, tum in Salinguerræ tyrannide a Ferraria urbe avertenda, Legatus de Montelongo anno 1252. ab Innocentio IV. ad Patriarchatus Aquilejensis dignitatem evectus fuit, qua nulla erat illis temporibus in Italia, præter Pontificatum, dignitas major atque præstantior. Quod attinet ad Placentinos, constantiam hi suam atque fidem erga Sedem Apostolicam, ut narrat Alexander IV. contra Fridericum ostenderunt, quanvis anno 1251. Conrado IV. ejus filio faverint, Ubertini Landi artibus, qui in illis locis Gibellinorum familiam ducebat. Paullo post tamen ab Legato Apostolico atque Alberto Fontana Ecclesiæ parere coacti sunt, ut apud Campum Chronica testantur. Hæc anno 1257. gesta sunt: ac Dux Raynutius II. in libro, de quo supra meminimus, eadem Imperatori Leopoldo explicavit, Lando *rebellis* nomen impertiens, & Sedem Romanam in *dominium Placentiæ* rediisse affirmans. Porro anno insequente Placentinorum legationibus impulsus Alexander IV. eos secum & cum Ecclesia reconciliavit, ab hac ideo remotos, quod Uberti Pallavicini, pro Friderico II. vicarium munus obeuntis, partes secuti, Conrado Cæsaris filio studuissent, cum antea contra impie ab eodem Friderico facta constantem ac fidam operam Sedi Apostolicæ impendissent. Hac de caussa ad Abbates Sancti Paulli Mediani ac Sancti Sepulcri ab ipso Pontifice, XIII. Cal. Augustas anno 1256. Viterbii scriptæ sunt litteræ, quibus inter cetera hæc continentur: *olim tempestatis procella per quondam Friderici Imperatoris* TYRANNIDEM *contra salutem* DEVOTORUM *Ecclesiæ ac libertatem ecclesiasticam sæviente, cives Placentini vallo muniti constantiæ, sic ipsius conatibus viriliter restiterunt, ut eis merito posset adscribi, quod nec mors, fames, vel gladius a* DEVOTIONE, *pro qua certabant, Ecclesiæ, ipsos potuerit aliquatenus separare.* Hæc verba ab iis, qui tot insignia & primigenia

1252.
Dominium pag. 23.
Anonymus Patavinus apud Urstisium tom. 1. *pag.* 594.
Raynald. A.D. 1251. §. 43.
Tom. 2. *pag.* 214.
1257.
Remonstratio §. 12.
Campus tom. 2. *pag* 403.
1258.

LIBER II. Sedis Apostolicæ jura non omnino aspernantur, haud quidem ad Imperii vacationem referri debent, sed ea verius dicenda sunt ab antiquis usque temporibus ex summo Romanæ Ecclesiæ imperio perfecta. Pontifex sic postmodum loquitur: *Cumque per mortem ejusdem Friderici tali completo certamine, ac cursu tanti discriminis feliciter consummato, dum non restaret, nisi ut quæ debetur pie certantibus, eis retributionis proveniret corona; ecce (quod dolentes referimus) prædicti cives pravo quorumdam suggerente consilio jam extinctam persecutionem fuerunt conati denuo instaurare, & Fridericum prædictum in sua suscitare quodammodo sobole jam defunctum: quandoquidem Conrado nato ejus fidelitatis præstantes homagium, Ubertum Pallavicinum Marchionem ipsius Friderici Vicarium in suum dominum assumpserunt. O nimis impudentium inconsulta temeritas, quando se jugo servitutis reddiderunt obnoxios, quod* MULTIS TEMPORIBUS *declinarunt, & illi exhibere subjectionis decreverunt obsequia, cujus dominium regnare super se, ipsorum resistentia* NON *permisit!* Ait præterea, postquam ab Ecclesia defecerant, eos fuisse innumeris calamitatibus cumulatos: *o quot & quanta ipsis obvenerunt incommoda, ex quo ab Ecclesiæ matris suæ dulcedine diverterunt!* Deinde inquit, eos se in criminis sui cognitionem venisse, atque ex Pallavicini jugo cervicibus ereptis, per Legatos ad Sedem Apostolicam rediisse. Denique iisdem Abbatibus præcipit, ut a Placentinis erga Ecclesiam fidei jusjurandum recipiant: *discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ab eisdem civibus* JURAMENTO *recepto, quod Ecclesiæ* MANDATIS PAREBUNT.

1264. Anno 1264. qui fuit tertius Urbani IV. Pontificatus, Placentia in Sedis Apostolicæ dominatione versabatur: quod Philippus Fulgosius ejus Episcopus minime probans, denuo a Pallavicino, tum Romanæ Ecclesiæ hoste, eam occupandam curavit. Quare Ordinis Prædicatorum in Langobardia Provinciali, & Præ-

Præsidi Minorum Astæ Pompejæ a Pontifice imperatum, ut profecti Placentiam aliumve proximum locum, & per adductos testes de re probe docti, Episcopo mandarent, ut ipse se aut per procuratorem Summo Pontifici sisteret. Ad hæc Pontifex Pallavicinum una cum aliis Manfredi Tarentini Principis fautoribus e Christianorum commercio exclusit, sacrum bellum contra ipsos denuncians. Paullo post Legatus Apostolicus Simon Sancti Martini in montibus presbyter Cardinalis Placentiam, Pallavicino inde discedente, se contulit. Ab Legato ea in urbe Prætor Reginaldus Scotus renunciatus, qui æque ac alii successores ejus ab eodem Legato, atque a Carolo Andegavensi creati, eam civitatem Sedis Apostolicæ nomine administrarunt, quemadmodum Locatus documentis ex publicis tabulariis depromptis manifeste demonstrat. Ex his perspicue intelligimus, illis temporibus Placentia Ecclesiam vere fuisse potitam, cum per se ipsa Prætores elegerit, imposuerit jura civibus, ac inde tyrannum Pallavicinum expulerit. Insuper anno 1267. Legatus Apostolicus summum in eamdem urbem jus exercuit, dum Ubertini Landi atque ejus sociorum domos funditus sustulit, cum contra Pontificem fœdus percussissent. Hinc in Commentario Ducis Parmensis, typis Academiæ Viennensis edito, hæc occurrunt: *Comes Ubertinus Landus proscribitur a Legato Apostolico, tamquam* REBELLIS, *eique aufertur Bardum in* POENAM REBELLIONIS. Et alibi: *Ubertinus Landus proscribitur a Legato Apostolico Placentiæ, tamquam* REBELLIS *anno 1269. Bardum ei, tamquam* REBELLI, *expugnatur. Rebellis est qui Principis mandata spernit, & ejus armis resistit.* Illis ipsis temporibus Carolus Andegavensis Siciliæ Rex illuc Ecclesiæ nomine Prætorem misit Adalbertum Gambertum a Porta, qui per illam occasionem, ut Locatus, Campusque testantur, multa Sedi Apostolicæ opida ex aliorum manibus recuperavit.

De Orig. Placen. pag. 87.

1267.

Remonstratio Historico-juridica Ducis Parmæ an. 1257. §. 12.

1269.

Locat. pag. 88.

Campus tom. 2. pag. 230. col. 2.

Inte-

LIBER II.

VIII.

Alia argumenta Rudolphi I. Austriaci Declarationibus roborata.

Concil. tom. 11. pag. 998.

Dominium Sanctæ Sedis pag. 15.

Raynald. A.D. 1274. §. 3. — A.D. 1275. §. 2. 37. 38. — A.D. 1278. §. 45. 51. 57. — A.D. 1279. §. 1. & seqq.

Defensio II. pag. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175.

Raynald. A.D. 1279. §. 5.

Interim diu vacante Imperio post Friderici II. eo dejecti obitum, ut competitorum schismata & contentiones tollerentur, Gregorii X. Pontificis auctoritate Rudolphus I. Austriacus in Concilio II. Lugdunensi supra omnes eligitur, licet Alphonsus Castellæ Rex, ut potissimum ipse deligeretur, magna & plurima Ecclesiæ Romanæ obtulisset. Tum Rudolphus non semel, sed quinquies publicis amplisque Constitutionibus, quas Electores, Germaniæque Principes propriis & ipsi tabulis seorsum adprobaverunt, suo, suorumque omnium successorum nomine sanxit, juravitque, se universa opida, urbes, Sedisque Apostolicæ regiones, defensurum ac præsertim *Exarchatum*, quæ eamdem in rem Otto IV. ac Fridericus II. ante præstiterant, palam renovans: idque egit annis 1274. 1275. 1378. 1279. testatus, se in hoc Ludovici Pii, aliorumque Cæsarum usque ad sua tempora consuetudinem, Imperiali dignitati ob munus *Advocatiæ* Apostolicæ Sedis adnexam, imitari, nominatim exprimens *Exarchatum cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, possessiones & jura ad dictam Ecclesiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expressa sive contenta, quæ ipsi Beato Petro, cælestis regni clavigero, ejusque successoribus & eidem Ecclesiæ dimiserunt, renunciaverunt, restituerunt & confirmaverunt, & ad omnem scrupulum removendum, ut melius valeret & efficacius posset intelligi, contulerunt, concesserunt, & etiam donaverunt, sicut in eorum privilegiis, seu literis continetur*. Nulla certe hac amplior, clariorque declaratio cogitatione comprehendi potest. Et tamen in Constitutione postrema, anno 1279. ab eodem Rudolpho vulgata, postquam pro se successoribusque suis jurasset, se *Pentapolim*, *Exarchatum*, atque *Æmiliam* defensurum ac in Sedis Apostolicæ potestate constantissime servaturum, ne futuris unquam temporibus quæstio ulla excitaretur in loca generalibus finibus circumsepta, tanquam futurorum præscius, dif-

difficultates omnes, fortaſſe in poſterum excitandas, in anteceſſum dirimit, dicendi genere, quod latiſſime pateat, verbiſque mox fuſius explicandis, uſurpatis, quorum ſumma eſt, ut omnis de medio controverſia tollatur, utque Rudolphi erga Eccleſiam obſervantia magis magiſque eluceat, illum rurſus ſponte ſua, ampliſſimeque ceſſiſſe, contuliſſe, donaſſe beatiſſimo Apoſtolorum Principi, ſanctiſſimo Patri Nicolao III. Pontificibuſque ſucceſſoribus, Romanæ Eccleſiæ univerſas ac ſingulas regiones, propriis & peculiaribus provinciarum, opidorum, urbium ac locorum nominibus expreſſas vel ſecus: idque perfectum eſſe ait, ut qualibet concertationis diſſidiique ſublata cauſſa, Eccleſiæ res atque Imperatoris vera ac ſtabili pace, concordiaque jungerentur. Si vero aliqua Adverſariorum mentibus adhuc dubitatio inſideret contra Sedis Apoſtolicæ antiqua jura in urbes *Parmam* ac *Placentiam*, Mutinam pariter, Regiumque, tanquam in quibuſdam Imperatoriis Conſtitutionibus non ſigillatim, ſed generatim per *Exarchatus*, *Æmiliæ*que vocabula expreſſas, (etſi nonnullæ aperte indicant *Parmam*, ut diximus, ſimulque eas omnes Romani Exarchi litteræ nominatim ſignificant) quævis ſophiſmata per hanc ampliſſimam Rudolphi declarationem diluerentur, in qua proprii fines exponuntur, iiſque verbis ac ſententiis, quibus validiores & luculentiores fruſtra ipſum ingenii acumen, calumniæque requirant. Verum objicit Pater Hordeus, *Placentiam* ad Imperium pertinere, quod ejus cives *Imperatori Rodulpho III. ſuam fidem polliciti fuerint, rite jurejurando concepto, cujus ratio apud Locatum legitur: ac diutius per ſuos Prætores recta fuerit.* Sic alios ſuper alios pueriles errores atque ineptos cumulat, ut ſæpe illis accidit, qui ad magnam doctrinæ laudem apud ſui ſimiles aucupandam, Chriſtianæ dignitatis parum admodum memores, Sedem Apoſtolicam ſcriptis & maledictis traducere audent. Ex his ineptiis hæc fortaſſe tolerabi-

LIBER II. bilior videtur, cum Rudolphum non *primum*, sed *tertium* appellat, quasi vero duo alii Rudolphi Imperatores præivissent. Quando vero, ex ejus sententia, magni fiat jusjurandum, quod per Rudolphum Imperatoris scribam seu *Cancellarium* coacti Placentini dixerunt, non tantum *Placentia* ad Imperatorem utique pertinebit, verum universa *Æmilia*, Ravenna, Cæsena, Forum-Popilii, Forum-Livii, Faventia, Imola, Bononia, Urbinum, Mons Feretranus, Britenorium, *aliæ*que *Æmiliæ urbes*, a quibus omnibus, veluti ad Imperium spectantibus, inscio Imperatore, scriba idem sacramentum expressit, quamvis hoc antiquorum Cæsarum, ipsiusque Imperatoris Rudolphi decretis maxime adversaretur. *Placentia* pariter inter has urbes adnumerata, Guillelmo Ferrariæ Episcopo, Legati Apostolici nomine ei tunc præsidente, qui cum scribæ impotentiæ resistere non posset, cives eo se jurejurando obstringere permisit, quod apud Locatum exstat, ubi refertur, Placentinos id sacramentum non prius dixisse, quam MONITIONE *facta ibidem per eumdem Dominum legatum*. His auditis Nicolaus III. cum Imperatore conquestus est de actis ab ejus ministro contra declarationes ab ipsomet antea pro Sede Apostolica vulgatas, quando videlicet iterum atque iterum edixit, *Exarchatum* atque *Æmiliam* ad eamdem Sedem spectare, jurejurando spondens, Ecclesiam Romanam se defensurum atque illi sua cuncta servaturum. Quare statim Imperator Gottifredum Soliensem Præpositum in Italiam misit, qui scribæ acta antiquaret, ac Pontifici *litteras* traderet, in quibus post celebrem illam pro Ecclesiæ provinciis declarationem secundum Imperiales Constitutiones *a tempore Ludovici Pii*, hæc leguntur: *verum quia postmodum absque nostro consensu, conscientia vel mandato Rudolphus Cancellarius noster a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopiliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, necnon, &*

Locatus pag. 93.

Raynald. A.D. 1278. §. 52.

ALIIS

LIBER II.

ALIIS ALIARUM *civitatum atque locorum illarum partium, juramentum fidelitatis nostro nomine dicitur recepisse, nos dilectum familiarem, Clericum nostrum, magistrum Gotifredum Præpositum Soliensem, Regalis Aulæ Protonotarium, transmittimus ad vestræ præsentiam Sanctitatis: cui damus præsentibus nostris patentibus litteris in mandatis, ut quidquid per eumdem Cancellarium, seu quemcumque, in prædictis civitatibus, locis & terris, seu per homines ipsarum civitatum, terrarum atque locorum, actum, gestum, recognitum extitit, & prædicta juramenta specialiter, revocet, casset, annullet, irritet; cassa, nulla & irrita nunciet, & omnibus viribus vacuet, volentes & consentientes expresse, quod per hoc* NULLUM JUS NOBIS ACCRESCAT, *vel Ecclesiæ Romanæ depereat.* Quare propter hæc, Viennæ Austriæ IV. Cal. Junias anno 1278. conscripta, Soliensis Præpositus in publico Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatu seu *Consistorio* per scribam gesta abolevit, irrita quoque se prorsus facere declarans *juramenta fidelitatis seu alia, quæ Rudolphus Cancellarius ejusdem domini Regis a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopiliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus & Urbinatibus, Cerviensibus, Foroliviensibus, ac hominibus castrorum Montisferetri & Bertinorii, ac* ALIIS *communitatibus & incolis* CIVITATUM *& locorum partium earundem*, extorserat. Una ex *aliis* fuit *Placentia*, ut jusjurandum manifestum reddit: quod scriba Cæsareus a Placentinis minime expressisset, si tunc Imperio paruissent. Quia vero hæ atque aliæ civitates tunc in Romanæ Ecclesiæ, non autem Imperii, potestate versabantur, ideo scriba Rudolphi easdem sacramentum sibi præstare coegit. Bobium inter has urbes recensitum fuisse, docet ultima Constitutio XVI. Cal. Martias anno 1279. hac super re ab ipso Rudolpho in lucem edita, in qua cum suam de Ecclesiæ Romanæ regionibus ac de *Exarchatu* sententiam declarasset, addit se abrogare plane ea omnia, quæ scriba

Locat. de Orig. Placent. pag. 92.

Raynald. A. D. 1279. §. 45.

 seu

LIBER II. seu *Cancellarius* extorserat *a civibus Ravennatibus, Bobiensibus & aliis aliarum civitatum*: ac deinde subsequentibus verbis hæc amplissime decernit: *& quia decet, regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consuevit inducere, nostra tollat regalis expressio, ac jura ipsius matris Ecclesiæ per nostram declarationem, quam decernimus esse* PERPETUAM, *plenarie solidentur, recognoscimus, fatemur, & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declaramus, civitatem Ravennatem,* ÆMILIAM, *Bobium, Cæsenam, Forum Populi, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montem Feretrum, territorium Balnense, suprascriptas* PROVINCIAS, *civitates, loca & territoria, necnon & omnia supradicta cum omnibus finibus, territoriis atque insulis in terra, marique, ad* PROVINCIAS, *civitates, territoria & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, ad Beatum Petrum cælestis regni clavigerum, & ad vos, Patrem Beatissimum Dominum Nicolaum Papam tertium, & ad ipsam Ecclesiam Romanam pleno jure ac integre non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, in solidum pertinere, ac vestri & ipsius Romanæ Ecclesiæ plenæ jurisdictionis ac principatus existere*. Quis ergo Parmam ac Placentiam pontificii juris esse negaverit, testante Rudolpho, Æmiliæ provinciam *una cum omnibus urbibus ac locis*, quæ illa complectitur, ejusdem Ecclesiæ dominationi subesse? Porro nequis propterea quod ipsæ urbes ac singula agrorum opida ibi non numerarentur, quod certe nimis longum fuisset, ansam in posterum calumniandi & cavillandi unquam arriperet, statim verba hæc adduntur: *& ad omnem dubitationis scrupulum imposterum abolendum, & ut nostra devotio erga ipsam matrem Ecclesiam clarius enitescat, prædicta omnia &* SINGULA *tam* PROPRIIS *seu* SPECIALIBUS *provinciarum*, TERRARUM *atque* LOCORUM *expressa vocabulis, quam etiam* NON EX-

EXPRESSA, *prout melius & efficacius valet intelligi, ipsi Beatissimo Petro & vobis, sanctissime Pater Domine Nicolae Papa tertie, & per vos successoribus vestris Romanis Pontificibus & ipsi Romanæ Ecclesiæ de novo libere, &* PLENARIE *concedimus, conferimus & donamus,* UT SUBLATA OMNIS CONTENTIONIS & DISSENSIONIS *materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent.* Cum igitur *Æmilia, Exarchatus*, ac etiam *Bobium*, ultimus Æmiliæ locus, aut extra ipsam positus, & simul omnes provinciæ, civitates, opidaque ad ipsam vel ad Exarchatum attinentia, nominatim aut generatim sine ulla exceptione recenseantur, quis neget *Parmam* & *Placentiam* Exarchatu atque Æmilia contineri? Hæc palam faciunt, a Rudolpho I. cujus primigenia diplomata in mole Hadriani, atque in Germania etiam in Regesto epistolarum ipsius Rudolphi servantur, ut alibi dictum est, jusjurandum abolitum, quod Rudolphus scriba Imperii a Placentinis extorserat; eosque summæ Romanæ Ecclesiæ potestati redditos: qua de re a Campo quoque admonemur. Ex eo præterea quod Imperator nullum jus, nullum primatum, nullumque beneficium intra agros provinciarum atque urbium, quas memoravimus, sibi retinuit aut retinere potuit, patet, illum sine iis mendaciis & mentis subdolæ inventis, ab Ecclesia damnatis, quibus hodie ob oculos positis boni homines in arctius spatium Apostolicæ Sedis imperium concludere student, Rudolphum Augustum constituisse ac agnovisse, *plenarie*, ut ille ait, & *in solidum* omnia in Sedis ejusdem dominationem tanto ante concessisse. Exploratum quoque est omnibus, post annum 1279. Carolum Andegavensem utriusque Siciliæ Regem, Romæ Senatorem, Ecclesiæque subjectum Placentiæ fuisse dominatum, quemadmodum a Locato traditum est: quod quidem non alio, quam Ecclesiæ ejusdem nomine fieri potuit. Ex his certe intelligitur quanto veritatis amore Pater Hor-

Defensio I. Dominii Pag. 387.

Tom. 2. pag. 4.

De Orig. Placent. pag. 95. 97.

LIBER II.

Hordeus flagraverit, sibi stulte persuadens quidquid apud Locatum offenderat, suæ caussæ favere: cujus tuendæ gratia Feriæ Duci aliisque Mediolani Præfectis venalem operam præstiterat; sed tamen furtim, ne si in alienas manus ejus scripta, putidam assentationem manifeste redolentia, mendaciisque plenissima inciderent, illius crassi errores, argumentorumque levitas ante conspectum hominum justa responsione proferrentur. Ea omnia ejus animus profanæ vanitati omnino deditus excogitavit, quo nulla religiosi instituti abs se suscepti ratione habita, per indignam ac nunquam antea auditam insolentiam eo devenit temeritatis, ut a Sabaudiæ Duce equestrem Sanctorum Mauricii ac Lazari Ordinem deposceret, ut blanda rerum specie Hispaniarum Regum ministros, eorumque vota aleret, inde mercedem affectans, quæ scilicet cum solemni religiosæ paupertatis instituto, cui nomen dederat, apprime conveniret. Verum plerumque accidit, ut hujusmodi lites, Apostolicæ Sedi inique intentatæ, patronos Hordeo similes sortiantur.

Athenæum Mediolanense Philippi Picinelli pag. 59. Italice.

IX.
Placentia & Parma Ecclesiæ dominationem agnoscunt.

Remonstrat. §. 18.

Vide Appendicem in fine hujus operis num. I.

Placentia interea consilio Opizonis Landi, quem Verzusium dixere, Galeatii Vicecomitis, qui ad ejus dominatum obrepserat, tyrannidis jugo excusso, ad Ecclesiæ imperium reversa est. Dux Raynutius II. in Commentario Imperatori Leopoldo Viennæ oblato, rem his verbis testatur: *Placentia plenissime cum omni jurisdictione, meroque & mixto imperio, totoque suo districtu se resignavit* ANTIQUO *dominio & obedientiæ Sedis Romanæ*. Quapropter Joannes XXII. Lando per litteras nonis Novembribus scriptas anno 1322. hac de re gratulatur his verbis: *Quod urbs Placentia sit opera ac diligentia tua a faucibus nefarii* TIRANNI, *& in paterna lue jacentis Galeatii Vicecomitis eruta, & a turbulentis fœdisque dissidiis ad pacem & Sanctæ Ecclesiæ cultum traducta, equidem vehementer lætamur, & immensas Deo agentes gratias plurimum gaudemus, & tibi pariter gratulamur, volumusque non solum dignas* tali

1322.

Campus tom. 2. pag. 60.

Locat. pag. 114.

Calchus histor. Mediolanen. part. 2. lib. 22. pag. 14.

LIBER II.

tali industria laudes feras, sed paria merito præmia a nobis expectes. Se in Landi nepotem, ecclesiasticum beneficium ab eo flagitatum, conferre non posse ait Pontifex, quod ejus merita ignoret: ex quo Pontificis æquitas lucet, qui Landi, licet de Ecclesia optime meriti, beneficium nepoti denegat, propterea quod nihil de ipsius vita atque ingenii facultate sibi constaret. Epistolam claudit, rem integram Legato suo Apostolico deferens, ac monens: *ingratum tamen non erit, ut quamsæpissime ad nos de rebus publicis scribas.* Vicecomes a Pontifice *Tyrannus* vocatur quod civitatem Ecclesiæ sibi inique usurpasset. Præmio se Landum affecturum, pro ea ab se liberata ac Sedi Apostolicæ tradita spondet. Totum Legato urbis regimen committit, se de rebus publicis certiorem sæpe fieri jubens: quæ omnia summum imperium satis superque patefaciunt. Hæc ab Joanne [a] Villanio, & a [b] Sancto Antonino narrantur, qui etiam memoriæ prodidit, per Landum colloquio habito cum Passerino Bonacossa Mantuæ Tyranno *sine scitu vel licentia domini Legati* Placentiæ morantis, motus quosdam in urbe excitatos, timentibus omnibus, ne *tractatum fuisset contra Ecclesiam*. Sed ubi primum Raymundus Cardona Ecclesiæ imperator cum suis copiis adventavit, *accepit dominium Placentiæ pro Ecclesia*, & Landus a Cardinali Legato Avenionem orator missus: quod pariter Joannes [c] Villanius exponit. Andreasius Rubeus anno 1325. *pro Ecclesia* Placentiam Prætoris nomine administravit, [d] Locato, & in Rubeorum historia [e] Vincentio Carrariò, testantibus. Hæc omnia una cum infra memorandis Hordeus, utpote suo scopo plane adversantia, egregie dissimulavit, quod totus in eo esset, ut Mediolani Præfectis Hispaniæque Regi astute persuaderet (animis jam ad id credendum paratis) sæculis omnibus Placentiam nullius agnovisse dominationem, quam Imperatorum, unde cum jus illud in Mediolanenses Duces corrivatum

a) *Hist. Florentina lib. 9. cap. 177. Italice.*
b) *Chron. to. 3. tit. 21. c. 5. §. 4. 6.*
c) *Lib. 9. cap. 201.*
d) *Locat. pag. 115.*
e) *Pag. 63. Ital.*

tum putaretur, ut infra dicemus, consequebatur, eam ad Regem Catholicum pertinere. Pontifex Joannes XXII. in alia epistola apud Campum XV. Cal. Julias anno 1325. ad Legatum Apostolicum data, quod eumdem Legatum Franciscus Scotus gravi de re consuluisset, illi imperat, ut Scoto satisfaciat: *Nos igitur* MANDAMUS, *quatenus convocatis partibus, super his*, AUCTORITATE NOSTRA, *justitiæ complementum facias*. Nemo certe negabit, hoc amplissimum Pontificis jus evidenter hinc demonstrari. Gentis Rubeorum opera summum quoque Sedis Apostolicæ imperium Parma civitas tum agnovit, atque in fine operis hac de re documenta producentur. Paullo post, nempe anno 1328. XVIII. Cal. Julias aliqui ex gente Luporum de Soranea Parmenses cives ob beneficia seu *feuda*, quæ in illis partibus, ad Sedem Apostolicam pertinentibus, possidebant, aureum nummum, *florenum* vocant, ærario Apostolico Avenionensi persolverunt. Census tabulæ cum non sint in lucem editæ, in fine operis una cum aliis collocabuntur,

Histor. Placentiæ tom. 3. pag. 285.

V. in fine num. II. VIII XIII.

X.

Parma summo Romanæ Ecclesiæ imperio subjecta.

Hoc pacto veteri Ecclesiæ potestati Placentia reddita, idem, ut dixi, de Parma facile contigit, quam ut a Vicecomitum pariter tyrannide oppressam reciperet Cardinalis Bertrandus, in Italiam properaverat. Rolandus enim, Rubeorum familiæ princeps, *potissimum operam dedit, ut eadem urbs in fide atque observantia erga Pontificem permaneret*, quemadmodum Italice scribit Carrarius, cujus nos verba in latinam linguam convertimus: suamque optimam erga Ecclesiam voluntatem Rolandus paullo ante ostendere cœperat, cum Cardinalis *in Langobardiam* descendisset, *ut Matthæi Vicecomitis, Canis Scaligeri, Bonacossi, & Marchionis Ferrariensis vires contunderet*: *qui multa opida Ecclesiæ erepta sibi asseruerant*. Addit Carrarius, Legatum ideo in Italiam properasse, ut Ecclesiæ jura, urbes atque opida *contra Italiæ Tyrannos repeteret ac tueretur*. Parmenses tamen cum eumdem Legatum anno 1322. Ru-

Lib. 3. pag. 62. 63.

1322.

LIBER II.

Rubeorum consensu excepissent, Azzo Galeatii Vicecomitis filius, qui eo magnis itineribus contenderat, inde discedere coactus fuit, quoniam inter Parmenses & Bertrandum de re omni convenerat. Bernardinus Corius quoque tradidit, *Parmam* illo tempore *Sedi Apostolicæ fuisse concessam*. Paullo post, anno 1329. Ludovico Bavarico cum Corbario Pseudopontifice ingentes in tota Italia tumultus excitante, in Ecclesiæ regiones impetus factus, & schismaticis ac Tyrannis, utrique studentibus, earum possessio donata: quo factum est, ut Mutina ac Regium Lepidi Sedi Apostolicæ eriperentur, ministris ecclesiasticis inde expulsis. Tunc Orlandi seu *Rolandi* sociorumque Rubeorum consiliis, Joanni Bohemiæ Regi *Parma* se dedidit. *Rem tamen Pontifex minime dissimulavit. Immo magno dolore animi patefacto, litteras publice recitandas Florentiam misit*, Petro Boninsignio narrante. Ideo Cardinalis Bertrandus, tunc Bononiensis Legatus, ad eas recipiendas, Placentinis etiam adjuvantibus, exercitum comparavit, quo Regio Lepidi, Parmæque admoto, statim hæ urbes se illi dediderunt: quibus gestis ita convenit, ut Sedis Apostolicæ nomine illuc Præfecti mitterentur. His passim intellectis, Herberia quoque in Bertrandi potestatem, teste Cherubino Ghirardaccio, ultro se tradidit.

Histor. Mediolani par. 3. fol. 203. pag. 2 edit. Venet. an. 1554. Italice.

1329.

Histor. Florentina lib. 1. pag. 252. 253. Ital.

Hist. Bononien. Cherubini Ghirardaccii tom. 1. lib. 20. pag. 88. Italice.

XI.

Placentinorum legationes summum Ecclesiæ Romanæ imperium agnoscunt.

1331.

Hactenus dicta impensius ex iis corroborantur, quæ Placentini Legati Jacobus Strictus & Ubertinus Arcellus VII. Cal. Decembres anno 1331. in Pontificio Avenionensi palatio coram Joanne XXII. & Cardinalibus publice declararunt, aperte testantes, *quod cum civitas Placentiæ cum suo districtu* IMMEDIATE SUBJECTA SIT AB ANTIQUO *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & cives & habitatores ipsius fideles & subditi* SINT & FUERINT *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domino nostro prædicto, ac universalis potestas & jurisdictio, Rectorum positio & depositio, ac regimen dictæ civitatis & ejus districtus, consilii & universitatis ejusdem ad Romanam Ecclesiam pertineat, dicta-*

V. in fine num. XV.

LIBER II. *Itaque civitas & UNIVERSITAS CUM SUO DISTRICTU IN OMNIBUS ET PER OMNIA Romanæ Ecclesiæ temporaliter sit subjecta*, ideo ipsi in perpetuum antiquæ Sedis Apostolicæ dominationi se dediderunt, sponte sua meri mixtive imperii omni jure se abdicantes, quo vel gratiæ caussa vel propter consuetudinem vel ob alia quæcumque donati fuissent, & proprio, civitatisque nomine acta universa jurejurando firmantes. Quare Pontifex *attendens & recognoscens, dictam civitatem Placentiæ, universitatem & districtum ipsius, ut præmittitur, ad Romanam Ecclesiam* HACTENUS PERTINUISSE *&* PERTINERE DEBERE, delata sibi ultro per legationem excepit, *dictas petitionem, supplicationem, recognitionem, oblationem, donationem & juramenti præstationem devotorum civium civitatis prædictæ & fidelitatem, quam ad Deum & Sanctam Romanam Ecclesiam bis & aliis ostendunt, & ostenderunt, quandiu extra regimen* TYRANNORUM *fuerunt, multipliciter recommendans, libere cum gratiarum actione admisit*. Jam puto a nemine in dubium revocari posse, quin notum compertumque reddatur, illam urbem transactis sæculis, quoties tyrannis non succubuit, semper in Ecclesiæ Romanæ potestate mansisse, veramque originem, qua eadem civitas in Romanæ Ecclesiæ jura transferat, multo altius, quam a *vacante* ob depositionem, obitumve Friderici II. aut Ludovici Bavarici, Imperio, trahendam. Amplissimi ejus mandati tabulas a Legatis productas pridie Cal. Octobres anno 1331. in frequentibus universæ civitatis comitiis conscriptas legimus, tubis atque ære campano undique personantibus, præsente Rudolpho Grassonio, qui *miles & Rector pro Sancta Romana Ecclesia civitatis Placentiæ & districtus* habebatur. Postea in frequentissimo illo concilio cives omnes declararunt *pro se ipsis & eorum successoribus quibuscumque se fideles & subditos esse Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sanctissimi in Christo Patris, Do-*

V. in fine num. XIV.

Domini nostri, Domini Johannis divina providentia ipsius Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Papæ XXII. & ipsam civitatem cum toto districtu suo ESSE, FUISSE *& esse* DEBERE SUPPOSITAM ET IMMEDIATE SUBJECTAM *dominio & regimini temporali dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsum dominium & regimen ad ipsam Ecclesiam* DUMTAXAT *pertinere, & pertinuisse* HACTENUS *& pertinere debere: & cives dictæ civitatis, & quoscumque habitatores districtus ejusdem, dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in* TOTUM, *& immediate* ESSE *& fuisse* SUBDITOS *&* SUBJECTOS. Propterea Avenionem ad Summum Pontificem superius memoratam legationem mittendam Placentini censuerant: atque hæc, jam notissima ac celeberrima, primum Placentiæ gesta sunt, cum adesset Armandus de Fargis Archidiaconus Claromontanus, Bertrandi Legati Apostolici tum Cardinalis Ostiensis, Vicarius. Consiliarii, qui his interfuere atque acta signaverunt, trecenti ac nonaginta sex numerantur: quæ omnia postea in episcopio idibus Octobribus anno 1331. rata reddidere consules, præsidesque Artium, singuli omnia scripto testimonio firmantes. *V. in fine num. XIV.* Hæc documenta tum Avenione a Legatis Placentinis Pontifici oblata sunt, ac deinde per Guillelmum de Peirelha Clericum & *Cameræ Apostolicæ Notarium* in codices redacta. In libris hæc passim leguntur, tum potissimum apud Jacobum Cassolam æqualem auctorem in suo de rebus Langobardorum Chronico, nondum in lucem edito, cujus laciniam huc adferam: *Anno Domini MCCCXXXI. de mense Octobris affectio & dilectio Placentinorum de die in diem in majus aucta erga dominationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, hortando pariter induxit eos, ut omnes tam milites, quam populares unanimiter concitati in pleno consilio se in temporalibus & spiritualibus ipsa die Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecerint potestati, eligentes ipsa hora duos Ambaxiatores, Ubertinum de Arcellis videlicet, & Ja-*

LIBER II.

cobum de Strictis, *qui*, *cum instrumento pleni ad hoc mandati ad Summum Pontificem accedentes*, *ipsam civitatem Placentiæ sibi omnimodo dederunt*: *quam Ambaxiariam Dominus Papa libenter admisit*. Campus e Placentinæ civitatis Regestis desumptas duas epistolas in publicam lucem emisit, tunc hac de re a Pontifice scriptas *dilectis filiis communi civitatis Placentiæ*, NOSTRIS & *Ecclesiæ Romanæ* FIDELIBUS & DEVOTIS. Earum altera Placentinis rationem reddit, quamobrem ipsorum legati (ut ipse ait) *devotionem sinceram* & FIDELITATEM INTEGRAM, *quas ad nos & Romanam Ecclesiam* GESSISTIS HACTENUS, & GERERE NON CESSATIS *continue*, *gratis & placitis obsequiis recensere*, *suamque Ambaxiatam prudenter proponere curaverunt*. In altera, eodem die exarata, potestatem Placentinis facit decreta, leges & alia scribendi ad rectam urbis administrationem, rursus inquiens, illorum legatos, se ac Cardinalibus præsentibus, exposuisse, *quod civitas Placentina cum suo districtu* EST & FUIT AB ANTIQUO *eidem Ecclesiæ Romanæ* IMMEDIATE SUBJECTA, *eidemque fidelis & devota existit & extitit hactenus*, *postquam fuit de manibus* TYRANNORUM *erepta*: *quodque universalis potestas & jurisdictio*, *Rectorum positio & depositio*, *ac regimen civitatis ejusdem & districtus ipsius consilii & universitatis ad memoratam Romanam Ecclesiam pertinet* PLENO JURE, *ipsaque civitas*, *ejusque universitas cum suo districtu in omnibus & per omnia eidem Ecclesiæ* TEMPORALITER EST SUBJECTA, & *tenetur ad recognitionem prædictorum*, *fidelitatemque vobis & vestris Successoribus*, & *Ecclesiæ prælibatæ servandam*. Hæc dicendi genera: *est & fuit ab antiquo*, ad recentia *Imperii vacantis* Ludovici Bavarici tempora minime transferenda, sæculorum præteritorum primigenia jura nobis ob oculos ponunt. Ex magnis Placentinorum gestis ansam arripuit Pontifex Joannes XXII. III. nonas Novembres anno 1322. Parmenses,

Tom. 3. pag. 287.

1322.

V. in fine num. II.

ſes, Guillelmum, Rolandum & Andreaſium de Rubeis, Simonem Azzonemque Corrigienſes proceres, de fidelitate, Eccleſiæ per eos debita, admonendi, quoniam ad antiquum Eccleſiæ dominium olim reverſi, ut antea diximus, poſtea iterum defecerant, neque ſe, a tyrannis oppreſſos, reverti poſſe, cauſſabantur. Petrus Boninſignius hoc pacto id memorat: *eodem anno* 1328. *Parmenſes una cum Rubeis eorum Dominis rebellarunt*: *Parma ab Eccleſiæ poteſtate defecit*: idque per timoris ſpeciem a Tyrannis injecti factum eſt: *non admiſſis exhortationis noſtræ ſollicitis monitis, tyrannica prætenſa formidine vos plurimum excuſatis*, ait Pontifex, ſubinde monens, a Placentinis exemplum eis eſſe ſumendum: *ex felici ereptione civitatis Placentiæ, in qua opprimens vos Tyrannus ille ſuccubuit*. Notatu dignum eſt, Pontifices quoties Parma ac Placentia in aliena dominatione fuerunt, eas ſemper a *Tyrannis oppreſſas* atque *occupatas*; quando vero ad Eccleſiæ Romanæ poteſtatem redierunt, eas abs ſe *recuperatas* dixiſſe: quo vocabulo ſummum Sedis Apoſtolicæ imperium olim partum evidentiſſime declaratur. Hæc etiam verba: *audita nuper civitatis Placentiæ* RECUPERATIONE *votiva*, in ejuſdem Pontificis epiſtola ad Cardinalem Bertrandum leguntur. Perſpicua hæc atque honorifica dicendi genera ſatis oſtendunt, quam præclare Placentini de veteribus Sedis Apoſtolicæ in ſuas civitates juribus docti fuerint: quamque conſtanter, etſi violentia, impotentiaque tyrannorum oppreſſi, jus inſitum animis erga Sedem Apoſtolicam, vere dominam, fidelitatiſque officium retinerent: quod illi ſtatim ac per temporum vices licuit, publica ea nobilique legatione oſtenderunt, qua abrogatum fuit irritumque plane redditum jus quodvis in eas urbes per Imperatorum Vicarios, Vicecomites, alioſque uſurpatum: iidemque tum a Pontifice, tum a Placentinis legatis *Tyranni*, hoc eſt direptores, intruſique nuncupati. In litteris ſupra allatis addit Joannes

Lib. I. pag. 225.

V. in fine num. III. IV.

An. VII. fol. 361.

M 2

LIBER II.

nes XXII. Legatos Placentinos *veterem Pontificum potestatem* confessos, quævis *meri* vel *mixti* imperii jura in Apostolicam Sedem transtulisse, atque omni se auctoritate spoliasse. Quibus omnibus recte perpensis ac repetitis, Pontifex illis antiqua omnia ornamenta firmavit edicta promulgandi, legesque Sedis Apostolicæ nomine pro temporum opportunitate jubendi facultatem largiens, prætereaque civium, criminumque caussis ad profanos homines pertinentibus judices præesse ab Apostolica Sede delectos, nulla ad alios provocandi facultate permissa.

XII. Placentia Ecclesiæ nomine administrata & Vicecomitibus Vicariis tradita.

Regest. m. s. Jo. XXII. an. 17. 18. fol. 271.

Interea XIV. Cal. Septembres anno 1333. Pontifex Joannes XXII. Raymundum Bernardum Sanctæ Arthemiæ Bononiensem Archidiaconum, & Petrum Marinum Bergomi item Archiaconum Vicarios constituit, animi sui sententiam his verbis exponens: *cupientes civitatem Placentiam, quæ* SUB TEMPORALI DOMINIO NOSTRO ET ECCLESIÆ ROMANÆ TENETUR, *status pacifici tranquillitate lætari, libenter personas, per quas confidimus promoveri & confoveri statum hujusmodi, ad ipsius directionem & regimen deputamus*. Hinc eodem die Placentinos omnes hac de re certiores fecit: ac deinde Calendis Septembribus ad Franciscum Scotum, Guillelmum Vicedominum, Gallucium Fulgosium, & Dondacinum Malvicinum litteras misit, ut secum de illa administratione consulturi Avenionem se conferrent, universæ Placentinæ Reipublicæ hac de caussa litteris etiam scriptis: ad quam alias XVI. Cal. Decembres dedit, eam hortatus ad fidem Sedi Apostolicæ servandam, & rebus invigilandum, quas Berengarius de Carifiaco Narbonensis Canonicus, a Legato Bertrando Placentiæ administrationi præpositus, gerendas existimasset. Eodem anno VII. Cal. Novembres Pontifex Azzonem Vicecomitem Mediolani Prætorem scripto monuit, ne vico Martinengi in Parmensi agro, ejusque incolis, cum ad Ecclesiam spectarent, quid detri-

V. in fine num. XX. XXI.

Regest. m. s. Jo. XXII. an. 17. secr. fol. 19.

trimenti afferretur, cum id nisi Sedis Apostolicæ damno fieri non posset: *cum Burgus de Martinengo Parmensis diœcesis cum districtu ac habitatoribus & incolis suis* SUB NOSTRO ET ECCLESIÆ ROMANÆ IMMEDIATO DOMINIO *consistere, sicut tuæ nobilitatis prudentiam ignorare non credimus, dinoscatur.* Post Joannis XXII. mortem ad Benedictum XII. Placentini legationem miserunt: quam is libentissime excepit VIII. Cal. Augustas anno 1335. eorum erga Sedem Apostolicam fidelitatem probans, illisque custodiam urbis ac reliqui comitatus impense commendans, cum Franciscum Scotum de administratione usurpanda meditari intellexisset. Etiam ad Azzonem Vicecomitem & Albertum, Mastinumque Scaligeros se scripturum adjungit; dum enim Placentia ejusque comitatus, ut ait, *sub manu nostra & Ecclesiæ Romanæ gubernatur & tenetur, sicuti etiam* DIUTIUS *sub dominio ejusdem Ecclesiæ fuisse noscitur gubernata*, velle se inquit, ut attenderent, *quod eadem civitas seu pars aliqua comitatus & districtus ejusdem offendi non posset ab aliquo, nobis & eadem Ecclesia remanentibus inoffensis*: ideoque eos a novis rebus sibi cavere mandat, videantque, nequid per alios innovetur. Azzone Vicecomite mense Augusti anno 1339. e vita sublato, Placentini se oppressos iterum propinqua impotentia ejus familiæ sentientes, nimirum Joannis Novariensis Episcopi, Luchini Matthæi filii, & Galeatii, Marci, Stephanique fratrum, qui Bronzinum Caimum per summum nefas Prætorem Placentiæ renunciaverant, nonis Octobribus comitiis indictis, Benedictum de Calice Mediolanensem Avenionem ad Pontificem, sacrumque senatum mittendum decreverunt, *ut in Rectores, gubernatores seu Vicarios ejusdem civitatis & districtus & hominum & personarum eorundem* Joannem & Luchinum Vicecomites, eorum heredes successoresque crearet, illis vicarium munus, merum mixtumque imperium, cuivis jurisdictioni adjunctum con-

Regest. m. s. Bened XII. an. 17. epist. 460. fol. 75.

1335.

V. in fine num. XXII. XXIII. XXIV.

Processus m. s. inter Bononienses & Mediolanenses fol. 169.

LIBER II. concedens, ita tamen, ut ex Pontificis voluntate tributum solveretur, quemadmodum ex mandati litteris nonis Octobribus eodem anno conscriptis maxime patet, ubi additur, nullum alium urbi ipsi, ut quiete suis juribus ac libertate uteretur, præsidium offerri, nisi, ut se regendam, tuendamque Vicecomitibus traderet, eo tempore motibus innumeris Italiam universam misere turbantibus, quod Ludovicus Bavaricus cum Friderico Austriaco Alberti I. Imperatoris filio de Imperio contendens, reus hæresis, injuriaque obtrusus Imperator, declaratus fuisset. Hac de caussà ab iisdem Vicecomitibus Leo de Pugnano, Manfredus Seraczonius & Guidolus de Calice Legati ad Pontificem missi. Quare Pontifex nimiæ Vicecomitum potentiæ ratione habita, quippe qui in multis Langobardiæ civitatibus dominarentur, eos deligendos Placentiæ aliorumque locorum Vicarios censuit, sibi summo Apostolicæ Sedis jure servato, *sive ex* DONATIONE *sive ex præscriptione, vel alio titulo quocunque*; imposito tamen onere, die festo Sanctorum Apostolorum Petri & Paulli decem millia nummum aureorum, quos *florenos* vocant, Sedi Apostolicæ persolvendi. Atque hæc vicaria hujus civitatis a Sede Apostolica Vicecomitibus tradita potestas cum alia aliarum urbium, quæ ad eamdem neutiquam pertinere dicuntur, permisceri non debet. Horum sic meminit Commentarius liber a Duce Parmensi Viennæ Austriæ editus, & Leopoldo Imperatori inscriptus: *Placentia certe anno* 1331. *plenissime cum omni jurisdictione se resignavit* ANTIQUO *dominio, & obedientiæ Sedis Romanæ*. Et paullo post: *Sedi Romanæ successit per vim Vicecomes, inter quem & Sedem Romanam post biennale bellum pax componitur, concessa per Pontificem Vicecomiti civitate Placentiæ in vicariatum perpetuum*. Hæc omnia Vicecomites rata facere VIII. Idus Augustas anno 1341. tabulis publice conscriptis, annoque insequente 1342. Perili de Aliate Mediolanensis pro Placen-

Defensio I. pag. 388.

Defensio II. pag. 200. 201. 202.

Remonst. Ducis Parmæ §. 17.

1341.

LIBER II.

centinis legati munere fungentis opera, census fuit persolutus, ut accepti tabulæ demonstrant VII. Cal. Octobres a Pontifice scriptæ, qui per aliud diploma eos perjurii crimine absolvit ob pecuniam non constituto die in Ecclesiæ ærarium conlatam. Hinc Musæus quavis destitutus ratione & inepte pronunciat, Vicecomites in easdem Parmæ ac Placentiæ urbes summo imperio usos fuisse, *supremo, directoque dominio apud Reges Germanorum, seu Imperatores Romanorum & Italiæ Reges persistente*. Longe aliter Dux Raynutius II. Imperatorem Leopoldum alloquitur, dum ait, Vicecomites Placentiam solum obtinuisse, *tanquam civitatis dominos*, nullique *Imperii* dominio subjectos, *cum Vicariatum eius perpetuum* a Sede Apostolica accepissent. Sed ut falsis, tanquam veris, fides concilietur, sine ulla hæsitatione atque ore impudenti mendacia obtrudi debent, quemadmodum ab omnibus Sedis Apostolicæ hostibus fieri passim videmus.

Regest. m. s. Bened. XII. Bullar. patent. fol. 76.

Commentatio pag. 5.

Remonstr. §. 18. 19.

XIII.

A Pontificibus Vicaria in Parmam potestas Scaligeris adsignata.

1337.

Calendis Septembribus anno 1337. ad Benedictum XII. Albertus ac Mastinus filii Alboini Scaligeri, Veronæ aliorumque opidorum domini, legationem miserunt, ab Azzone Corrigiensi, Guillelmo Pastrengo de Pinea, itemque Guillelmo de Arimundis Jureconsultis, Scaligerorum nomine obitam: quibus Pontifex Parmæ vicariam possessionem confirmavit, onere tamen imposito, ut quotannis die festo Sancti Petri *quinque millia aureorum* solverent ea lege, ut solos decem annos illam potestatem obtinerent, utque pro Ecclesiæ necessitatibus decem ac trecentos pedites alerent, Picenum, Romandiolam, Bononiam ac Ferrariam defensuros: *pro juribus, & bonis dictæ Ecclesiæ defendendis*, RECUPERANDIS *& conservandis*. Quibus etiam hæc addidit Pontifex: *per hujusmodi autem constitutionem & ordinationem per nos factam & receptionem vestram a nobis de Vicariatu prædicto*, JURIBUS ALIIS *ejusdem Romanæ Ecclesiæ & aliarum quarumcumque Ecclesiarum vel personarum Ecclesiastica-*

Processus m. s. in Bononiensis fol. 113.

stica-

LIBER II. *sticarum vel sæcularium, vel Universitatum seu communium, siqua in civitatibus, castris, villis, districtibus, territoriis & comitatibus supradictis quæ. itaque jure speciali vel generali vel consuetudinario, vel alio quomodolibet dinoscantur habere &c. non intendimus aliquam diminutionem vel derogationem afferri, vel præjudicium aliquod quomodolibet generari &c.* Et quanvis Legatis omnia subsignandi facultas data fuisset amplissima Scaligerorum nomine, hos nihilominus Pontifex per diploma cuncta rata facere jussit, sicuti III. nonas Decembres anno 1339. factum est. Hujus vicariæ in Parmam potestatis a Benedicto XII. Scaligeris traditæ mentionem init Bonaventura Angelus in Historia Parmensi: quæ vicaria potestas, licet Ludovici Bavarici tempore concessa, non ideo tamen aliarum civitatum ad Sedem Apostolicam non pertinentium vicariis muneribus permisceri debet. Azzo Corrigiensis anno ante, *montem* quoque *Castrinianum*, in agro Parmensi jacentem, in *beneficium perpetuum* a Pontifice postulavit. Iidem Scaligeri ut suum erga Sedem Apostolicam gratum animum hac in re proderent, ei nonnulla loca adsignarunt, quæ postea Pontifex beneficii jure illis ea lege concessit, ut Sedi Apostolicæ unum auri pondo quotannis persolverent.

1339.

Lib. 2. pag. 174.

V. in fine num. XXV.

XIV.

Quænam Pontifices post Benedictum XII. in Placentiam summo imperio exercuerint.

Clemente VI. in Benedicti XII. locum suffecto, idibus Augustis anno 1345. a Joanne Luchinoque Vicecomitibus solitus *decem millium ex auro florenorum* census in ærarium Sancti Petri conlatus fuit, quemadmodum ex pontificiis accepti tabulis patet. Anno 1346. Guillelmi de Salimbertis, quem *nigrum* dixerunt, opera idem peractum, ut ex alio diplomate XIV. Cal. Decembres scripto satis constat. Post Clementem VI. sedere Innocentius VI. Urbanus V. & Gregorius XI. cui postremo nunciatum anno 1372. Placentinos Viccecomitum tyrannidi subducere se cœpisse, multaque ipsis capta opida occupasse, quamobrem ad

Regesta m. s. Clem. VI. epist. 286.
— an. V. ep. 516. fol. 121.

1345.

1346.

1372.

LIBER II.

ad eos ſtatim Uberto Ravennæ Abbate miſſo, qui ad opus ſtrenue perficiendum animos adderet, litteris Abbati datis hæc de Placentinis inſeruit: ANTIQUAM DEVOTIONEM, *quam vos ad* ROMANAM ECCLESIAM *inter omnes Lombardos ſpecialius habuiſſe cognovimus, jam eſt diu ad noſtram memoriam revocantes, vobis de tot & tantis miſeriis & anguſtiis, quibus tyrannica ſævitia Vicecomitum de Mediolano*, TYRANNORUM CRUDELIUM, ET INIMICORUM DEI ET DICTÆ ECCLESIÆ, *vos crudeliter oppreſſit diutius, & opprimere non deſiſtit, paterno compatientes affectu, ad liberationem veſtram cum ſpe divini auxilii per Eccleſiæ præfatæ & ſuorum* DEVOTORUM *potentiam, quæ eſt Dei, cujus, licet indigni, vices in terris gerimus, & qui filios ſuos propter peccata ipſorum flagellat ad tempus, ſed non in perpetuum iraſcitur, nec in æternum comminatur, intendentes, providimus, ſicut jam experientia didiciſtis*. Pro variis eorum recuperatis opidis ſuam indicare lætitiam pergit, addens illis animos *ad eripiendam de dicta* MANU TYRANNICA CIVITATEM PLACENTIAM, *& alia loca diſtrictus ejuſdem, ac etiam partium vicinarum, & ad obtinendam libertatem, præfatorumque tyrannorum exterminium*. Ad Rempublicam Placentinam has litteras VII. idus Decembres Gregorius XI. ſcripſit, ejuſdemque exempli alias ſeparatim ad illuſtriores civitatis familias, ad Ruſtigaſios, Scotos, Confalonerios, Arcellos, Fulgoſios, Landos, Carios, Palaſtulos, & Rizolios. Berengarium quoque Abbatem Lateranenſem opidis Placentinis ex poteſtate Barnabovis, Galeatiique fratrum Vicecomitum ereptis, præpoſuit.

Bullæ m. s Gregor. XI. an. 2. fol. 81. 82.

V. in fine num. XXVI.

XV.

Alia a Pontificibus ſummo imperio Placentiæ geſta.

1374.

Biennium effluxerat cum anno 1374. VIII. Cal. Apriles idem Gregorius Danielem de Canreto, Hieroſolymitanæ militiæ virum, creavit *Capitaneum generalem in toto territorio Placentino, & circumvicinis partibus* PRO NOBIS *& Romana Eccleſia, ſub obedientia tamen* Guilielmi Sancti Angeli Cardinalis, pro Sede Apoſtolica

V. in fine nu. XXVI.

N vica-

LIBER II. vicario imperio ea loca administrantis. Paullo ante, nempe anno 1347. Ludovico Bavarico e vivis erepto, Carolus IV. Imperator quæ ille contra Sedem Apostolicam molitus fuerat, ea omnia abrogans, V. Cal. Junias ejusdem anni amplissimas Rudolphi I. declarationes Clementi VI. Pontifici firmas ac ratas fecerat. Anno deinde 1355. coram Innocentio VI. annoque 1367. coram Urbano V. eadem egerat, tribus suis diplomatibus integra Henrici VII. diplomata inserens, quibus Rudolphi, aliorumque Imperatorum decreta restituuntur; juransque de more, Sedis Apostolicæ regiones nunquam se invasurum, sed omni ope eas servaturum. Hinc nullo negotio consequitur, eum agnovisse, *Parmam*, *Placentiam*que una cum *Æmilia* universa in Exarchatu positas, & sub Ecclesiæ Romanæ juribus retinendas. Quare Gregorius exercitu comparato, ut ex Vicecomitum tyrannide Placentiam assereret, nonnulla agri opida expugnavit, quæ usque ad annum 1374. Joanne Montacutio illis præfecto sibi retinuit, quanquam Placentia ejus custodiæ commissa non fuit, quæ a Galeatio defendebatur. Gregorio XI. e vita sublato inter Pontificem Urbanum VI. & Pseudopontificem Clementem VII. fœdum schisma coortum est, quod quamvis anno 1417. in Constantiensi Concilio, Martino V. ad Pontificatum evecto, extinctum fuerit, attamen usque ad annum 1429. tanti mali reliquiæ superfuerunt. Anno 1431. Martino V. Eugenius IV. successit, qui bellis domesticis atque alio schismate perpetuo distentus fuit. Quare hinc factum, ut ad usurpatas Sedi Apostolicæ urbes recuperandas Summi Pontifices adjicere animum serio nunquam potuerint. Jura tamen sua integra illi semper, omnibusque nota, servarunt, ad quæ imperatoriis etiam declarationibus robur accessit, per Wenceslaum ac Rupertum veteribus Ecclesiæ donationibus præclare firmatis, qua in re Germanorum Cæsares Rudolphi I. vestigiis institerunt. Hæc omnia subinde pridie Calendas

V. in fine

Raynald. A.D. 1347. §. 3.

Dominium pag. 21.

Defensio I. pag. 98.

Locatur A.D. 1372-1374. pag. 125. & 129.

1374.

Rayn. A.D. 1433. §. 12. 14.

das Junias Sigismundus testatus est in sua constitutione Romæ, Eugenio IV. Pontifice, vulgata: post quem Callistus III. Pius II. Paullus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. & Alexander VI. ad memoratas urbes recipiendas non solum incumbere non potuerunt, verum & alias in Romandiola amiserunt. In eas tamen Ecclesiæ jura ex Ludovici Pii præscripto, in Basilica Vaticana coram Nicolao V. Pontifice anno.1452. palam concepto sacramento Fridericus III. confirmavit, quemadmodum [a] Joannes Nauclerus, atque [b] Æneas Silvius, qui his rebus interfuit, litteris consignarunt. Quare quod Joannes Galeatius Vicecomes anno 1395. ab Imperatore Wenceslao *Dux Mediolanensis* creatus fuerit, & V. nonas Martias anno 1397. una cum suis successoribus *Langobardiæ Dux* declaratus, dum urbes *Regium Lepidi*, *Parmam & Placentiam*, *Bobium*, *Sanctique Domnini municipium* occupabat, quanvis hæc omnia ad Apostolicam Sedem spectarent; non ideo dicendum, ea penes imperium fuisse, & hac de caussa cum *Ducatu Mediolanensi* juste connexa. Vicecomites enim non tanquam *Vicarii Imperatorum*, sed tanquam *Tyranni* eas urbes vi usurpatas in potestate detinuerunt. Hoc Pontificum Declarationes & Imperatorum Constitutiones pro Sede Apostolica in lucem editæ docuerunt. Irritas autem plane fuisse illas Wenceslai pro Galeatio *investituræ* seu dominii tabulas, ex iis etiam apparet, quæ a toto Imperii Electorum ordine anno 1400. gesta sunt, cum Wenceslaum omni prorsus auctoritate privarunt, Ruperto Comite Palatino ad Rhenum illi suffecto, ob hoc crimen inter cetera adductum, quod *accepta pecunia* Joannem Galeatium *Mediolani Ducem* creasset. Insuper tabulæ illæ prodierunt quo tempore ob schisma res Ecclesiasticæ in summo periculo versabantur, & Vicecomites nihil, aut parum certe legitimorum Pontificum partes sequebantur. Quare cum aliis id genus scriptis tabulas abrogatas certo scimus in XIX. Sessione

Dominum pag. 21. 22.

Defensio I. pag. 184. 185.

1452.

a) *Chron. pag. 1077.*

b) *Hist. Friderici III. p. 80.*

Defensio I. pag. 185.

Dupuy Jura Regis Franciæ pag. 127. Gallice.

Corius par. 4. fol. 173. 274.

1400.

Goldast. Constit. Imperiali to. 1. pag. 319.

LIBER II.

Concil. to. 12. pag. 277.

1405.

Chronica Bossiana A. D. 1405. 1410. edit. Mediolani per Antonium Zarotum 1492.

Locatus pag. 135. 148.

Hist. Florentina Boninsignii pag. 84. 85. 88.

Petrus Iustinianus historiæ Venetæ lib. 8. pag. 148.

Comment. pag. 5.

sione Constantiensis Concilii, coram Sigismundo Imperatore coacti, in qua Sessione contra eos decernitur, qui in Ecclesiæ loca impetum *a tempore Gregorii XI.* fecerant. Ad hæc Placentiam anno 1401. in Joannis de Vignate Laudis Pompejæ domini potestatem devenisse accepimus a Donato Bossio: illique cusa numismata, quorum in altera parte ejusdem insignia, in altera Sanctus Bassianus Laudis Pompejæ, Sanctus Antoninus Placentiæ patronus cernitur, atque hæc verba leguntur: JOHANNES DE VIGNATE LAUDENSIS. Præterea Placentini biennio ante se e Vicecomitum tyrannide eripere, Apostolicoque Legato dedere contenderunt, quemadmodum narrat Locatus: annoque 1447. ex aliorum Historicorum sententia, ad Venetos defecere: quibus urbem eripuit Franciscus Sfortia nullis aliis, quam belli rationibus ad id inductus: quibus Parmam quoque sibi usurpaverat. Hinc tandem varios post casus Placentia una cum Parma se potestati Sfortiadum submisit, qui in Mediolanensi Ducatu Vicecomitibus successerant: quorum sub imperio utraque mansit, donec Ludovicus XII. anno 1499. in Italiam profectus, illis potitus est. Sfortiades post Franciscum, Blancæ ex Philippo Vicecomitum Duce postremo natæ, conjugem, eas urbes una cum toto Ducatu quadraginta quinque annos, ut supremi illarum domini, nullaque in re Imperio subjecti detinuerunt, quidquid blateret contraque sentiat Musæus, ea ipsa levitate motus, qua de Vicecomitibus temere id vulgare non dubitavit. Hoc pariter a Joanne de Vignate, hoc a Venetis actum est, non attentis Imperii rationibus, nondum illo tempore excogitatis. Quare Sfortiades detentis, possessisque Ecclesiæ civitatibus nullum in easdem jus Imperio Germanico adquisiverunt, neque Imperatorio nomine quidpiam omnino gesserunt: atque hinc factum, ut Fridericus III. Mediolanum se conferre noluerit, sacra licet præteritorum Cæsarum consuetu-

ſuetudine illuc eum invitante, qui ad Ferream Coronam capiendam eo conceſſerunt. Quapropter a Nicolao V. impetravit, ut ei Romæ coronam imponeret, quemadmodum contigit, Ænea Silvio, qui tum aderat, ut ſupra dictum eſt, certiſſimo auctore: qua de re etiam in Diſſertatione de Corona ferrea ſermonem fecimus. Ergo ſicut Sfortiades, Mediolani Imperatorem minime agnoſcentes, ejuſdem Imperatoris rationibus nullum detrimentum intulerunt; ita cum Eccleſiam Romanam agnoſcere noluerunt, nullum damnum ejuſdem Eccleſiæ ſummo imperio, tunc tyrannica vi impedito, per illos importatum fuiſſe arbitramur. Hinc minime mirum, ſi neque a Vicecomitibus, neque a Sfortiadibus ſua recuperare Pontificibus fuerit integrum, quando ipſis Imperatoribus tot per annos Mediolanum, aliaſque urbes recuperare non licuit, quamvis ipſi Sfortiades cum Vicecomitibus, locorum numero & potentia conferri non poſſent. Pro luculentis Sedis Apoſtolicæ juribus eo magis id verum redditur, quod Bononiæ tribus annis duntaxat ante Conſtantienſe Concilium, coactum anno 1414. Joannes XXIII. dynaſtis de Fliſco, Lavaniæ Comitibus, poſſeſſionem gentilitii ac nobilis beneficii Vallis de Taro in Æmilia ad montem Bardonem & in agro Placentino jacentis locavit, duobus Epiſcopis, Genuenſique Canonico electis, qui eos in beneficii poſſeſſionem immitterent. Fliſcis onus impoſitum, ut Apoſtolicæ Sedi fidem ac jusjurandum darent: & quotannis *Accipitrem* pro tributo perſolverent, quemadmodum ex ipſis tabulis clare percipimus, quarum Fridericus Fridericius in libro de familia Fliſcorum meminit; quæque una cum aliis in Appendice hujuſce operis collocabuntur.

Hiſtor. Friderici III. pag. 79.

Diſſertatio de Corona Ferrea cap. 7. §. 3.

1414.

V. in fine n. XXXVII.

Pag. 72. litt. D.

XVI.

Sedis Apoſtolicæ in Parmam ac Placentiam Jura, nulla Vicecomitum poſſeſſione ac nullo eorum dominio imminuta.

Qui non omnino ratione caret, facile intelliget, an ſummum Sedis Apoſtolicæ in civitates Parmam ac Placentiam imperium a Pontifice Julio II. ſolum incepe-

ceperit, postquam demonstratum est, eamdem Sedem omnibus sæculis summi, rectique imperii sui in illas, illarumque comitatus jura exercuisse, *Tyrannorum* nomine nuncupatis qui easdem Sancto Petro eripuissent, atque omni conatu ad eas recuperandas per Pontifices semper adhibito, cum etiam ipse urbes Ecclesiæ imperium publice agnoverint, Imperatoresque a Carolo Magno palam in Constitutionibus suis adhuc exstantibus eandem veritatem confessi fuerint. Quare nihil erat cur Adversarius diplomata Cæsarea Vicecomitibus in Parmenses Placentinosque concessa tantopere prædicaret. Sicut enim compertum exploratumque esse deberet, hujusmodi *diplomata sola*, quanvis etiam essent genuina, *justam possessionem* eorum, a quibus conceduntur, minime comprobant. Neque dici potest, *naturali* Vicecomitum *possessione* civilem evinci *possessionem* Imperii, cujus nomine illæ urbes possessæ dicuntur. Nunquam enim ipsi, Imperii nomine *veram* & *realem*, ut vocant, possessionem inicre. Quare Ecclesia Romana juribus suis per ea diplomata nunquam exui potuit, quæ in rem *vitiatam* respexerunt destitutamque *justo ac legitimo* principio, quod *ad ordinariam præscriptionem* requiritur. Prætterquamquod leges docent, *tyrannice* atque injuste parta, licet multum temporis spatium effluxerit, nunquam juste retineri posse: nullum tempus posterorum caussæ favere, qui in vitium & culpam, tanquam per manum traditam, succedunt: cumque de rebus *vi possessis* agatur, ad *originem* semper mentis aciem esse intendendam. Ad hæc Vicecomitibus defuit *bona fides*, *tempus*, ac *voluntas*, *qua quis aliquid recte possidendum* tradat: quibus certe iusta dominatio instructa sit oportet, cum a juris consultissimis statutum sit, ut quævis temporis sit valide adducta præscriptio, hæc omnia per se, tanquam fundamenta aliqua, plane requiri. Illud prætereo, quæ ad Ecclesiam atque ad Sacerdotium, non secus ac illa, quæ ad pupillos pertinent, ab hujusmo-

Animadverf. num. 12. §. Ultra.

—Num. 16. §. Quamvis.

Animadverf. num. 131. §. Illa autem.

Defensio I. pag. 236. 237.

Hugo Donellus Commentar. Iur. lib. 5. cap. 14. pag. 198.
—Cap. 17. pag. 202.

Pufendorfius de Iure naturæ & gentium lib. 4. cap. 12. §. 2.

Instit. lib. 2. tit. 6. §. 1. de usucapione.

D. lib. 41. de usucapionibus & usurpationibus tit. 3. l. 9.

LIBER II.

jusmodi præscriptione eximi, civilibus legibus id jubentibus, cum ab Ethnicis pariter hoc prolatum sit: *nihil mortales a Diis immortalibus usucapere possunt*. Verum, ut cominus rem agamus, si ab omnibus Imperatoribus, illisque ipsis, qui per diplomata seu *Investituras* in earum urbium possessionem Vicecomites misisse dicuntur, universam *Æmiliam*, *Exarchatum*, ac nominatim *Parmam* penes Ecclesiam esse, non fuit ignoratum: si hæc eorum decreta, constitutionesque confirmant: si jurejurando polliciti sunt, Sedem Apostolicam se defensuros, servaturosque ea omnia, quæ ei Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius *restituerant* ac donaverant; hinc abunde fit manifestum Imperatores per Vicecomites aut per alios quoscumque nullo unquam tempore *bona fide* duabus illis urbibus Exarchatui detractis potiri potuisse, cum tale quidpiam non essent, *ut in se non haberet vitium*, quod pro *usucapione*, *bonæ fidei* possessori necessarium est. Usucapere enim nihil est aliud, quam longo usu ac possessione aliquid sibi tribuere; quoniam leges eorumque interpretes definiunt, eum, qui aliena possideat, perinde ac sua propria essent, aliis tamen scientibus ea esse aliena, facere id bona fide dici non posse: *usucapere nemo potest, nisi qui idem bona fide possideat. nemo autem possidere bona fide, nisi qui sciat, a quo res accipiatur, ut existimare possit, eum transferendi jus habere id, quod bona fides postulat*. Hæc est Donelli sententia. Ergo cum *mala fides* nihil aliud sit, quam rem alienam, non propriam, possidendi cognitio atque scientia: cumque Constitutionibus, & Imperatorum sacramentis usque a Caroli Magni temporibus comprobatum sit, *Exarchatum* atque *Æmiliam* ad Sedem Apostolicam spectavisse; nulla ratione dici poterit, ab Imperatoribus ignoratum, Parmam ac Placentiam, *Exarchatu*, *Æmilia*que comprehensas, ejusdem Sedis Apostolicæ juris esse, idque eo minus, dum ea ipsa ætate, qua illæ civitates a Vicecomitibus,

Cicero in nat. de Harusp. respon. &c.

Instit. lib. 2. tit. 6. §. 10.

Defensio I. Dominii pag. 236.

Lib. 5. cap. 1. pag. 182.

Dominium pag. 21. 22.
Defensio I. pag. 185.

bus, Sfortiadibusque occuparentur, Imperatores Wenceslaus, Rupertus, Sigismundus, ac Fridericus III. pro Sede Apostolica ea de more declaraverunt, quæ olim ipsorum majores declaraverant, eo modo, quo in Comaclensibus libris jam demonstravimus. Neque vero citra Imperatorum ac veritatis injuriam pronunciari potest, eosdem Imperatores in *supina ignoratione*, unde *bona fides* oriatur, jacuisse. Hoc enim pacto dicerentur omnes ignoravisse rem ubique pervagatissimam, nimirum quænam essent *Exarchatus*, *Æmiliæ*que civitates quando Ecclesia earum possessionem inivit: cumque talis ac tanta *facti ignoratio* fingi nequeat, ne illa quidem *bonam fidem* potuit producere. Tum enim *Exarchatus* atque *Æmiliæ* fines immutabiles, stati, certi, notissimique habebantur: quod nos & publicis tabulis æqualibusque auctoribus, quibus sanæ mentis homines credere debent, satis superque fecimus manifestum. Quare iidem fines, apud omnes a clarissimis Scriptoribus, publicisque monumentis tantopere celebrati, per Imperatores, perque eorum ministros non probe cognosci non potuerunt. Quod cum ita se habeat, si omnibus Cæsaribus post Carolinos veri *Exarchatus*, *Æmiliæ*que fines noti fuere propter Pipini, Caroli Magni, ac Ludovici Pii Constitutiones, ab ipsis palam adductas, quippe quas suis ipsimet oculis viderint, sacramentis ac novis decretis publice firmaverint atque innovaverint, si eorum indigebant; fieri non potest, ut *bona fide* decepti aliquam Ecclesiæ civitatem occupaverint, ac ita potissimum Vicecomites in Sedis Apostolicæ urbium possessione conquieverint, ut Pontifices falsis eorum juribus non fuerint subinde adversati. Id præterea satis superque elucet ex eo, quod omnibus temporibus hæc eadem Pontifices ab Imperatoribus declarari ac confirmari curaverunt: quod aperte significat, Vicecomites Ecclesiæ loca, tanquam dubia dominatione falsos, atque in ea ab iisdem Pontificibus suaviter relictos, nunquam

D. lib. 22. de Iuris & facti ignorantia tit. 6. L. 9.

D. lib. 14. de Institoria actione tit. 3. L. XI. §. præscribere.

Pufendorfius de jure naturæ & gentium lib. 4. cap. 14.

LIBER II.

quam possedisse. Hæc omnia *usucapionem* circumstant, bono publico repertam, ne, quemadmodum Cajus Juris consultus loquitur, *rerum dominia in incerto essent*. Hoc ex fonte est orta *præscriptio*, cujus caussa antiquus & primus dominus, sine usucapioni facto, nimirum usu possessione absoluta, de omni, quod illi ante fuerat, decedit jure. Ideo Vicecomitibus necessaria hæc *usucapionis* ratio cum semper defuerit, dicendi sunt utramque urbem sibi detinuisse per *usurpationem*, quæ ex Paulli jure consulti sententia, nihil aliud est, quam *usucapionis interruptio*.

Defensio I. Dominii pag. 236.

D. lib. 41. de usucapionibus & usurpationibus tit. 3. L. 1. & 2.

XVII.
Possessio Parmæ ac Placentiæ a Vicecomitibus inita, Sedis Apostolicæ jura non extinxit.

Nunc superest ostendendum, ante Julium II. contra Sedem Apostolicam quamlibet fuisse *præscriptionem* impeditam, cui sit *bona fides* atque *usucapio* necessaria. Quare Vicecomitibus, Sfortiadibus & postmodum Francis *Parmam* ac *Placentiam* occupantibus usque ad annum 1511. nunquam licuit Imperatori Wenceslao ejusque successoribus bonam fidem juste postulare, aut contra Ecclesiæ dominium præscribere; idque eo minus, quod, perpetua declarationum Imperialium serie prætermissa, illud consensu omnium statutum est, schismatum, bellorum, hæresum temporibus, ac vacuis pontifice sedibus, contra eamdem Ecclesiam quancunque præscriptionem desinere: idque etiam eorum, qui ullum adsignant contra Ecclesiam præscriptioni locum, sententia firmatur. Itaque enumerato tempore, quo urbes illæ sub aliena potestate jacuerunt, nimirum ab anno 1374. ad Julium II. hoc est ad annum 1511. illoque etiam attento, quod inter schismata, hæreses, vacuas Sedes, ac bella intercessit, perspicuum fiet, nullum tempus, licet brevissimum, earum urbium usurpationi jure favisse, non solum, si *centum* illos spectemus *annos*, qui de aliorum sententia ad præscribendum contra Ecclesiam requiruntur, sed etiam si cursum triginta annorum consideremus, qui ordinariæ ac privatæ præscriptioni conveniunt. Quamobrem quod attinet ad Julium II.

D. lib. 41. de acquirenda possessione tit. 3. L. 49.

Defensio I. Dominii pag. 235. 236. 237.

LIBER II.

lium II. rationibus ille veteribus ac recentibus fuit locupletissime instructus, ut repeteret eas civitates, veluti antiquum patrimonium, ditionis Ecclesiæ finibus inclusum, quos Carolus Magnus descripserat *per designationem confinium*: ac per *Tyrannos* Vicecomites & Sfortiades Ecclesiæ vi detractum, nulloque jure possessum, quod ad justam dominationem in ipsos traducendam valeret; retentumque sine illa æqua Libanii conditione, quam alibi retulimus: *non ideo protinus jure quis possidet, quia rem nactus est, sed ita demum, si* CITRA *culpam*. Missam hic facimus temporis interjectionem, quo Placentia in Vignatis ac Venetorum potestate permansit: diploma seu *Investituram* Vallis de Taro anno 1414. a Joanne XXIII. Fliscis concessam: jussumque anno 1419. Delphino Abbati de Casanova datum, ut Parmam, veluti ad urbem Exarchatus, proficisceretur quo tempore ab Episcopo Magalonensi Vicario Archiepiscopi Narbonensis, Martini V. quæstoris, delectus fuit, ut Romandiolæ atque *Exarchatus jura*, Apostolico ærario debita repeteret vectigalia, reddituſque annuos exigeret. Ergo omni ex parte evidentissimum fit cuique, modo contra Sedem Apostolicam ipsamque veritatem se male affectum non prodat, *Parmam* ac *Placentiam* nullo jure Ducatui Mediolanensi adjunctas interdum fuisse, ac multo minus hoc tempore adjungendas, quemadmodum multæ aliæ urbes ad eum neutiquam pertinent, in quas Vicecomites imperium, sive ut verius dicam, *tyrannidem* aliquando exercuerunt.

Declamat. 1. tom. 1. operum pag. 194. edit. Parisiensis 1606.

Martini V. lib. 11. m. s. divers. fol. 133.

XVIII.
Hactenus narrata quanti facienda.

Omnes Christianorum Principatus passim suspici audimus, nec quisquam patitur, ut suæ primæ origines, juriumque veterum aut recentium veritas in dubium controversiamque vocetur. Unam Romanam Ecclesiam ob malevolorum obtrectationes in hujusmodi angustias sæpe redactam videmus: quo infortunio ceteri viri Principes eximuntur. At nihilominus illa in caussæ suæ firmitate confisa, æquo animo sustinet

ſtinet non ſolum dominii ſui primordia libentiſſime oſtendi, verum perpetuæ poſſeſſionis ſeriem ac jura certiſſima in vetera patrimonia, quæ in Sancti Petri ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Principis ac fundatoris honorem primus Occidentis Imperator Deo religione ſingulari devovit. Itaque meritiſſimo affirmari poteſt, nulli Principatui tam veram, glorioſamque originem contigiſſe, quam quæ Sedis Apoſtolicæ Principatibus contigit: quam quidem originem in omnium Chriſtianarum gentium monumentis ſacra quadam ceremonia expoſitam, comprobatamque intuemur. Atque hi Principatus non ſimplici nudaque eorum nominum recitatione in ejus poteſtatem ceſſerunt: quod tamen pro ſolido fundamento ſufficeret; ſed certiſſimis ſignificationibus *terminorum*, quos nec mobiles, nec incertos; ſed *immutabiles*, ſemperque duraturos, non privati homines, Summive Pontifices conſtituerunt, ſed qui eoſdem *terminos* conſtituendi maxima auctoritate polleret, nimirum talis tantuſque Imperator, qualis fuit Carolus Magnus, a quo ejuſmodi *fines* montibus, urbibus limitaneis, celeberrimiſque fluminibus, nunc quoque exiſtentibus, circumſepti fuere. Quos celeberrimos *fines* ubi Carolus definivit atque deſcripſit, in Baſilica Vaticana ſuper Principis Apoſtolorum corpus diploma hæc docens religioſiſſime poſuit. Ipſe vero & Pipinus pater in tanto negotio perficiendo magnorum & ſanctiſſimorum virorum, Chrodegangi Metenſis Epiſcopi, Fulradi Sancti Dionyſii, & Angilberti Sancti Richarii Abbatum legationibus atque opera uſi ſunt. Porro hos *fines* Caroli ſucceſſores pactionibus & coram Summis Pontificibus Chriſti Vicariis palam conceptis ſacramentis comprobaverunt: quorum quidem Pontificum alios Eccleſiæ faſtis inſcriptos, alios inſcribendos, tamquam *Sanctos* veneramur. Ex quibus omnibus facile colligitur quantopere non modo Chriſtianas, ſed quaſcunque aures, ad quas Juris gentium nomen pervenit, hodie offen-

Bolland. Acta Sanctorum tom. 3. Febr. pag. 32. 88. —Martii to. 1. pag. 452.

LIBER II. dat audire, multoque magis spectare conatus, ab omni justitia plane alienos, universo terrarum orbi prorsus novos, & nunc primum vulgatos, tot nempe argumentorum pondus & numerum jam tandem impugnadum, infringendumque; nulla verendæ Summorum Pontificum totque Imperatorum memoriæ ratione habita, ne dicam divinis humanisque legibus contemptis, quæ hisce minis tam aperte reclamant, ut omnes norunt.

Finis Libri secundi.

HI-

HISTORIÆ SUMMI IMPERII SEDIS APOSTOLICÆ IN DUCATUM PARMÆ AC PLACENTIÆ

LIBER III

Qui summi imperii Ecclesiæ Romanæ in PARMAM *ac* PLACENTIAM *acta & argumenta a. Julio II. Pontifice ad* CLEMENTEM XI. *complectitur*.



I. **Parma ac Placentia a Ludovico XII. Sfortiadibus ereptæ, Julio II. ex fœderis lege atque Imperatoris Maximiliani I. cessione, se dedunt.**

AMPLISSIMA jura Ecclesiæ Romanæ in Parmæ, Placentiæque Principatus a sæculo VIII. æræ Christianæ ad XV. cumulatissime hactenus explicuimus. Quæ quanti habenda sint, æquis rerum æstimatoribus atque illis, qui naturæ gentiumque leges minime respuunt, dijudicandum relinquimus. Interea ad sæculum XVI. perventum est, quo ineunte Summus Pontifex Julius II. easdem civitates ex aliena possessione recuperavit, tot tantisque juribus fultus, ut hæc per se sola, atque etiam ex parte, illi recuperationi satis su-

LIBER III.

superque fuissent vel sine aliis recentioribus, quæ ubertim in eo rerum statu ceteris accessisse, statim intelligemus. Jam primum omnium ex frequenti splendidoque cunctorum historicorum testimonio abunde constat, Regem Christianissimum Ludovicum XII. mense Septembri anni 1499. magno cum exercitu in Italiam properavisse, quod Mediolanensem Ducatum ad se pertinere contenderet, quippe qui ex Valentina Joannis Galeatii Vicecomitis filia, Ludovico Aurelianensium Duci ejusdem Regis avo nupta ortus esset. Ducatu illo, simulque *Parma* ac *Placentia* occupatis, Ludovicum Sfortiam, cognomento *Maurum*, inde expulit, qui fuga arrepta ad Rhætos se contulit, unde captivus in Galliam ductus, ibidem postea obiit. Hinc Maximilianus I. Imperator avus paternus Caroli V. *centum millibus nummum* acceptis, Ducatus possessionem Regi Ludovico firmavit: qui postea ob nimiam potentiam non solum Italiæ, sed etiam universæ Europæ adeo se invisum reddidit, ut contra illum inter Pontificem Julium II. Ferdinandum Catholicum Aragoniæ Regem Caroli V. avum maternum, & Venetos celeberrimum fœdus percussum fuerit: cui mox accessere Helvetii, Henricus VIII. Angliæ Rex, atque ipse Imperator Maximilianus, qui ex Germania cum ingenti agmine Maximilianum Mariam Sfortiam Ludovici filium eo proficisci jussit, hæc testantibus [a] Joanne Tarcagnota Neapolitano in suis historiis, & duobus Hispanis, Petro [b] Messia in Maximiliani Imperatoris, ac Prudentio [c] Sandovalio in Caroli V. vita, ita ut, ex [d] Augustini Justiniani sententia, *in rebus antiquis contra unum Principem nullo unquam tempore tanta conspiratio facta legatur*. [e] Hieronymus Borgia, Hispaniæ Regibus parens, qui rebus illis interfuit, tot Principes inter se fœdere conjunctos memoriæ prodidit, *ut res Pontificis ab Gallis, aliisque adversariis occupatas recuperarent, & ipsum Pontificem, primarium Reipublicæ Christianæ caput, obni-*

Puteani Iura Regis Galliæ pag. 130. Gallice.

1499.

Scipio Admiratus in Historia Florentina tom. 3. lib. 28. pag. 296. 303. Ital.

a) *Hist. Mundi part. 4. lib. 62. fol. 375. pag. 2. edit. 1610. Ital.*

b) *Vita Imperatorum pag. 1042. edit.Ioliti Italice.*

c) *Vita Caroli V. tom. 1. pag. 34. 36. Hispanice.*

d) *Annales Genuæ lib. 8. fol. 263. Italice.*

e) *M.S. de Bellis Italicis lib. 5.*

nixe tuerentur. (a) Michael Coccinius Tubingensis pariter ait, fœdus illud *ad res Ecclesiæ Romanæ recuperandas*, fuisse percussum. (b) Hieronymus Zurita, qui Aragonensis Regni Annales descripsit, fœdus anno 1511. IV. nonas Octobres ictum testatur, ex fine suo *sanctissimum* dictum, & *propter Bononiæ, & aliarum Pontificis, Ecclesiæque regionum restitutionem* factum fuisse affirmans. Eadem quoque a (c) Joanne Mariana in Historiis Hispanicis amplioris editionis sermone Castellano in lucem emissis, traduntur. Porro ante aliquot menses præter Imperatorem, Angliæ Regem & Venetos a Catholico Rege impense excitatos, ut secum fœdere jungerentur, (d) Alvarus Gomesius in Francisci Ximenii Cardinalis vita memoravit. Ideo Pontifex ad Imperatorem & Helvetios Matthæum Schinerum Seduni Episcopum, hac de caussa Cardinalem *Sedunensem* dictum, legatum misit, qui a (e) Paullo Jovio cum Matthæo Lango Cardinali Gurcensi miscetur. Franciscus (f) Guicciardinus de hoc fœdere hæc habet: *Quinto Octobris die coram Pontifice, pontificisque collegio in divæ Mariæ Popularis* (hoc est ad Portam Flaminiam) *solemni ritu fœdus promulgatum fuit, non solum ad Bononiam, sed reliqua opida & loca quocumque modo ad Pontificatum spectantia, recuperanda.* Sed repetam ipsa fœderis verba ex articulo XII. inter Ludovici XII. epistolas: ut nempe Ecclesia præter Bononiam, possessionem repeteret *aliarum* QUARUNCUNQUE CIVITATUM, *terrarum, arcium & locorum ad eandem Ecclesiam pertinentium & spectantium*, a QUOCUNQUE QUALITERCUNQUE OCCUPENTUR. Petrus Martyr Anglerius Aronensis, tunc in Aula Regis Catholici adminiſter, in epistola Cal. Novembribus anno 1511. ex civitate Burgensi scripta, hisce verbis idem fœderis caput complectitur: *Fœderatos in Gallum cum Pontifice ferunt & nostro Rege, Venetos. Isti autem fœderis leges editæ sunt, ut Rex, Venetique adsint ad recuperandas* DE

a) *De bellis Italicis inter Scriptores Germanicos Marquardi Freberi tom. 2. pag. 274.*

b) *Annales Aragonenses to. 6. lib. 9. cap. 38. Hisp*

c) *Historia Hispaniæ tom. 2. lib. 30. cap. 5. pag. 675. edit. Matrit. Hispanice.*

d) *Lib. 4. pag 1062. to. 1. Hispaniæ illustratæ.*

Raynal. A.D. 1511. §. 4.

e) *Elogia virorum bellica virtute illustr. lib. 5.*

f) *Historia Italiæ per Coelium Secundum Curionem latine reddita lib. 10. pag. 348. edit. Basil. 1566. in fol.*

Tom. 3. pag 65.

Lib. 24. epist. 467.

1511.

LIBER III. DE CUJUSCUNQUE INJUSTE *possidentis potestate facultates Ecclesiæ*, *nec quispiam eorum pedem ex fœdere referat*, *nisi rebus Ecclesiæ* AD UNGUEM *sit* CONSUSTUM. *Prius aperte in Gallum*, *licet nomine signetur nemo*, *conventum est*, *quandoquidem is est*, *qui tutari profitetur* ECCLESIÆ TYRANNOS. Addit Anglerius tum speratum fore, ut Angliæ atque Hungariæ Reges eidem fœderi nomen darent. A cunctis scriptoribus *una voce* proditum est, eo fœdere inter alia statutum fuisse, ut urbibus & locis e dominatione Gallorum ereptis illi potirentur, ad quos ea jure spectassent: atque hoc ipsum caput fœderis, Cardinali Pallavicino teste, postmodum Carolo V. ostensum est. Immo ipse Imperator Maximilianus *Parmam* ac *Placentiam*, ut infra dicemus, Romanæ Ecclesiæ ultro concessit. Ergo tot fœderatorum concordi auctoritate Sfortia ac Cæsar Mediolanum, Pontifex ceteris scientibus & consentientibus, *Parmam* ac *Placentiam*, suaque loca Veneti recuperarunt. Gomesius fidem facit, Regem Catholicum illa tempestate Pontifici auxiliaturum, transitum in Africam, quem animo agitaverat, in aliud tempus distulisse, atque a Cardinali Ximenio Summo Regis ministro, Sedisque Apostolicæ amplificandæ apprime studioso, Julium ad rem adgrediendam excitatum, *quem incredibili animi vigore Ecclesiæ patrimonium tueri animadvertebat*, & TYRANNORUM *conatus & vires infringere*. Gomesius addit, Ximenium, quo Julius in fœdere proposito firmius perstaret, magnam vim auri misisse: *ut nulla adversariorum potentia aut machina debilitatus a proposito suscepto discedat, neve pessimis hominibus Rempublicam Christianam evertendam & dilaniandam permittat*. Maxime esset optandum, ut omnes, qui magnorum Principum lateri adhærentes, id genus muneribus funguntur, in hujus præstantissimi ministri instituta ac facta, ut suæ, Principumque gloriæ consulerent, animum intenderent. Post ictum fœdus statim a Ferdinando Cardinalis Xime-

Hist. Concilii Trident. lib. 11. cap. 3. num. 2. edit. 2. Ital.

Vita Card. Ximenii lib. 5. pag. 1058.

menius de eo certior factus fuit per literas XVI. Cal. Novembres anno 1511. scriptas, in quarum fine Rex significat se Christianissimo Regi nunciavisse, vires omnes se colligere velle, quo Ecclesiæ (ut ait) *auctoritatem defendamus & vim omnem &* TYRANNICUM *impetum a communi matre propulsemus*. Hæc tam perspicue de *tyrannis* opprimendis pronunciata, ut ereptum Pontificatui patrimonium ex eorum manibus *recuperaretur*, aperte significant, fœdus ideo fuisse percussum, ut quæ ad Romanam Ecclesiam quocumque jure pertinerent, eidem redderentur; non autem una *Bononiam* ac *Ferrariam*, quemadmodum Guicciardinus postquam vera narrasset, temere, inconstanterque scripsit, alios tamen, licet nominatim haudquaquam expressos, dictorum suorum auctores faciens arte illa sua, qua sæpe utitur, ut in hominum animos suas ipse cogitationes injiciat contra legem atque institutum historico præscriptum, cui summa fide, hoc est, sine partium studio res gestæ narrandæ sunt. Sed alibi de Guicciardino. Arnoldus Ferronius Gallicam Paulli Æmilii historiam prosecutus hæc litteris mandavit: *Placentia & Parma* EX FOEDERE *Julio cessere*. Ferronio concinit Panvinius; nam iis recensitis, quæ fœdus consecuta fuerunt, *eo modo*, ait, *paucis diebus Mediolanense imperium Gallis est ereptum, & Maximiliano Sforitiæ Ludovici Mori filio, uti legitimo Principi, ex Cæsaris auctoritate, cujus beneficiarium est, Julii II. Pontificis, Venetique Senatus auspiciis, & una maxime Helvetiorum virtute restitutum Laterani in* CONCILIO *pro Cæsare Matthæus Langus Cardinalis Gurcensis, Imperatoris in Italia procurator*, APPROBAVIT. *Nec mora, Bononia, pulsis Bentivolis, Ravennaque recepta*, PARMA & PLACENTIA EX FOEDERIS LEGIBUS *Pontifici* TRADITÆ. Hinc facile percipi potest quonam fundamento innixus hæc verba Musæus proferre non dubitaverit: *Parmam & Placentiam Pontifex cum pristino domino restituere debuis-*

Ibid. pag. 1060.

De rebus Gallorum lib. 4. *pag.* 80 *edit. Basileen. anni* 1601.

Vita Julii II. *pag.* 346. *col.* 2. *ad calcem Platinæ edit. Colonien.* 1626.

Commentatio Musæi Pag 6.

LIBER III. *buisset, sibi attribuit, & ad annum usque 1515. quo Franciscus I. Galliæ Rex iterum occupavit, Ecclesia Romana* SINE TITULO *apprehensam, usurpatamque retinuit*. Cæsar Campana Regis Hispaniæ cliens, in Philippi II. Regis Catholici Vita cum ceteris scriptoribus convenit, atque etiam in Ecclesiæ Mediolanensis Historia Josephus Ripamontius, nihil magis Pontifici curæ fuisse narrans, quam ut recuperaret PATRIMONIUM APOSTOLICUM, *& repeteret armis quæ* PER VIM *aut* FRAUDEM OLIM *essent intercepta loca*: quibus adjicit, Aragonensem, Anglum, ac Cæsarem Gallorum potentiam formidantes se simul fœdere conjunxisse, quod illis futurum perniciosissimum animo providerant. Omnes ergo Historici, atque hi præstantissimi, & Austriacæ gentis imperio plerique subjecti, adeoque Cæsareorum, quam Ecclesiæ Romanæ jurium studiosiores, uno consensu tradunt, fœdus illud ideo potissimum factum, ut Apostolica Sedes civitates ad se pertinentes ab aliorum potestate recuperaret: qua occasione Imperium ipsum *Mediolani Ducatum recepit, Maximiliano Sfortia Duce beneficiario illuc introducto non sine* MAXIMA *Sedis Apostolicæ* IMPENSA, *propter quam non minus* MEDIOLANUM *Imperio, quam Parma & Placentia Ecclesiæ postliminio accesserunt*, ut vere scripsit Cardinalis Alexander Farnesius ad Carolum V. anno 1549. atque etiam ad Petrum Bertanum ex sacra familia Prædicatorum, tunc Fani Episcopum, ac postea Cardinalium numero adscriptum, qui eo tempore apud Carolum pontificii Apocrisarii munere fungebatur. Sicut vero ab omnibus variarum gentium scriptoribus, quos nec venales, nec Apostolicæ Sedi nimio studio deditos hactenus adduximus, ipsa fœderis capita, universo Orbi notissima, tunc passim audita, vel postmodum lecta sunt; ita hoc tempore qui post tot luculentas rationes obstinato animo vellet contra sentire, is apud viros æquos ac probos haud-

Vita Philippi II. par. 2. dec. 3. lib. 2. fol. 34. pag. 2. Italice.

To. 2. lib. 14. pag. 923. 931.

Lib. m s. diverf. 54. fol. 95.

qua-

LIBER III.

quaquam sibi magnam laudem promereret. Non loquor de aliis, quorum acclamationes & plausus ubi de damnis & offensionibus Apostolicæ Sedis agitur, nunquam desunt. Quamvis post tantam æqualium testium copiam novos adhuc in medium proferre supervacaneum videri posset, nihilominus Raynutii II. Parmensium & Placentinorum Ducis ad Imperatorem Leopoldum sententiam adferam: cui auctoris dignitas maximum pondus adjungit: *per conditiones*, ait, *fœderis initi inter Maximilianum Sfortiam & Julium II. Romanum Pontificem consensu Maximiliani I. de expellendis e statu Mediolani Gallis*, PLACENTIA & PARMA (*Gallis inde expulsis*) *cesserunt Pontifici nedum pro belli expensis, sed etiam pro juribus, quæ Romana Sedes in his civitatibus habebat*. Hoc scriptum, certe gravissimum, a me libenter adducitur, quod non furtim, sed typis Academiæ Viennensis coram ministris & Aula Cæsarea, tempore nobis proximo vulgavit sapientissimus Princeps, pontificiarum suæ gentis rerum egregie peritus: qui illud non cuipiam ministro, privatoque homini obtulit; sed Leopoldo Augusto, incredibili ingenii præstantia, integritate, atque justitia prædito Imperatori, cujus nominis gloria posterorum mentibus perpetuo insidebit. Profecto hæc omnia non vulgari aut exigua animadversione digna mihi videntur.

Remonstrat. §. XLI.

II.

Regium Lepidi, Parma ac Placentia se dedunt Ecclesiæ per fœderis cum Maximiliano I. percussi capita.

Per fœderatos exercitus fusis Gallis, regionibusque ecclesiasticis ex aliena dominatione ereptis, Regii Lepidi, *Parmæ*, *Placentiæ*que cives Mediolanum legatos ultro miserunt, ut coram Cardinali Sedunensi, Apostolico fœderis Legato, Ecclesiæ fidelitatem jurejurando pollicerentur: idque a Ruizio pariter affirmatur. Mox a tribus illis civitatibus Romam oratores profecti, qui *suum erga Pontificem obsequium proderent*, *Sacrosanctæ Ecclesiæ imperio subditos se declararent debitæ fidelitatis sacramentum præstantes*, Jacobo Nardo testante. Per Paridem de Crassis apud Ju-

Compend. Histor. pag. 49. Hispanice.

Histor. Florentina lib. 2, pag. 266. edit. Florent. 1584. Ital.

LIBER III. Julium II. sacris cæremoniis præfectum, in Diariis nondum editis accurate gesta hæc describuntur. Oratores Placentini, Lazarus Malvicinus, Petrus Bernardinus Anguisciola, Baptista Landus & Bartholomæus Baratterius VII. Cal. Augustas anno 1512. in sacrum senatum publice admissi fuerunt, eidem Crasso profitente Pontifice, se eos excepturum, tamquam homines Ecclesiæ imperio antiquitus subjectos, quodque jam venissent, *ut* CONTINUENT *obedientiam & subjectionem* ANTIQUAM, *quæ desiit anno* 1372. (immo anno 1374. quamvis apud Raynaldum typographico errore legatur 1272.) *nam cum prius essent subditi Ecclesiæ, ut constat ex documentis publicis, quæ sunt in gazophylacio fiscali, ex aliquo casu desierunt tunc. Sed modo* REVERSI *sunt* CONTINUANTES *illam prædictam subjectionem*: cujus quidem cursus a Vicecomitibus, & Sfortiadibus, qui ea loca sibi violenter usurpaverant, fuerat interruptus. Sed hanc ipsam usurpationem Vignates, Venetique interceperunt, & Placentini per ea, quæ Legato Apostolico se dedituri gessere, ac Abbas de Casanova per ea, quæ Parmæ, Martino V. pontifice, exercuit, ut alia omittam per Constantiensis Concilii declarationes coram Sigismundo Imperatore sancita, & pariter quæ ab Imperatoribus Wenceslao, Ruperto, Sigismundo, & Friderico III. profecta sunt, sicut alibi ostensum. Quapropter si hæc omnia, quæ intercessere, attente perpendantur, non satis intelligitur quæ pro Adversariis ratio stare possit, dum a Mediolanensibus Ducibus *Parmam* ac *Placentiam possessam* fuisse dicunt, quando illis ea omnia, quæ ad justam *usucapionem* ac *præscriptionem* requiruntur, semper defuerunt. Hinc Pontifici Julio II. oratores Placentinos excipere minime placuit, nisi ut pontificio imperio antiquitus subditos, ne Bononienses, aliique alio modo se excipi postularent. Quare tamquam prisci clientes, atque eadem, qua Bononienses ratione, habiti fuerunt: illisque mox Joannes Gozadi-

Raynal. A.D. 1512. §. 70.

zadinus Cameræ pontificiæ Clericus ac Protonotarius Apostolicus præses datus. A Regiensibus oratores quatuor missi, Timotheus & Galassus Zoboli, Prosper Lantus & Balthassar Scariola, qui Romæ III. nonas Septembres anno 1512. & ipsi publice coram Pontifice suorum mandata exposuerunt. Subinde alii decem a Parmensibus venere, Paullus Colla, Jacobus Bajardus, Antoninus Bernerius, Salomon Tamatoldus, Franciscus Garimbertus, Julius Zandemaria, Zannesius Balestrerius, Octavianus Musacchius, Joannes Christophorus Cantellius, ac Bartholomæus Giralduccius, qui VI. Cal. Novembres officio suo publice defuncti sunt: jamque illis antea pontificio nomine Joannes Matthæus Sertorius Mutinensis, Sanctæ Severinæ Archiepiscopus, præpositus fuerat, ad quem diploma XVII. Cal. Octobres a Pontifice missum legitur, ubi quamvis, ut ait, in pontificiis tabulariis documenta reperiantur, *ex quibus* CLARE CONSTAT, *Parmam ad nos & S. R. E. pertinere; Placentini tamen & Regienses in suis archivis quædam invenerunt, quæ Placentiam & Parmam ad Ecclesiam prædictam spectare valde docent atque comprobant*: eidemque imperat, ut Parmensium tabularia evolvenda curet, scrutandi caussa, an ejusmodi scripta contineant.

III.
A Julio II. Parma ac Placentia, veluti Exarchatus membra, recipiuntur.

Dum *Parmam* ac *Placentiam* a Pontifice Julio recuperatas narrat Franciscus Guicciardinus, easdem Gallico præsidio nudas *ultro se Ecclesiæ dedidisse* fatetur, atque eas Julium non aliter, quam Exarchatu comprehensas, Sedique Apostolicæ subjectas recepisse. Sunt hæc ipsa ejus verba: *In tanta rerum mutatione Placentia & Parma* SPONTE *sua Pontifici se dediderunt, qui eas veluti Ravennatis Exarchatus membra ad pontificium imperium spectare asserebat*. Ex Petro Martyre Anglerio in epistola Cal. Augustis anno 1512. scripta habemus, Julium Pontificem affirmavisse eas urbes *membra fuisse quondam Exarchatus Ravennæ*. Idem quoque repetit in litteris III. Id. Martias anni 1513. & III.

Histor. lib.10. pag. 519. Ital.

Lib.25. epist.493.

Lib.26. epist.517.

Lib.28. epist.147.

LIBER III. & III. nonas Apriles anno 1515. Immo in his postremis Anglerius Julii significantiora verba recitat, testatus, illas civitates a Pontifice *Exarchatus Ravennæ brachia* fuisse appellatas. Hæc quantopere cum veritate consentiant, ex his, quæ in primo libro dicta sunt, satis superque monstratur. Quare hinc, ut opinor, quilibet facile judicabit, an Scriptor Mediolanensis vera protulerit, ubi Pontificem justa de caussa illis urbibus nequaquam potitum fuisse jactat, quia in eas, ut ait, *antecedenter* NULLUM JUS *habebat*. Hæc narrans Bonaventura Angelus rem multis erroribus atque adeo apertis mendaciis involvit. Ac *primum* quidem hoc ejusmodi reputandum est, dum Blondum facti testem adducit, quod multis post ejus mortem annis contigit. Obiit enim Blondus anno 1463. Pio II. Pontifice. Quapropter quisque videat, an Blondus de Julio II. qui insequentis sæculi initio sedit, quidpiam tradere potuerit. Addit Angelus, a Pontifice missum Agrigentinum Episcopum (videlicet Julianum Cibum) qui *Parmæ* ac *Placentiæ* possessionem iniret, cum contra certissimum sit, Sanctæ Severinæ Archiepiscopum reapse ei muneri destinatum. Tum ait Pontificem sibi eas urbes, tanquam ad se pertinentes, quod *Ravennatis Exarchatus membra* essent, contra fœderis leges tribuisse. Atqui id secus omnino accidit, ut communi Historicorum consensu jam dictum est. Urget Angelus, a Guicciardino, ut *facti injustitiam celaret*, scriptum, *multas urbes Pontifici se ultro dedidisse*: & tamen constat, Guicciardinum voce *multas* minime usum, quam male occupatus Angeli animus belle confinxit; sed eum *Parmæ* ac *Placentiæ* ipsa nomina adhibuisse. Nec verum est, hæc a Guicciardino narrari, *ut facti injustitiam celaret*, quod Angelus somniat: compertum est enim, illum Scriptorem non admodum Sedis Apostolicæ partibus studuisse. Porro neque id unus Guicciardinus affirmat, sed tot alii a me supra memorati Scri-

Animadvers. num. 99. §. Majorem.

Histor. Parmensis lib. 5. pag. 576. 577. Ital.

LIBER III.

Scriptores, quos inter Panvinius, maxima vir auctoritate, testatur, id factum *ex fœderis legibus*, non vero *contra fœderis leges*: cujus capita, ut dixi, ea erant, ut *quæ ad se pertinerent*, sibi quisque reciperet. Omnia hæc præclare firmantur Petri Justiniani testimonio, qui memoriæ prodidit, Venetos suos a Raymundo Cardona Neapolis Prorege ac fœderatorum imperatore Brixiam sibi ereptam videntes, ad Pontificem confugisse, quod in fœdere statutum fuisset, *ut quidquid eo bello Gallis ademptum est, quod ad Venetos spectaret, Reipublicæ bona fide* RESTITUERETUR. Ad hæc Pontificem statim ad Helvetios, Cardonamque scripsisse, *ut juxta* FOEDERIS CONDITIONES FIDEMQUE DATAM *res* SUÆ *Veneto* REDDERENTUR. Id etiam ab altero Veneto Scriptore Andrea Mocenico narratur: qui hoc præterea refert, Franciscum Foscarum Pontifici Leoni X. dicere consuevisse, Venetam Rempublicam, cujus nomine apud eum legationem obibat, cum Julio Pontifice fœdere obstrictam, *ut Italia Italorum esset, & sicut antea, unicuique* REDDERETUR *quod* SUUM *est*. Hisce Historicis accedat Joannes Baptista Leo, qui in Vita Francisci Mariæ de Monteferetrano Urbini Ducis scriptum reliquit, post Ascanii Sfortiæ mortem, Pisauri possessionem ei obtigisse, *cum ad Romandiolam postremo recuperandam, & Parmam, Placentiam, Regiumque Lepidi capiendum multas impensas fecisset*. Ab hoc eodem Scriptore justis laudibus Julius II. extollitur, *quod tam feliciter Perusiam, Bononiam, Romandiolam universam, Parmam, Placentiam, Mutinam, ac Regium Lepidi Ecclesiæ recuperaverit, ac tandem in jure suo constituerit, Italiæque libertatem magna ex parte reddiderit*. Alia ab Angelo inepte scripta paullo post confutabuntur. Perspicuum igitur est atque certum ex omnibus naturæ gentiumque legum decretis eas urbes Sedi Apostolicæ fuisse adsignatas. I. *Pactionibus* propter solemnia fœderis capita, quarum caussa *apud omnes in confesso est jus* in

Rerum Venetarum lib. 11. pag. 238. Argent. 1611.

Bellum Cameracense lib. 4. 5. in principio.

Vita Francisci Mariæ Ducis Urbini lib. 1. pag. 154. 155. Italice.

LIBER III.

a) *De jure naturæ & gentium lib.3. cap.5. §.2. —Lib 4. cap.6. §.14.*

b) *De jure belli & pacis lib.2. cap.22. §.13. in fin.*

c) *Lib.3. cap.5. §.2.*

in alios transferri, (a) Pufendorfio præstantissimo harum rerum magistro, definiente. II. *Jure belli*, quo pariter, (b) Grotio teste, horum judice peritissimo, *extra controversiam est, quæ hostibus per nos erepta sunt, ea non posse vindicari ab his, qui ante nostros hostes possederant & bello amiserant*. III. *Jure postliminii*, ex cujus vi pro certo habetur, *expulsis hostibus ex agris, quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire*, quemadmodum (c) Grotius decernit. Hæc, quæ Pufendorfius & Grotius, a Romanis partibus alieni, pronunciarunt, tamquam firmissima fundamenta ac prima principia reputanda sunt, quibus æqui rerum æstimatores refragari nequaquam possunt.

IV.

Disquisitio in ea quæ Guicciardinus narrat de Parma ac Placentia a Julio II. recuperatis.

Hoc loco minime dissimulari debet, Guicciardinum, ubi rem summa fide exposuerat, *Parmam* nempe *ac Placentiam Pontifici se ultro dedidisse*, institutæ ab initio suæ narrationis immemorem, subinde varias de suo considerationes adjecisse, easque magna arte ac veluti alieno ore de industria prolatas, ut a quavis suspicione nudæ, ac sincera mente profectæ viderentur, quo plena jura, quibus eas urbes Pontifex recuperavit, facilius elevaret. Hæ considerationes, ab ipso rationibus plane novis expositæ per nos ad examen revocabuntur, quoniam utpote ab Historico magni nominis profectæ, tanti fiunt; licet sine alia etiam disquisitione imbecillas ac ficulneas statim se prodant, si quæ vera a nobis exposita sunt, totque Scriptorum ea narrantium auctoritas attendatur: de quorum scientia animoque incorrupto minime dubitandum est, cum rem ipsam probe norint, & Principibus, ipsi negotio immixtis, paruerint. Hi vero Historici quod unus Guicciardinus narrat, ad unum omnes siluerunt & quod ipse silet, omnes narratione complexi sunt. Hæc igitur habet Guicciardinus: *fœderati cum Cæsare, Pontificem sibi ipsi communis victoriæ præmia tribuendo, & ea, quæ manifeste ad alios spectarent, usurpando, sive fictis sive vetustate consumptis juribus Parmam atque Pla-*

Guicciardini Histor. pag 386. edit. latinæ Curionis.

LIBER III.

Placentiam, quas civitates qui Mediolani imperaverant diutissime, velut imperii beneficiarii, obtinuerunt, occupaſſe querebantur. Ad hæc quasi parum dixiſſet, ita subjungit: *Sed Gurcensis atque Hispanorum ob Parmam & Placentiam, in Imperii jurium fraudem, ad nimiam Pontificum potentiam, & Mediolanensis imperii, cujus, quod semper primi Gallorum impetus illi eſſent ſustinendi, potentia augenda fuiſſet, nimium debilitatam, a Pontifice occupatas, querela resurgebat. Pontificem in fœderis capitibus nullius rei præterquam Bononiæ & Ferrariæ mentionem feciſſe. Nunc juribus, quorum nulla fide digna memoria appareat, id sibi vindicare, quod Ecclesiam Romanam nunquam, ne vetustiſſimis quidem temporibus poſſediſſe certo constaret: nec de Cæsarum donatione aliud, quam simplicem scripturam, quæ ad cujusvis arbitrium fingi potuerit, ostendi: & nihilominus Pontificem, quasi res eſſet manifesta & nota, occasione ex Galliæ togatæ, Langobardiæve motibus sumpta, sibi ipsum jus administraſſe.* Hactenus Guicciardinus, qui sermoni suo epiphonemate finem imponit, quo docemur absurdas ejus, & ex privatis affectibus ortas animadversiones non aliunde profectas, quam ab exulcerato animo, qui eum ad hæc tradenda eo facilius induxit, quo Gibellinorum partibus plus nimio studebat, haud parum in Apostolicam Sedem ingratus, a qua ampla atque honorifica fuerat munera consecutus: *Hæ altercationes omnes*, ait Guicciardinus, *difficulter componebantur*. Pergit deinde: *hoc fœdere tametsi Pontifici, ut Parmam, Regium, ac Placentiam poſſideret, permitteretur, hoc tamen Imperio fraudi non erat.* Hæc & alia a Guicciardino prolata, & a nobis ad severiorem trutinam infra revocanda, Hordeus pingui minerva exscripta in suum codicem derivavit, quasi in hominum plausum ire debuiſſent. Ex Hordeo autem Jurisperitus Mediolanensis sua lætus hausit, qui de hisce more suo locutus, sic tandem orationem claudit: *unde clarum est, quod per illud fœdus nullum fuit*

Pag. 395. edit. latinæ Curionis.

Animadverſ. num. 101. §. Majorem.

Q quæ-

LIBER III. *quæsitum Ecclesiæ jus super dictis duabus civitatibus*. Ejusmodi Scriptores, qui rerum omnium scientiam pectore se complexos, & contra Apostolicam Sedem plurimum videre se credunt, hoc dicendi genere semper utuntur: *clarum est*.

V.
Guicciardini narrationes ad examen vocantur.

Quamquam, ut narrationum Guicciardini vis omnis infringeretur, satis esset artem illam, profecto exquisitam, memoria repetere, qua easdem sæpius in legentium mentes pro veris immittere conatur; nihilominus alia via cunctis aperiendum censeo, quam parum firmo talo innitantur, quoniam hic Scriptor est Achilles adversariorum, quibus, ut falso in Ecclesiam dicta verissima existimentur, sufficit ut ea scripta & edita sint a Guicciardino, qui Apostolicæ Sedis stipendiis militabat, quique inter Historicos Italos principem locum obtinet, quod in hominum animos miro quodam studio ipse suas narrationes injiciat, ac res ob oculos perbelle proponat, lectorum mentes incredibili sagacitate atque eloquentia in suam sententiam trahens. Primum ergo, ut ea, quæ antea monuimus, repetantur, nullum videlicet ex Scriptoribus, quos adduximus, quidquam eorum, quæ Guicciardinus scripsit, referre, quamvis ad ea narranda vel occasione vel necessitate impelli debuissent, si tamen ea revera accidissent vel facta intellexissent; attamen considerandum videtur Guicciardinum, tametsi illius fœderis tempestate vixit, testem oculatum dici non posse, ut ipse unus omnia perspecta habuerit, quæ ceteros Scriptores fugerunt. Ille vero ad suam historiam scribendam, ut Remigius Florentinus in vita declarat, integris triginta annis post horum eventum animum adplicuit: quoque tempore illa, de quibus scribit, contigerunt, ipse admodum adolescens, non in Italia, sed in Hispania versabatur. Quare falsis querimoniis Cardinalis Matthæi Langi, tunc Episcopi Gurcensis & deinde Salisburgensis Archiepiscopi, interesse

LIBER III.

resse non potuit: quas tantum abest ab ipso effusas fuisse, ut is in Concilio Lateranensi Cæsarei procuratoris partes obeundo, *solum* Mediolanensem Ducatum sine *Parma* ac *Placentia*, teste Panvinio, Sfortiæ restitui adprobaverit. Porro sicut ex Petri Martyris Anglerii, gravissimi fideque dignissimi auctoris epistola VII. Idus Januarias anno 1513. scripta colligitur, idem Sfortia non a Cæsare solum, sed primum a *Pontifice*, tum a Cæsare, atque ab aliis simul fœderatis *Dux Mediolanensis* dictus est. Neque sane Cardinalis Gurcensis, quamvis tum in Italia Cæsaris Vicarius, tam hostili animo in Romanam Ecclesiam fuit, ut ei injustam hanc litem intenderet. Immo contra ex litteris a Pierio Valeriano VII. Idus Novembres datis anno 1512. ad Petrum Crispum a secretis Laurentii Campegii apud Cæsarem Legati Apostolici, hæc omnia falsitatis convincuntur. Ibi enim ipsius Gurcensis Cardinalis Romam ingressus describitur, interque illos, qui eum honoris caussa, ut in hujusmodi pompa fieri consuevit, ad Vaticanas Pontificis ædes comitati fuerunt, urbium Ecclesiæ imperio subjectarum, *Placentiæ*, Regii, *Parmæ*, ac *Bononiæ* oratores recensentur: *Albertusque Pius Carporum Princeps & Cæsaris Legatus* numerum implevit. Oratores vero illi ipsi fuerunt, qui Pontifici fidem atque obsequium de more præstituri, Romam advenerant. Quare palam est, quæ illi publice gessere, tum Cardinalis Gurcensis & Legati Cæsarei præsentia undequaque firmata. Pierii epistolam Beatus Rhenanus primum vulgavit, tum Marquardus Freherus, uterque Germanus, & nullo erga Romanam Ecclesiam studio abreptus, quod monemus, ut epistolæ integra fides habeatur. Ad hæc Andreas Mocenicus narrat, Venetos atque Helvetios, qui in eo fœdere primas agebant, omni ope contendisse, ut Pontifex non solum *Parma* ac *Placentia*, sed etiam *Asta*, Mediolano Maximilianus Sfortia, suis urbibus Veneti, & Valle Tellina Helve-

Concilia Labbei tom.14. pag.179. & 157.

Lib. 26. epist. 514.

Scriptores Germanici Freheri tom.2. pag. 255. edit.1.

LIBER III. tii potirentur. Sed revera quamvis Gurcensis novas illas atque insolitas querelas edidisset, easque unus Guicciardinus audisset, nihil erat omnino cur is, qui fidi Historici munere fungi debuit, subsequentibus verbis earundem querelarum injustitiæ pondus adderet: *hæ altercationes omnes difficulter componebantur*. Nam ejusmodi querelæ seu veræ essent, seu ab ipso uno excogitatæ, certe ex puris putis calumniis privatisque odiis non una de caussa prodierunt.

I. Minime verum fuit, Pontificem *communis victoriæ præmia uni sibi tribuisse*. Ducatum enim *Mediolanensem*, quem Sfortia habuit, sibi non tribuit: nec *Brixiam*, nec *Cremonam* sibi vindicavit, quas Venetorum damno & contra fœderis conditiones Cardona occupavit. Insuper idem Sfortia in mandati litteris Marino Caracciolo traditis & in Lateranensi Concilio perlectis coram Cardinali Gurcensi & Alberto Pio Cæsaris Legato, Ducatus Mediolanensis, quem Galli antea illi eripuerant, recuperationem Julio II. se debere professus est. Tantum abest, ut tum querelas jactatas putemus propterea quod Pontifex *sibi victoriæ præmia tribueret*. Hæc sunt Sfortiæ verba: *& NISI inter ceteros*, BEATISSIMI JULII II. *arma Gallum hostem pepulissent*, FRUSTRA *a me per hæc tempora parentis mei principatus desiderari potuisset*.

Concil. tom. 14. pag. 157.

II. Falsum est, Julium *quæ ad alios manifeste spectarent, sibi usurpasse*: quod ex iis, quæ hactenus diximus & comprobavimus, satis liquet.

III. Falso pariter asseritur, *Pontificis jura ficta aut vetustate consumpta fuisse*, cum ea apud omnes auctores legantur, & adhuc integra maneant, ac per omnes Caroli Magni successores usque ad Fridericum III. patrem Maximiliani I. quocum Sedis Apostolicæ sumptibus fœdus illud fuit constitutum, amplissimis declarationibus firmentur.

IV. Falso etiam obtruditur, urbes illas, qui Mediolani imperaverant, eos tamquam Imperii beneficia-

ciarios diutissime occupavisse. Nunquam enim illi vera justaque caussa, aut Pontificibus non reclamantibus, eas civitates obtinuerunt: siquidem Concilium Constantiense jura omnia falso jactata antiquavit, quæ ex injusta possessione trahere potuissent. Vicecomites vero, tamquam Imperii beneficiarii, iis urbibus potiti non sunt: sed eas cum multis aliis, quemadmodum paullo post ostendemus, sibi injuste usurpavisse dicendi sunt. *Concil. tom. 12. pag 277.*

V. Porro neque Julius II. eas *occupavit*, sed eædem ex fœderis capitibus ac Maximiliani I. concessione *ultro* illi, ut antiquo & vero domino, se dediderunt: neque hæc deditio Imperii juribus, quæ certe præ Romanis nulla omnino erant, quidquam derogare potuerunt.

VI. A vero abest, in fœderis capitibus nullum, præterquam de *Bononia* ac *Ferraria* recuperanda, sermonem factum, cum ipsa fœderis capita ac tot scriptorum, quos supra retulimus, testificatio secus omnia definiant.

VII. Falsum pariter est, jurium Ecclesiæ *nullam fide dignam memoriam apparuiße*, & Ecclesiam eas urbes *nunquam ne vetustissimis quidem temporibus peßedisse*, *certo constare*: quæque hactenus testimonia protulimus, falsitatem hanc satis explodunt.

VIII. Illud tandem inter insignes calumnias & mendacia scribendum est, *nihil aliud de Cæsarum donatione, quam simplicem scripturam, quæ ad cujusvis arbitrium fingi potuerit, ostendi*. De donationum ac constitutionum fide ac veritate, quæ pro Ecclesia Romana in lucem prodierunt, omnium gentium ac omnium post Carolum Magnum sæculorum scriptores, de eisdem loquentes, dubitare nos amplius non sinunt, cum ipse Hæresiarcha Joannes Calvinus earum veritatem incorruptam fateatur his verbis: *in Archivis Curiæ Parisiensis breves illorum temporum commentarii, qui mentionem* PACTIONUM *faciunt tum* *Instit. lib. 4. cap. 7. n. 16.*

Pip-

LIBER III. *Pippini*, *tum Caroli* CUM *Romano Pontifice*, nostra memoria servantur. Hæc *pacta* mutuas conventiones inter Pontifices Carolinosque Reges de rebus Ecclesiæ restituendis complectebantur: *pacta*que dicta sunt seu tabulæ publicæ, verique contractus, ut in re *tanti momenti* requirebatur, quemadmodum clarissimus Mabillonius de Ludovici Pii diplomate scripsit, quod a veteribus *pactum* quoque appellatur. *Pacti* nomine utitur etiam Bibliothecarius, de qua voce, maxime propria, passimque usurpata, supra disserui quæ viris doctis & rationis usu non abutentibus satisfaciant: apud ceteros Calvini auctoritas nulla exceptione laborabit. Immo firmissima argumenta non desunt, quibus evincatur, *Pactorum* seu *Pactionum* vocabulo, inter sacrosanctam Sedem Regesque Francos primum Brennaci, deinde Carisiaci fœdus perpetuum constitutum, significari: cujus capita ex Stephani II. ac Paulli I. litteris, in quibus de servando fœdere confirmandoque agitur, ac præsertim ex Carolini Codicis epistola IX. facile colligi possunt. Idque fœdus inter pontifices & Francos mutuo bono in perpetuum fuisse percussum, Paullus I. declarat in multis ejusdem Codicis epistolis, videlicet in XXVI. XXXII. XLIV. XLV. XLIX. LXI. LXIV. LXXIII. LXXV. LXXXIII. LXXXVI. LXXXVIII.

De re diplomatica. lib. 2. cap. 3. §. 13.

Defensio I. pag. 70. 71. 72. 73.

Defensio II. pag. 23. 24.

VII.

Quæ Guicciardinus narrat de Parma ac Placentia recuperatis, rursus expenduntur.

Quæ hactenus a nobis productæ sunt in medium omnino fictæ querelæ, neque a Gurcensi, neque ab aliis, præterquam a Guicciardino effusæ, hujus animum cum a Roma ipsa, tum a summo ejus imperio admodum alienum produnt, quem jam abunde in proletaria & trita illa de ejusdem imperii origine rhapsodia sigillatim patefecerat: Hæc cum primæ ejus Historiæ editioni anno 1561. Florentiæ per Torrentinum adornatæ, inserta non fuerit, Petro Pernæ Lucensi bibliopolæ tradita est, ut una cum alio ejusdem generis episodio inter Basileenses heterodoxos vulgaretur, qui sacrorum librorum verba in profanum jocum

cum vertentes (quod crimen ſæpe nobis impingunt) hanc ſententiam initio addiderunt: *nihil occultum quod non revelabitur*. Sibi enim miſeri homines blandiebantur, illo Guicciardini ſermone, in quem nihil novi præter exaſperatum auctoris animum, craſſamque in rerum antiquarum cognitione negligentiam, congeſtum eſt, contra ſummam Eccleſiæ poteſtatem magnum quidpiam repertum eſſe, quaſi vero multo ante in eamdem opinionem non diſceſſiſſent Hæretici [a] Vadiani, [b] Arnaldiſtæ, Valdenſes, [c] Huſſitæ cum Marſilio Patavino, Joanne [d] Wiclepho ac Martino [e] Luthero, e quorum ſchola novos ſemper hujus male ſanæ doctrinæ alumnos prodire cernimus. At nihil eſt cur ſummi Pontifices propriæ dominationis jura jam pervulgatiſſima, & ſui imperii firmiſſima fundamenta alios celent, ita ut ad Sedis Apoſtolicæ hoſtes eorumdem promulgatio pertineat. Ea enim ejuſmodi ſunt, ut ſinceritate atque auctoritate ſua facile omnibus Principatibus antecellant. Propterea Apoſtolica Sedes imperii ſui origine *detecta*, quidquam detrimenti juſta ex cauſſa ſubire nequit: immo ſummum inde emolumentum capiet, ubi de eadem origine purum ſincerumque judicium proferatur. Quamobrem ipſius dominii principia nemini unquam latuere, niſi illis unis, qui ea ignorare voluerunt: eaque in variis variarum gentium monumentis, non quidem abſconditis aut incognitis, ſed editis & omnium manibus facile tritis expoſita intuemur, ut eorum cognitio ad omnes nullo negotio perveniat. Hac tamen in re nulla Guicciardinus laude ab æquis, ingenuiſque veritatis æſtimatoribus dignus eſt habitus, quamvis apud homines parum erga Sedem Apoſtolicam propenſos, ac apud pravos, impudenteſque ſectarum diſcipulos ipſe cumulatiſſimos plauſus collegerit, dum hi ſuis maledicentiſſimis ſcriptis, tamquam rem magni momenti, Guicciardini orationem latine redditam inſeruerunt: quos inter excellit Joannes Wolſius in *Lectionibus* (ſive ut ve-

a) *S. Auguſtinus de Hæreſibus cap.* 50.

b) *Defenſio* II. *pag.* 26. 27. 28. 154.

c) *Æneas Silvius in Hiſtoria Bohemica cap.* 35.

d) *Concil to.* 12. *pag.* 264. *num.* 10. *pag.* 265. *n.* 33. 36. 39.

e) *Gabriel Prateolus de Dogmatibus hæreticorum lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 12. —*Lib.* 11. *c.* 17. *num.* 1.

Lectiones memorabiles tom. 2. *pag.* 164.

LIBER III.

a) *Monarchia tom. 3. pag. 47.*
b) *Pag. 127.*
c) *Histor. Papatus pag. 531.*
d) *Mysterium iniquit. pag 95. 551. edit.III.*

verius dicam, blasphemiis) *memorabilibus*, [a] Melchior Goldastus, [b] Hermannus Conringius in suo de Germanorum Imperio centone, & [c] Joannes Henricus Heideggerus in mendaci impiaque Papatus [d] Historia. Tandem oratio illa magni æstimata est a Philippo Mornajo Calvinianorum in Gallia principe, qui insigni calumnia Guicciardinum *Ecclesiæ Romanæ vexillarium* appellat, cum tamen is pluribus in locis non solum Sedi Apostolicæ, verum etiam totius Italiæ libertati parum studentem se ostenderit, quemadmodum Joannes Baptista Leo animadvertit in Considerationibus pro Venetorum Republica in Guicciardini Historiam: cui Genevenses Calvini asseclæ inhærentes, dum iterum illa Historia in lucem ederetur, utramque Guicciardini orationem suo loco illigarunt. His omnibus id unum deerat, ut etiam Apostata Cœlius Secundus Curio, ad gregalium amorem sibi impensius demerendum, omnem Guicciardini Historiam in latinum sermonem converteret. Qui Apostolicæ Sedi hostibus hæc velut digito demonstravimus, præclaram ab iis gratiam fortasse inibimus, dum contra Pontificatum Romanum insignes contumelias ex his fontibus haurire poterunt, silentio prætereuntes Christiana & eximia responsa per nos edita, clamantesque, eorum nomina talia non esse, ut sibi *oculorum aciem perstringant*, sicut in grandi volumine, cui alibi respondemus, nobis legere contigit. Hoc pacto misera Italia postquam de sua veteri amplitudine cecidit, ut ei nihil aliud præter quam Romani Pontificatus gloria supersit, tam parum gratam, amantemque sobolem alere solet, ut etiam ad hunc convellendum conatus omnes adhibeat. Nihilominus pro Guicciardino vere hoc dici potest, ipsum Historiam suam ab se undequaque perfectam non reliquisse neque edidisse: quæ viginti annis post ejus obitum fato quidem postumis operibus communi edita est, adeo ut si vere a Guicciardino ea, quæ diximus, scripta fuissent, Historiam suam editurus, fortasse omnia, ut sæpe scriben-

bentibus evenire solet, etiam rejecisset. Ex his constat quam temere in Guicciardini sententiam Angelus iverit: qui præterea in crassum errorem incurrit affirmans, Guicciardinum de *Parma* & *Placentia* Sedi Apostolicæ *ultro deditis, nullam mentionem facere*. At vero Conringius & Germanus & de Lutheri schola, quamvis tam exquisitis Guicciardini ratiocinationibus fidem habeat, hæc tamen memoriæ mandavit: *utraque urbs illa Julio Pontifici* ULTRO *sese* DEDIDIT. Certe Angelus hic atque alibi eodem cum Guicciardino sensu conjunctissimum sese ostendit, fortasse non tantum suopte ingenio, quam aliis de caussis, quæ nunc a me silentio prætermittuntur. Hoc tamen dicere sufficiat, Cæsarem Campanam, Hispanorum regum imperio subditum, in Philippi II. Vita Philippo III. inscripta referre, Angelum cum Guicciardini, tum Hadriani vestigiis in hac narratione insistentem, *a veritate longe aberrare*.

Historia Parmæ lib. 5. pag. 477.

De Finibus Imperii lib. 2. cap. 20. §. 18. pag. 440. edit. 1654.

VII.

Jura in Parmam ac Placentiam per Julium II. recuperatas, firmius corroborantur.

Jam vero juribus Apostolicæ Sedis in *Parmam* ac *Placentiam*, per Julium II. recuperatas, a me vindicatis, præterquamquod Pontifex easdem, tanquam ultro sibi deditas ex fœderis legibus, excepit, addendum est anno eodem, ut supra diximus, ab Imperatore Maximiliano earundem civitatum Sedi Apostolicæ *cessionem* factam, Regis Catholici interventu atque consensu, horumque omnium anno 1548. Romæ certa ac firma documenta oblata Didaco Mendozæ Caroli V. legato: *quod ex scriptis tum Romæ ab Athanasio in publicum productis, & ad Honorium Sabellum missis*, evidentissime constat. Hoc monet Campana, incorruptæ fidei auctor, nullam ob caussam suspectus, ac rerum politicarum mirifice peritus. Scripta illa Principum epistolis inseruntur, ubi tamen, sicut Campana verissime tradit, *neque de Duce Maximiliano Sfortia mentio instituitur, neque de tam exacta veterum Scripturarum usque a Constantini Magni temporibus, neque de aliarum rerum perquisitione, quæ omnino contra Pontificis* vo-

Vit. Philippi II. Dec. III. lib. 2. fol. 33. pag. 2. Ital.

Epist. Principum tom. 3. fol 186. pag. 2. edit. 1577. Italice.

Historia suorum temporum lib. 7. pag 253. edit. Florent. 1583. Italice.

voluntatem fuissent. His ille Joannem Baptistam Hadrianum nimis incaute per Guicciardini vestigia currentem refellit, cujus & Benedicti Varchii nondum vulgatas Historias cum ille prosequeretur, quæ de Placentia per Carolum V. Pontifici restituenda tum agitabantur, litteris tradens, non sine quadam irrisione, malum ejus animum atque in his rebus inscitiam patefaciente, ait, Romæ *diligentissime omnia, quæ inveniri potuerunt, conquisita jura, tum vetera, tum recentia, quibus summum in utramque illam urbem imperium ad Ecclesiam pertinere ostenderetur: ac præter vetustissimam donationem a Constantino Imperatore vulgatam, a Pipino, & Carolo Magno, Imperiique Electoribus Ecclesiæ confirmatam, alteram ostensam de Romandiolæ & Langobardiæ parte per minus antiquum Imperatorem scriptam donationem: ac deinde circumlatam fuisse concessionem, quam eorum locorum Julio II. Pontifici Maximilianus Sfortia Dux Mediolanensis fecerat*. His omnibus, quorum per se ipsæ fallaciæ deprehenduntur, libenter assensus est Angelus, quamvis a vero plurimum abessent universa, quod liquet ex scripto per Dionysium Athanasium ad Honorium Sabellum misso, ex quo nullam omnino aliam nec antiquam, nec novam quæsitam rationem videmus præter fœderis anno 1511. percussi caput, Maximiliani I. cessionem, pactumque anno 1521. cum ipso Carolo V. firmatum; quandoquidem Sacrosancta Romana Sedes hoc sæpenumero discrimen subire cogitur, ut ejus jurium memoriam homines facile amittant. Porro Mendozæ ipsum cessionis Maximiliani *autographum* ostensum fuit, Cardinali Pallavicino testante: ac tum si quis alia argumenta quæritasset, is minime ex Pontificis sententia fecisset, rem per judicium definiri abnuentis: ac ne ipse quidem Carolus V. hoc postulabat. Ergo nimis exquisita Hadriani narratio, quam secutus est Angelus, prorsus fabulosa: utque talis a Campana evidenter exploditur. Hinc Mediolanensis scripti auctor infirmum sane ac ficul-

Historia Parmensis pag. 541. 542.

Hist. Concilii Tridentini lib. 11. cap. 3. §. 2. edit. 2. Italice.

Animadvers. num. 103. §. Dicit.

LIBER III.

ficulneum auxilium quærit ubi Hadriani silentio plurimum tribuit, quod nec de fœderis conditionibus anno 1511. editis, nec de Maximiliani I. cessione sermonem instituat. Si enim de his nulla ab Hadriano fit mentio, hoc non ideo contigit, quod eadem revera facta non fuerint, sed quod ille hæc omnia silere, & veris neglectis, falsa aut per alios, aut per se ipsum excogitata vulgare maluerit, quæ cum rebus, vulgo tunc notis atque certissimis aperte pugnarent. Idque Hadrianus præstitit obtrectandi caussa, utpote Scriptor familiarum æmulationi operam navans, Paullo III. & Farnesiæ genti infensus, cui tum Cosmus Medices ejus Mæcenas parum favebat: ad hujus enim voluntatem atque utilitatem Hadrianus cuncta describit. Quamobrem Campana recte animadvertit, Hadrianum adversus Paulli III. actiones male affectum ubique se prodere, dum quavis se offerente occasione, animum suum magna licentia patefacit. Summum hoc malum rerum publicarum veritati venalis opera Historicorum afferre solet, qui officii sui partibus derelictis, aliorum studia consectantur, sibi facile persuadentes, idcirco fabulosis narrationibus esse credendum, quod ii æque utile ac honorificum apud viros Principes munus sustineant ipsorum Historias geneologiasque scribendi. Hæc omnia, quæ fuso sermone explicanda fuerunt, ut suus veritati, justitiæque, multis incommodis afflictæ, honor esset, *Parmam* ac *Placentiam* non solum ex antiquorum Ecclesiæ Romanæ jurium ac fœderis capitum auctoritate, verum etiam ex Maximiliani I. *cessione* a Julio II. recuperatas satis superque confirmant. Quare tanto Pontifici, qui justitiæ, Ecclesiæ amplitudini & libertati maxime studuit, quique, ut Pontificatus patrimonia a tyrannis ablata recuperaret, in se multorum odium conflavit, laudatio apologetica maxime convenit, per Jacobum Gretserum instituta in libro contra Mornajum, Calvinianorum in Gallia principem, horren-

Vita Philippi II. Par. II. Dec. III. lib. 1 fol. 2. pag. 2.

LIBER III.

Mysta Salmuriensis pag. 560.

rendisque contumeliis in Pontifices bacchantem: *Erat Julius vir magnanimus & patrimonii Sancti Petri assertor invictus; sancto Petro non modo sua retinere, sed &* AMISSA (*quorum non pauca*) RECUPERARE *cupiens, domitis pulsisque invasoribus: quæ diligentia multis ingrata accidit, quia etiam inter exortos hæreticos non deerant, qui in lucro ponebant siquid Sancto Petro rapuisset. Hi certe Julium conatibus eorum fortissime obviam euntem nec amare, nec laudare poterant. Hinc tot insectationes maledictis probe farctæ. Hinc dicteria & epigrammata aculeata, & id genus alia, quæ bile, odioque incensus animus eructare solet*. Cum Gretsero consentit quod ante illum scripserat Obertus Folieta: & hujusmodi veritas innotuit in morte Julii, *qui pie, ac sancte, memoriaque integerrima diem finivit extremum*, ut ait Hieronymus Borgius tum vivens, & ceteroquin Julii rerum parum studiosus. Paris Crassius, qui Julio morienti adfuit, testatur Romanos omnes Julii obitum luxisse, ad iustitiam, Ecclesiæ incrementum summopere promovendum a Deo missum agnoscentes, & ad populos e tyrannorum jugo, res ecclesiasticas sibi vindicantium, liberandos natum. Hinc illi cusa numismata amplissimis laudibus ornata: JUSTITIÆ. PACIS. FIDEIQUE. RECUPERATORI. Præterea: PEDO. SERVATAS. OVES. AD. REQUIEM. AGO. cum omnem vitam populorum libertati ac securitati impenderit. Hacque laude ab iis etiam Julius ornatur, qui illius morte gavisuri putabantur: illum enim deflentes, honorem, libertatem, ac vitam ipsam eidem se acceptam referre confessi fuerunt. Hæc porro de illo habet Papirius Massonius: *pro tempore necessaria fuit Julii severitas*. Et paulo post: *laudari actiones ejus æquissimum est ob singularem constantiam in ditione Ecclesiæ fortiter conservanda augendaque*. Non tamen Julio Pontifici plenis manibus donatas laudes melius in unum colligendas existimo, quam si testem recentissimum quidem, sed probatis-

Hist. Genuensium lib. 12. fol. 293. pag. 2.

M. S. de Bellis Italicis lib. 7.

Diaria m. s.

Claudii Molinati Historia Pontificum per eorum numismata p. 31. num. 1. 5. 32. 33.

P. Philippi Bonanni numismata Pontificum to. 1. pag. 139. num. 5. 13. 145. 152.

De Episcopis Urbis lib. 6. fol. 379. pag. 2.

batissimum, gravissimumque in medium adduxero. De Venerabili Cardinali Josepho Maria Thomasio loquor, qui sanctitate atque ecclesiastica doctrina cum nulli memoriæ nostræ concesserit, vetereſque ipsos æquaverit, in ejus vitam nunc merito inquiritur, ut Beatis quamprimum rite adscribatur. Hic ergo, vir tantus, crebris sermonibus prædicare consuevit incorruptam tanti Pontificis *justitiam*: quod dictum velim contra impudentes atque impios illius calumniatores, qui recens eum una cum aliis sanctissimis Religionis nostræ arbitris, quos etiam aris impositos veneramur, maledice, contumelioseque tractavit: quos inter potissimum numeratur Gregorius VII. cujus ad elevandam sanctitatem omnia, quæ a Schismaticis illius ætatis impie edita fuerunt coacervavit, in suas miserrimas accusationes Philippi Mornaii librum corrivans aut alios aliorum, qui omnem materiam ab ipso Mornaio suffurati sunt. Equidem quod ad me attinet, horrore perfundor, animadvertens sciolorum infelicis nostræ ætatis audaciam, qui a maledictis ac contumeliis contra Chisti Vicarios effusis laudem conquirunt.

VIII.

Parma ac Placentia Ecclesiæ per Maximilianum Mariam Sfortiam ereptæ, Leoni X. restituuntur.

1513.

Jam vero Sfortia suæ ditioni Julii II. ope redditus mox tanti beneficii oblitus, vix ipsius morte audita, quæ IX. Cal. Martias anno 1513. accidit, Hispanis copiis *Parmam* ac *Placentiam* occupavit, quamquam Leone X. ad Pontificatum evecto Sedi Apostolicæ utramque urbem, nulla *vi adbibita, ac non solum consensu, sed Imperatoris Maximiliani ac Regis Catholici jussu* restituit, teste Cardinali Farnesio, qui anno 1549. Carolum V. & Fani Episcopum hac de re certiores fecit. Quare Alexander Ruinagia, Albericus Baratterius, & Ludovicus Cassola Placentiæ legati fidelitatis Leoni X. sacramentum dicturi, Romam properarunt. Ex Leonis X. diplomatibus, quæ *Brevia* dicuntur, per Cardinalem Bembum conscriptis, manifeste patet, Comite seu Marchione Soraneæ, in Parmensi agro

Lib. 3. epist. 24. 25. 26. 27.

LIBER III.

agro positæ, demortuo, in beneficii possessionem Pontificem successisse, ac X. Cal. Apriles ipsum fratrem suum Julianum Medicem Marchionatus Soraneensis vicarium creasse, illi & successoribus natu majoribus onere imposito, ut *argenteum poculum unius pondo* singulis annis Romanæ Sedi pro censu exhiberent. Cum vero Joannes Baptista Mellus Cremonensis ad se Marchionatum illum ideo spectare contenderet, quod per ultimum possessorem Deiphobum Joannes Paullus Joannis Baptistæ filius ex asse heres relictus fuisset, rem Pontifex aliis videndam tradidit: cumque intellexisset, *quod de jure dicti Joannis Paulli non constabat*, XI. Cal. Octobres anno 1514. gravi doctoque viro, ut dispiceretur, caussa commissa, ejus se fuisse sententiam secutum declaravit: se nihilominus jura, quæ ad ipsum Joannem Paullum pertinere crederentur, integra servare. Dudum XI. Cal. Augustas anno 1513. ut Paris Crassus in suis Diariis recensuit, aliqua Placentinorum decreta Leo confirmaverat, annoque insequente 1514. VIII. Idus Martias Lazari Malvicini oratoris precibus aurea, argentea, & ex quovis metallo numismata cudendi facultatem fecit: quorum tamen in antica parte hæc legi jussit. LEONIS X. PONT. MAX. MUNUS. in postica vero urbis stemmata collocari. Tum III. Cal. Januarias ejusdem anni 1514. *Florentiolam* in Placentino agro positam Marchioni Marco Antonio Pallavicino ea lege tradidit, *ut quinque albæ ceræ libras* quotannis solveret. Opidum illud ab antiquis usque temporibus ad Sedem Apostolicam pertinuisse, constabit ex appendice. Præter hæc omnia pontificiæ dominationis in eas regiones monumenta, Leo X. Bullæ *in Cœna Domini* contra *occupantes vel invadentes loca S. R. E.* anno 1515. ab ipso editæ, hæc inseruit, tanquam publicum recuperationis earundem urbium documentum: *nos etiam post nostram ad Summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumptionem*, PAR-

Lib. 2. m. s. diversorum Leonis X. fol. 93. pag. 2.

Diaria m. s. Paridis de Crassis.

1514.

Liber m. s. Brevium Leonis X. fol. 79.

V. in fine num. VI. XIII.

Bullar. Roman. tom. 1. in Leone X. const. XIII.

1515.

PARMAM & PLACENTIAM *civitates, quibus Apostolica Sedes, ea tunc vacante, spoliata fuerat, summa diligentia* RESTITUI *curavimus*. Postmodum Thoma Campegio e vivis erepto, Placentiæ administrationi Julianum Medicem admovit, Parmæ, Regii, ac Mutinæ perpetui præsidis munere ei adsignato. Aurea, argentea, atque ænea Leonis X. numismata his temporibus cusa servantur, quibus summum ejus in Parmam, aliasque Æmiliæ urbes imperium evidentissime ostenditur. Quia vero numismata in omnium usum traducta, & *vultu Principum signata*, ad imperia principum palam indicanda ac declaranda potissimum valent, eorum, quæ Romæ in Illustrissimorum Præsulum Leonis Strozæ & Justi Fontanini; Commendatoris quoque Salutii, Equitis Dionysii Marescotti, itemque Marci Antonii Sabbatini, Xaverii Scyllæ, aliorumque Cimeliis reperiuntur, hic collocabimus. Et quoniam ad ea tempora pervenimus, quibus Apostolicæ Sedis jurium ignoratio ita omnium pene mentes occupavit, nihil ut crebrius, quam eorum longa oblivio passim occurrat, hæc numismata tot documentorum, quæ recitavimus, auctoritatem magis augebunt, & lucem aliquam, si fieri poterit, ultro cæcutientibus suppeditabunt.

Guicciardinus lib. 12. pag. 150. edit. Italicæ Jolitii.

Angelus lib. 5. pag. 479.

Paullus lib. 5. senten. tit. 25.


Matthæi XII. 21.

Xaverii Scyllæ Brevis Notitia nummorum pontificiorum p. 34. 337. 338. Italice.

LEO. X.


LIBER III.

I.




LEO X. PONT. MAX.	PARMÆ. DOMINVS. 1514.
Protome Pontificis capite nudo.	*Corona triplex, claves decussatæ & insignia Leonis X.*

II.



LEO. X. PAPA.	REGIVM. OLIM. ÆMILIAe.
Corona triplex & claves decussatæ.	*Crux media.*

III.



LEO. X. PONTIFEX. MAXIMVS.	S.GEMINI*anus*.MVT*ina*.PONTI*fex*.
Protome, ut supra.	*Episcopus sedens tenet pedum in sinistra, & civitatem in dextra.* *Infra parmula, in qua sunt insignia Medicea Leonis X.*

Fran-

LBEIR III.
IX.

Parma ac Placentia per fœdus cum Imperatore Maximiliano I. percussum rursus Ecclesiæ confirmatæ: ac deinde a Francisco I. Galliarum Rege occupatæ.

Franciscus I. in demortui Ludovici XII. locum suffectus, regiones Ludovico pridem ereptas repetiturus in Italiam contendere statuit. Quare ceteri viri principes, ut eum repellerent, de fœdere inter se percutiendo cogitarunt. Hoc vero factum inter Bernardum Cardinalem Bibienam Leonis X. Pontificis nomine, Albertumque Pium Carporum Comitem pro Maximiliano I. cujus personam in Romana legatione sustinebat, ac pariter inter Ferdinandum Catholicum, Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem, Octavianum Fregosium Genuæ pariter Ducem, atque Helvetios, in quorum ditione per Cardinalem Sedunensem, gentis arbitrum, sancitum est priusquam Pontifex ei nomen daret, quomodo apud Guicciardinum aliosque Historicos legimus. In hoc fœdere ad omnes dissidii caussas in posterum tollendas, mutuo consensu statutum est, ut *Parma* ac *Placentia*, a Sede Apostolica tunc possessæ, ejusdem Sedis & Pontificis, aut illorum, quos ipse delegisset, omnino propriæ essent atque haberentur, Leone palam declarante, nullum se quacunque de caussa Ecclesiæ juribus detrimentum inferre velle. Ipsa fœderis capita Julio Ursino in Germaniam a Paullo III. proficiscenti, ut infra narrabitur, tradita fuerunt. (a) Gonzalus Yllescas Hispanus, (b) Petrus Justinianus & (c) Paullus Paruta Veneti præter (d) Paullum Jovium Novocomensem hoc ipsum fœdus memorarunt, eorumque postremus affirmat, Leonem in societatem venisse, *quando Placentiam, Parmamque, quas urbes Gallus haud obscure repetebat, vi vel pactione dimittere, neque suæ, neque pontificiæ dignitatis esse arbitrabatur*. Calendis Martiis anno 1515. Maximilianus omnia rata fecit, hoc pacto declarans *Parmam* ac *Placentiam* ad Pontificatum spectare. Deinde IV. Nonas Augustas ejusdem anni Marinus Caracciolus, postea Cardinalis, a Sfortia procurator electus, scripto publico se jure omni, quod in illas urbes, earumque comitatus Sfortiæ esse poterat, se abdicavit:

Hist. Ital. lib. 12. pag. 592. edit. Ital. apud Iolitum.

a) *Historia Pontifical. tom. 2. lib. 8. fol. 200. Hisp.*

b) *Histor. Veneta lib. 12. pag. 250.*

c) *Historia Veneta lib. 3. pag. 112. edit. 1645. Ital.*

d) *Histor. lib. 5. fol. 116. edit. Parisien. anni 1553. apud Vascosanum.*

1515.

vit: idque omne Leoni X. penitus concessit; cum in fœderis conditionibus ex composito & de consensu Cæsaris convenisset, ut id a Sfortia præstaretur. Acta hæc Romæ coram Legatis Cæsareo & Hispano, Julio Cardinali Mediceo, (qui postea Clemens VII. dictus est) tradita, Leonis nomine accipienti. Sed cum Franciscus I. magno agmine stipatus in Italiam ingressus fuisset, ex Marignani prælio victor mox tanto terrore Leonem perculit, ut hunc æque ac Florentinos, Urbini Ducem ac gentem Mediceam in suam societatem transire coegerit III. Idus Octobres anno 1515. tabulis Viterbii scriptis, quibus Leo *Parmam* & *Placentiam* his verbis invitus deseruit: *ex nunc eidem Christianissimo Regi Parmam & Placentiam civitates* RELAXAMUS *ac* DIMITTIMUS. Inter tractatus varios de Pace hoc documentum vulgatum est, ubi ad oram hæc, a nobis latine reddita, leguntur: *Uno tantum conventu habito hic tractatus statutus fuit, tantus terror Pontificem oppressit ubi Franciscus I. Marignani victoriam adeptus est.* Eadem pariter a Jovio narrantur: *res itaque eo modo compositæ, ut Pontifex Parmam atque Placentiam, quas urbes armis tueri* NON *poterat, Gallos occupare* SINERET. Arnoldi Ferronii animum nequaquam sincerum hæc detegunt; is enim in Paulli Æmilii Historia prosequenda hac de re sic falso loquitur: *Parmam & Placentiam Regi Pontifex reddidit, velut vetus Mediolanensium patrimonium.* Etiam Guicciardinus utramque civitatem non ad Pontificatum, sed ad Ducatum Mediolanensem pertinere contra veritatem opinatus, in eo fœdere decretum scribit, ut Pontifex *Parmam ac Placentiam Galliarum Regi restituere deberet.* Angelus nulla in re magis, quam in Guicciardini verbis exscribendis, ejusque studiis temere sequendis occupatus, id ipsum affirmat. Admiratus ut se totum ad horum auctoritatem conferret, ad eumdem scopulum offendit, cum tamen omnes sibi facile cavere potuissent, fœderis capita omnibus no-

Tractatus Pacis tom. 2. pag. 65. edit. Amstelodam. 1700. Gallice.

Historia sui temporis lib. 15. fol. 180.

De rebus Gallorum pag. 91.

Historiæ Italiæ lib. 12. pag. 605.

Hist. Parmæ lib. 5. pag. 481.

Admiratus Histor. Florent. tom. 2. lib. 29. pag. 318. Italice.

LIBER III.

notissima consulentes, quemadmodum Historicus Paruta eadem consuluit, qui ipsorum capitum summam adducit. Hic igitur narrat, *Pontificem, postquam multos dies, noctesque in maximis curis traduxisset, tandem Regi satisfacturum, de illis urbibus* DIMITTENDIS *consilium cepisse, postquam omnes suos conatus ad Venetos secum & cum Cæsare conjungendos irritos comperisset, nec res sine periculo longius posset proferri, quod a victorum armis se, suaque nec viribus propriis, nec fœderatorum tutari posse existimaret.* Hinc Cardinalis Alexander Farnesius in epistola VI. Cal. Majas anno 1549. scripta ad Petrum Bertanum Fani Episcopum, tum apud Carolum V. Apocrisarium Apostolicum, vere affirmavit, *eas urbes a Leone X. non fuisse restitutas Gallis, quasi illæ ad Ducatum Mediolanensem, quo jam potiti erant, pertinerent; sed* TANTUM RELICTAS, *cum nullum aliud remedium occurreret, cæso fœderatorum exercitu ab iisdem Gallis, quorum eo tempore impetum nemo erat qui in Italia retunderet; Pontificem tamen, qui aliis armis uti non potuit, usum iis, quæ præsto erant, Bulla vulgata in occupantes Ecclesiæ patrimonia, ac præsertim Parmam ac Placentiam. Neque est cur hac de re dubitemus, oblatam enim eas urbes recuperandi occasionem Leo Pontifex statim arripuit, quemadmodum egit anno* 1521. *cum Carolo V. conveniens per certa capita, quibus jura Ecclesiæ omnino statuuntur, atque in tota luce collocantur. Quippe Carolus Parmæ ac Placentiæ* RESTITUTIONEM *Pontifici ea ratione promisit, qua eas Julius ac Leo obtinuerant: qui certe utramque, tamquam propriam ac pleno jure possederunt. Ac præterea omnia se in Apostolicam Sedem jura collaturum spopondit, quæ sibi Imperii caussa arrogare unquam potuisset, jubens pariter Mediolanensem Ducem de suo qualicumqae jure cedere.* Hactenus Farnesius, quocum consentit Panvinius, hac de re summa fide hæc scribens: *Placentia & Parma, quas Julius II. Ecclesiæ adjecerat, a Francis, Pontifice repugna-*

Historia Veneta lib. 3. pag. 140. italice.

Liber M. S. 59. diversorum fol. 95.

In Leone X. pag. 367. edit. Colon. 1611.

gnare non auso, *occupatæ*. Quare palam fit, a Leone *Parmam* ac *Placentiam* Francisco Regi, tamquam Mediolanensium Duci, neutiquam *restitutas*, sed illas quidem certe *desertas*, dum pontifex majora timens pericula ac vi coactus easdem a Gallis occupari sivit. Hoc paucis significavit Hieronymus Borgius, de fœdere, quod Leo cum Carolo V. postea percussit, sermonem habens: *Leo Parmam*, *Placentiam*que VI GALLICA sibi *nuper ereptas ægre ferens* &c. Hinc [a] Leander Albertus ac [b] Petrus Josephus Cantelius a veritate immaniter aberrarunt, dum alter Parmam ac Placentiam Francisco I. a Leone *restitutas* scriptum reliquit, alterque de Parma hæc tradidit: *eam tamen Francisco Regi Leo X. restituit*. Hoc pacto sæpe conspicimus, nihil esse tam facile, quam ab alienis erroribus decipi, nisi ex quorundam scriptorum narrationibus oculati sanique criterii ope veritas educatur. Sed interim semidoctorum, & malevolorum turba irruit, qui tenebras veritati offundere ac summo studio curaque falsa conquirere gestiunt: atque horum parvi interest res ipsas penitus introspicere; sed contra cœco impetu ea omnia consectari student, quæ scripta passim offendunt, dummodo ipsorum animo, in Sedem Apostolicam pessime affecto, arridere videantur. Et sane vitium hoc in illis omnibus hactenus deprehendere licuit, qui scriptis suis Ecclesiæ Romanæ damnum afferre conati sunt. Id vero cum ex hac, tum ex aliis in publicum emissis defensionibus nostris maxime patet.

M. S. de Bellis Italicis lib. 8.

a) *Descriptio Italiæ fol. 337. edit. 1. 1550. Italice.*

b) *Metropolitanarum Urbium historia pag. 242.*

X.

Parmam ac Placentiam Carolus V. ad pontificatum pertinere fatetur: quas Leo X. ex fœdere cum Carolo recuperat.

1521.

Res *Parmæ* ac *Placentiæ* ita se habuerunt, donec post Maximiliani I. Imperatoris mortem in ejus locum Carolus V. anno 1521. suffectus, de Gallis ex Italia ejiciendis cum Leone agitavit, ita tamen ut Pontificatui *Parma* ac *Placentia* restituerentur. Inter capita fœderis, quod Joannes Emmanuel Caroli V. Legatus Romæ iniit, & VIII. Idus Majas anno 1521. signavit, ut apparet ex tabulis, quas notis illustra-

ſtratas in fine dabimus, hæc pariter recenſentur: *Item cum Sereniſſimus Cæſar conſtitutum habeat* REINTEGRARE *Sanctam Romanam Eccleſiam & Sanctam Sedem Apoſtolicam ad eas res omnes, quæ ad eam* JURE *ſpectant, ut optimi* PROTECTORIS *ejus &* ADVOCATI *nomen, officiumque, adimpleat, ex nunc promittit Serenitas ſua quamprimum Galli e Mediolanenſi ſtatu fuerint expulſi, etiamſi arces nondum recuperatæ fuerint*, RESTITUENDAS *ſe curaturum* PARMAM *atque* PLACENTIAM *Sanctiſſimo Domino noſtro & Sedi Apoſtolicæ, prout a felicis recordationis Julio II. & a Sancta Sede poſſeſſæ atque obtentæ fuerunt*. Hæc ipſa fœderis verba Doctoris Mediolanenſis mendacium ob oculos ponunt, qui ait, *expreſſe conventum, ne juribus Imperii præjudicium adſerretur*: cujus rei teſtem Guicciardinum adducit in libro XI. ubi tamen de *Julio* II. non de *Leone* X. loquitur. Nec dubitari poteſt, quin Julius II. ac Leo X. eas civitates, ut *proprias* ac *pleno jure* poſſederint, ſi quæ hactenus dicta ſunt, memoria recolantur. Tunc inſuper Carolus V. recepit, ſe de omni imperatorio jure ceſſurum, quod in eas urbes habere umquam potuiſſet: totum illud in Apoſtolicam Sedem translaturum, ſeque ita acturum, ut hæc eadem Franciſcus Sfortia firmaret: *renunciando & in eam* OMNE JUS, *actionemque, quam ipſe* FORSITAN *ad eas jure Imperiali prætenderet ſe habere, transferendo, idemque efficiendo, ut Franciſcus Sfortia eiſdem cedat, eidemque Apoſtolicæ Sedi, omneque jus, quod, tamquam Dux Mediolani in eas habet, in Apoſtolicam Sedem transferat: quas etiam civitates ſupradicto caſu Sanctiſſimus Dominus noſter recipere & recuperare ſibi ipſi poſſit, & illi intelligantur conceſſæ & datæ*. Deinde Pontifex VI. Cal. Auguſtas contra Odetum de Foix Lautreci Dominum, Mediolani præſidem, ac Thomam de Foix Scuti Dominum, ejus legatum, tamquam Parmam ac Placentiam injuſte occupantes, edictum vulgavit: aliudque pridie nonas

V. in fine num. XXXIX.

Animadverſ. num. 112. §. Tenorem.

V. in fine num. XL.

Lib. X. M.S. ſecret. Leonis X. fol. 209.

LIBER III. nonas Septembres contra Franciscum I. ejusque ministros, earumdem urbium detentores, quos a Christianorum communione separavit, ni quindecim dierum spatio urbes ipsas Sedi Apostolicæ restituerent una cum solutione salis fisco pontificio erepti, unde quinquaginta millia nummum in ærarium conferebantur. Illud pariter declaravit Pontifex, se nulla alia de caussa, nisi graviorum incommodorum formidine ad eas civitates Regi Christianissimo dimittendas pridem inductum: *nosque ejus furori resistere non valentes, ac majora scandala propter ejus insolentiam & minas formidantes, Parmam & Placentiam civitates, ad nos & Romanam Ecclesiam pertinentes, quiete & pacifice reliqueramus*. Dux Raynutius Farnesius ad Imperatorem Leopoldum sic de hoc fœdere loquitur: *descenderunt in fœdus, tacito Imperii ordinum consensu approbatum per silentium 160. annorum Leo X. Pontifex Romanus & Carolus V. Imperator, ut Gallos Italia pellerent anno 1521. per cujus fœderis conditiones (& scripserunt illius temporis Historici, eventusque demonstravit)* PLACENTIA & PARMAM *cesserunt Sedi Romanæ & pro belli expensis, & pro juribus, quæ Pontifices habebant in dictis civitatibus*. Autographa hujus fœderis capita per Jacobum Sadoletum & Joannem Matthæum Gibertum, viros clarissimos, ministrosque pontificios lineis notata, atque ab ipso Leone X. ac Joanne Emmanuele Cæsaris Legato signata, Romæ anno 1549. ostensa fuerunt Caroli V. Legato Didaco Hurtado Mendozæ, qui tum capitum fœderis anno 1511. tum anno 1515. constituti accurate exceptum exemplar, perque duos scribas suos obsignatum, ad Cæsarem ipsum misit, qui Fanensi Episcopo, se alterius fœderis anni 1521. *summam, non autem verba memoria* tenere significaverat. Ipse tamen Carolus in longissima epistola XV. Cal. Octobres anno 1526. ad Clementem VII. scripta non solum palam testatus, sed etiam maxime gloriatus est, *Par-*

Remonstrat. §. XLVII.

1526.

LIBER III.

Parmam ac *Placentiam* (quod pariter Cardinalis Sfortia Pallavicinus monuit) Apostolicæ Sedi ejus opera restitutas. Ad ea, quæ in toto hoc opere a me narrantur, validius corroboranda, & quamlibet pravam cavillationem procul amoliendam, placuit hactenus in medium proferre acta publica, atque ea concordibus variarum gentium Scriptorum testificationibus munire, qui ipsorum, de quibus agitur, Principum imperio suberant; ita enim, quæ ab hujusmodi Scriptoribus traduntur, actorum veritatem non solum confirmant, verum etiam magnopere explicant. His pariter firmius statuendis accedit nummorum auctoritas, qui pro actis documentisque, in hominum quotidiano commercio exstantibus, sumuntur. Ideo hic pariter monebo, de fœdere supra memorato, ut rei omnibus maxime notæ, præcipuos variarum nationum Historicos, Hispanos, Gallos, Belgas, Germanos, Italos, pariterque Austriacæ genti imperio subiectos meminisse: quorum principem ponimus [a] Galeatium Capellam Mediolanensem, iis ipsis temporibus florentem, qui fœderis exitum descripsit, initum asseverans *iis conditionibus*, *ut* PLACENTIA, PARMAQUE *Romanæ Ecclesiæ* PAREANT. [b] Gonzalus Ylescas in Pontificali Historia narrat, in fœderis societetem ideo Pontificem venisse, ut *suas duas urbes recuperaret*: atque in illis rerum difficultatibus ut nummos cogeret, collegium Sancti Petri equitum, unde septingenta ducatorum millia exacta, instituisse, præter duo alia quæstorum, scutiferorumque collegia, ex quibus magnam auri, argentique vim calamitosis illis temporibus traxit. [c] Prudentius Sandovalius Philippi III. Regis Catholici Chronographus in Caroli V. Vita testatur, Carolum, ut secum Pontificem fœdere junctum haberet, PARMAM *se* ac PLACENTIAM, *quæ ad Ecclesiam spectabant*, *restituturum*, promisisse. [d] Antonius de Herrera, scriba Philippi I. & Chronographus fidem facit, fœdus ea conditio-

Historia Concilii Tridentini lib. 2. cap. 13. §.10.

a) *De Rebus gestis pro restitutione Francisci II. Mediolanensium Ducis lib.I.inter scriptores Germanicos Schardii to.2.pag.156.*

b) *Histor.pontifical.to.2. fol.229.pag.2.*

c) *Vita Caroli V. tom.1. pag.527. §.XV. Hispanice.*

d) *Commentarii de Gestis Hispanorum pag. 305. Hispanice.*

ditione ictum, ut *si Parma ac Placentia recuperarentur, in Pontificatus potestate manerent*. (a) Ludovicus Cavitellus, (b) Antonius Campus, (c) Martinus Bellajus, (d) Arnoldus Ferronius, (e) Pontus Heuterus, (f) & Joannes Sleidanus hæc ipsa confirmant. His accedunt (g) Franciscus Guicciardinus, (h) Paullus Jonius, qui ab Yllesca tradita & ipse recenset, (i) Mambrinus Roseus, ac (k) Bonaventura Angelus. (l) Subsequuntur Onuphrius Panvinius, (m) Ludovicus Dulcius (n) Paullus Paruta, (o) Andreas Maurocenus (p) & Antonius Possevinus junior: qui omnes in eamdem sententiam conveniunt. (q) Jovius in Elogiis virorum bellica virtute illustrium ait, Cardinalem quoque Sedunensem *mirifice adjuvisse* (Leonem Pontificem) & ut probum Cardinalem decuit, *nunquam ab auctoritate pontificii nominis discessisse*. Quamobrem post tot testimonia corruit id omne, quod contra fœderis capitum veritatem (r) Musæus post Thuanum somniavit. Tot, tamque varios, gravesque scriptores, omnes a quavis suspicione remotissimos, huc adducere oportuit, ut eorum auctoritate capita in eo fœdere scripta nota redderem & undequaque firmarem. Ad ea enim tempora perventum est, quibus ejusmodi homines passim occurrunt, qui perfricta fronte summaque audacia res notissimas, certissimasque in dubium vocant, privatæque utilitatis caussa contra jus fasque res Principum amplificandi maximum animi ardorem ostendere gestiunt, ut interim Sedi Apostolicæ bona juraque omnia diminuant ac penitus tollant, hoc pacto Imperatorum ac Principum nomina palam lædere non dubitantes, quorum adstricta tam sacris publicisque fœderibus fides, ut Christophorus Besoldus Jurisconsultus Germanus, gravis atque insignis, vere docet, *juramento æquipollet*. Cum enim Summi Principes juri civili non subsint, unum jus naturæ respiciunt, in quo simplex affirmatio jurejurando assimilatur: sique fides ac jus verborum deessent, cum Prin-

a) *Annal. Cremonæ an. 1520. fol. 271. pag. 2.*

b) *Cremona illustrata lib. 3. pag. XV. edit. I. Italice.*

c) *Commentarius de rebus Gallicis lib. 1. pag. 32.*

d) *In Francisco I. p. 100.*

e) *Rerum Austriacarum lib. 8. cap. 12. pag. 197.*

f) *Commentarior. lib. 2. fol. 38. pag. 2. edit. 1555.*

g) *Lib. 14. pag. 669.*

h) *Vita Leonis X. lib. 4. pag. 103.*

i) *Histor. Neapol. lib. 1. pag. 31. Italice.*

k) *Historia Parmæ lib. 5. pag. 483. Italice.*

l) *In Leone X. pag. 369. col. 2.*

m) *Vita Caroli V. p. 23. Italice.*

n) *Historia Veneta lib. 4. pag. 196. Italice.*

o) *Historia Veneta lib. 1. pag. 4.*

p) *Historia Gonzagarum lib. 7. pag. 71.*

q) *Lib. V.*

r) *Commentatio Musæi pag. [illegible]*

De Fœderum jure cap. 6. §. 8. pag. 76.

Principibus, ordinario judicio & legibus solutis, agi non posset. Quanti vero communis tot Historicorum auctoritas habenda sit, & an cunctis oppositionibus ex malo animo jam productis, ac forsitan producendis præferri debeat, quamvis alia argumenta deessent, ex his colligi abunde posset, quæ dicta sunt secundum Jurisconsultorum decreta, qui a Caussidico Mediolanensi, in quem scribimus, toto cœlo differunt.

Lib.I. cap.XXII.

XI.

Parma ac Placentia per Leonem X. juste recuperatæ.

De *Parma* ac *Placentia* Sedi Apostolicæ recuperatis certior factus Leo X. in villa Malliana, parum ab urbe Roma distante, non multo post e vita excessit: *æquo, paratoque animo postquam Parmam & Placentiam sine vulnere* RECUPERATAS *conspiceret*, (a) Jovio, (b) Yllescaque testante. Utraque enim urbs, *ultro & maximo populi consensu* se dedidit; sicut (c) Guicciardinus tradit, cum in eo fœdere Legati Apostolici officio fungeretur Julius Cardinalis Mediceus, quem (d) illo munere ab se ornatum Leo profitetur, *ut Parmam & Placentiam civitates* NOSTRAS, *quas a dicto Rege* OCCUPARI ac DETINERI *publicæ pacis & quietis caussa per aliquot annos toleravimus, tandem recuperare possimus*. Quæ ad illam recuperationem pertinent, (e) nummus exprimit Leoni cusus, in quo *quadriga triumphalis* cernitur. Sumptus a Sede Apostolica in fœdere collocati, *ad decies centena aureorum millia* pervenerunt, quemadmodum Carolo V. Placentiam occupanti Julius Ursinus exposuit: perque eos sumptus non solum *Parma* ac *Placentia* Pontificatui recuperatæ; verum Imperio quoque Mediolanensis Ducatus partus est. Quapropter Fanensis episcopus concilio ministrorum Caroli V. cum memorasset epistolam ab ipso ad sacrum Cardinalium Senatum missam ac in lucem editam, ubi Cæsar ea recensuit, quæ in Apostolicam Sedem ab se conlata affirmabat *Parmam* & *Placentiam* ei opera sua redditas gloriatus, subinde sinceritate ac libertate, Episcopo vere digna, hæc ipsa, a nobis latine reddita, pronunciavit: *quo jure Cæsar Mediola-*

a) *Iovius in vita Leonis X. lib. 4. pag. 107. 108.*

b) *Yllescas tom. 2. fol. 230. pag. 2.*

c) *Histor. Italiæ lib. 14. pag. 694. edit. Ital. apud Iolitum.*

d) *Lib. X. secret. Leon. X. fol. 232.*

e) *Molineti Historia pag. 35. num. 3. & pag. 36.*

Bonanni Numismata Tom. 1. pag. 163. num. 8. & pag. 169.

Apologeticus pro Carolo V. Moguntiæ per Io. Schoeffer anno 1527. in 4. pag. 95.

Prodiit etiam Antuerpiæ apud Godefridum Dumæum anno eodem 1527. in 8.

Lib. 54. mss. diversor. pag. 103.

LIBER III.

diolanensi Ducatu potitur, eodem ac potiore Ecclesia utrasque illas urbes possidet. Neque est dicendum, hoc ab Imperatore ignorari; nam in quibusdam ejus litteris, Clementis sanctæ memoriæ tempore ubique terrarum vulgatis, & ad sacrum Purpuratorum virorum cœtum scriptis, nunc autem editis, inter alia beneficia, quibus se ait Sedem Apostolicam cumulavisse, hoc quoque numerat, videlicet se eidem PARMAM *ac* PLACENTIAM *recuperasse; quamvis multo melius dixisset, Ecclesiam Cæsari Mediolanensem Ducatum comparavisse. Ubi enim ipse ex animi sententia judex ac testis hac de re esse velit, optime intelliget, ab se Placentiam restituendam esse, cum is imperium iniens eam urbem in Ecclesiæ dominatione compererit, juraveritque, se omnia, quibus tum potiebatur, Ecclesiæ servaturum. Cumque Cæsar Ecclesiæ sit Advocatus, si hæc ab Advocato spoliatur, quis eam tuebitur? Dico ergo, omnia jura postulare, ut Imperator Placentiam Ecclesiæ restituat: sique velit ex Christianorum institutis vivere, non posse ipsum secus agere.* Hactenus Bertanus Ecclesiæ Romanæ Apocrisarius quo tempore Carolus V. Placentiam Ferdinandi Gonzagæ arte occupatam post Petri Aloysii Farnesii necem detinebat: de quo infra dicturi sumus. Ut vero quæ Fani Episcopus concilio Cæsareo verissime exposuit, firmius a me stabilita consistant, hac de re testimonium recitabo Germani & æqualis scriptoris, qui Matthæi & Matthiæ Palmeriorum Chronica est prosecutus: *Cæsariani milites*, ait ille, OPERA *Leonis X. Mediolanensium tum arcem, tum civitatem, pulsis Gallis, recipiunt.* Germani auctoris verba hæc perpendantur: OPERA *Leonis*. Etenim accurate perpendi debent, cum meram veritatem a me hactenus patefactam, complectantur. Nec solum ipsa Caroli V. ætate Ducatus Mediolanensis receptus, Imperioque servatus est unius Sedis Apostolicæ sumptibus, quod Carolo ipsi anno 1549. ut postea dicam, Cardinalis Joannes Franciscus Sfondratus in memoriam revocavit, sed etiam paullo ante

Ad calcem Chronici Eusebii pag. 214. edit. Basileensis an. 1536.

ante, Ecclesiæ Romanæ impensis & Julii II. Pontificis opera, Maximiliano I. idem Ducatus restitutus fuerat, quemadmodum publicis tabulis in Lateranensi Concilio recitatis, Ducem Maximilianum Mariam Sfortiam confessum audivimus. Ergo Imperium illis temporibus Mediolanensem Ducatum Romanæ Ecclesiæ acceptum referebat. At contra hodie, mutato sermone, a Scriptoribus seditiosis ac falsa narrantibus secus in vulgus spargitur, nimirum Apostolicam Sedem Ducatus Mediolanensis urbes sibi injuste vindicare. Jam vero, ut unde discessit, revertatur oratio, Carolus V. quinquennio postquam Leo *Parmam* ac *Placentiam* recepisset, in longiori epistola ad Clementem VII. Granatæ anno 1526. XV. Cal. Octobres ab eo scripta, tumque, ut omnibus innotesceret, typis quoque vulgata, fœdus cum Leone initum memorat, suam hisce verbis sententiam aperiens: *hoc itaque fœdere freti, cum ipsius divi Leonis copiis, nostris adjunctis, & ut antea retulimus, sub vestræ Sanctitatis præfectura & legatione per nos actum, executumque extitit, ut* PARMA *&* PLACENTIA *Ecclesiæ* RESTITUTIS, *ipsoque illustri Francisco Sfortia in paterno solio stabilito, Galli etiam non sine magna illorum strage, ducum nostrorum virtute, illustrium videlicet Prosperi Columnæ, Marchionisque Piscariæ, ac aliorum nostri exercitus ducum & militum, ab Italia omnino expulsi fuerint. Et hæc sunt, quæ Leonis tempore vestra Sanctitas pro nobis egit: quæ tamen non ita passim irremunerata fuere, quum & ipsa Romana Ecclesia suum ex his auxerit patrimonium non solum Parmæ & Placentiæ* RECUPERATIONE, *sed etiam novi census onere Regno nostro Neapolitano injuncto*. Si ea, quæ Leo X. Juliusque Medices Legatus in fœdere pro Carolo V. gessere, *irremunerata non fuerunt*, dicendum pariter est, illam *recuperationem* ab una Caroli erga Ecclesiam magnanimitate nequaquam profectam, cum ex unis Sedis Apostolicæ sumptibus & fœderis conditionibus vere profecta fuerit.

LIBER III.

Apologeticus pro Carolo V.

LIBER III. *Cæsari deinde* (Leo) *fœdere conjunctus*, ut Panvinius
Vita Leonis X. pag. 369. loquitur, *arma Gallis intulit, ut iis Italia pulsis, Franciscus Sfortia Mori filius jure paternæ hereditatis Mediolanense imperium obtineret*, PLACENTIA *vero &* PARMA *a Gallis impotenter ereptæ* LEONI RESTITUERENTUR. Et paullo post: *Ducatus Francisco Sfortiæ Cæsaris auspiciis ex* FOEDERUM LEGE *datur, Parma & Placentia Ecclesiæ* RESTITUTÆ. Ad hæc Carolus V. ut Maximiliani I. avi sui paterni, ac Ferdinandi Catholici, materni avi, successor, quidquid ipsi Romanæ Ecclesiæ adsignaverant, tueri ac servare debuit, seque ita gerere, ut civitates Ecclesiæ redditæ, in ejus dominatione firme constanterque persisterent. Hoc in loco res quamvis trita atque omnibus probe cognita silentio transmitti nequit, homines nimirum, qui Pontificum actionibus obtrectare semper student, eo impudentius de eorum sanctitate detrahere, quod fœdera percusserint, & sacra anathematum auctoritate usi, Ecclesiæ bona uni Deo oblata & in ultimum discrimen adducta, hoc pacto servarent atque defenderent. Sed qui sic loquuntur, malum animum æque produnt, ac pinguem rerum inscitiam, de quibus disputant. Si enim Ecclesiæ leges de pœnis contra bonorum Ecclesiæ direptores statutis passim agunt, potestas sit oportet, quæ pœnas hujusmodi statuat atque imponat: neque Sancti Petri patrimonia, tantopere a rerum sacrarum civiliumque scriptoribus celebrata, hoc jure, per Summorum Pontificum potestatem administrando, carere debent. Quare necessario consequitur, ut ad Principis Apostolorum successores auctoritas munusque pertineat (quemadmodum ad eos semper antea pertinuisse compertum est) diligentissime providendi, nequid Ecclesiæ bona detrimenti per direptores capiant. Qui vero ob hæc Summis Pontificibus obloquuntur, haud certe erga Sanctum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem se magis pios ostendent, qui, ut Ecclesiæ suæ bona

ac

ac jura tueretur, martyrium subiit. Quæ tamen pro Sancto Thoma ad ipsum sanctissimum virum scripsit Venerabilis Abbas Petrus Cellensis, hæc eadem Adversariis nostris apte conveniunt: *dicunt enim: non debet Archiepiscopus tam instanter sua repetere a Rege Angliæ, ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri, vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt: qui adulatione falsi, repellendi.* Et paullo post: *pensanda sunt tempora & diversi status temporum, secundum quos mutantur merita caussarum. Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteretur & pallium. Alius enim erat, & alibi, idest extra Ecclesiam qui persequebatur, alius & alibi, idest intra Ecclesiam qui patiebatur. Modo autem jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ quod aliquando licuit inimicis.* Ita Cellensis. Quod ad justa *fœdera* attinet, Pontifices, eosque sanctissimos, rebus Ecclesiæ in angustias conjectis, eadem fecisse accepimus, & usque a Stephani II. Pipinique Francorum Regis temporibus, ut antea diximus, perpetua fœdera publicis pactionibus feriri cœperunt. Si autem Pontifices mille ab hinc annis hæc iniere, profecto hinc patet, ab iisdem non ignoratum, an ipsi justa de caussa fœdera inire possent. Verum hæc iis unis displicent, qui oblationes, Ecclesiæ Romanæ factas, *donorum inanium* impio scommate irrisisse nequaquam contenti, eo deveniunt, ut tamquam falsas, *nullas* & *effectu carentes* palam traducant, insuper non dubitantes patrimonia Sancti Petri infamia notare, tamquam acquisita *anathematibus, bellis* ac *fœderibus*, dum Ecclesia *secundo vento utebatur*; omniaque *Cæsareo Imperio* Arnaldi Brixiani, ut tempore Augusti, subesse. Quinam sint qui tantum audent, in nostris pro Sede Apostolica Defensionibus satis ostendimus.

Lib. 1. epist. 10.

Defensio I. pag. 242. 243. 347.

Defensio II. pag. 14. 15. 16. 17. 161. 286.

Par-

LIBER III.

XII.

Parma ac Placentia a Leone X. & Hadriano VI. possessæ.

a) *Histor. Italiæ lib. 14. pag. 596. Ital.*

1522.

b) *Diaria m. ss. Blasii de Cæsena.*


c) *Lib. 1. m. s. diversor. Hadriani VI. fol. 57. — Lib. 6. fol. 4. pag. 2.*

d) *Lib. 1. m. s. diversor. fol. 18.*

Brevis notitia Scyllæ pag. 35. 237. 338. Ital.

Parma ac *Placentia* Romanæ Ecclesiæ restitutis, (a) Guicciardinus, qui cum Cardinali Mediceo tunc Mediolani morabatur, ut ipse narrat, ad *Parmæ* administrationem missus est: Antonium vero Puccium Pistoriensem Episcopum & postmodum Cardinalem, duobus Alexandris, Vitellio & Columna comitantibus, ad ineundam *Placentiæ* possessionem profectum testatur Ludovicus Cavitellus in Annalibus Cremonensibus. Deinde sex Placentini oratores Romam missi IV. Cal. Octobres anno 1522. quos Hadriano VI. fidelitatis jusjurandum dixisse (b) Blasius Cæsenas pontificiis cæremoniis præpositus in suis Diariis scriptum reliquit. Tum (c) varii illarum partium beneficiarii, ut Arcis Turricellarum & Castri Sancti Joannis, ad eadem Pontifici præstanda suos Romam miserunt. Ipse Hadrianus, qui VI. Idus Decembres anno 1522. soluta sibi (d) a Placentinis vectigalia recepit, in utraque civitate, nullo reclamante, dominatus est, ex iis percipiens redditus, suo imperio subjectos in locorum beneficiariam possessionem mittens, omniaque exercens, quæ summis Principibus verisque possessoribus licent. Nonnulla argentea numismata, absolutum idem Hadriani VI. in *Parmam* ac *Placentiam* imperium significantia, statim collocabuntur.

I.



HADRIANVS. ELECT. PONT. MAX.


Protome Pontificis capite nudo.

SECVRITAS. VRBIS. PARMÆ.

Corona triplex, claves decussatæ & insignia Hadriani VI.

HA-


II.



HADRIANVS. SEXTV. P. MAX. — DOMINVS. PARMÆ.

Protome Pontificis capite nudo. — *Corona triplex, claves decussatæ & insignia Hadriani.*


III.



HADRIANVS. ELECT. PONT. M. — S. IOANNES. 1522. S. HILARIVS. PARMA.

Corona triplex, claves & insignia Hadriani. — *Vir stans capite nudo. Episcopus stans cum vexillo in dextera.*

IV.



ADrianus. P. Maximus. — CVSTOS. PLACENTIE.

Corona triplex. Lupa jacens. — *Claves decussatæ e Cruce pendentes.*

Ve-

LIBRR III.

1523.

Jovius in vita Pompeii Columnæ pag. 159. edit. Torrentini.

Guicciardinus lib. 14. pag. 696. 734. Ital.

1524.

Lib. 3. m. s. secr. Clem. VII. fol. 209.

Lib. 4. Bull. Hadriani VI. fol. 158. p. 2.

Lib. m. s. Brevium Clementis VII.

Lib. 1. Bull. m. ss. Clem. VII. fol. 113.

1525.

Verum anno 1523. XVIII. Cal. Octobres Hadrianus VI. e vita migravit. Quare Alphonsus I. Ferrariæ Dux, occasione vacuæ Sedis arrepta, Regium Lepidi occupavit, quemadmodum ob Leonis X. mortem Romana Ecclesia vacante in aliquot pariter Mutinensis agri loca armatus invaserat. Itaque Clemens VII. e conclavi egressus una ex quatuor Æmiliæ civitatibus per Julium II. Ecclesiæ recuperatis se privatum animadvertit. Nihilominus idibus Januariis anno 1524. ad res, quæ Sedis Apostolicæ erant, imperio administrandas, *Regium*, *Parmam* ac *Placentiam* Cardinalis Innocentius Cybo Legatus a Pontifice missus est: qui etiam Bartholomæum Ferratinum in Æmilia legati vices gerere jussit: a quo sumptus maximi facti, ut *Placentia* muniretur. Antonius de Sanctis Ferratino, & huic deinde Regiensis Episcopus Hugo Rangonius successit. Clemente postea in valetudinem lapso, pridie Cal. Augustas anno 1524. ejus jussu ad Placentiæ custodiam Nicolaus Tolentinas profectus est, donec illi aut successori, sacroque Collegio aliter videretur. Idem Pontifex VIII. Idus Januarias Castri Montecli in diœcesi Parmensi vicariam potestatem perpetuo tradiderat Ludovico Rangonio: quod pariter Leo X. pridem fecerat eo pacto, ut *duo cerea funalia quatuor librarum pondo* quotannis Apostolicæ Sedi a Rangoniis persolverentur. Pridie Cal. Martias ejusdem anni fisci pontificii ministri rationes ac fructus ex Parmensium tabellariorum officio colligendos, Petro Joanni Targæ Florentino locaverunt. Mox VI. Idus Novembres Antonius de Sanctis ejusdem urbis moderator duo ducatorum millia ad mœnia, aggeresque reparandos viris ecclesiasticis imperare jussus est. Pridem vero IX. Cal. Novembres Pontifex Rolando Marchioni Pallavicino de beneficiis in feminas arbitratu suo decernendi facultatem fecerat. Anno 1525. cum in agro Placentino nonnulli Cæsaris pedites morarentur, pontificius orator a Cæsareis ducibus litteras impetravit, *per quas iidem pe-*

pedites ex Ecclesiæ regionibus excedere jubentur; deque hac re Octoviri Florentinæ Reipublicæ Vitellum de Vitellis certiorem fecerunt.

LIBER III.

Epistolæ diversorum ad Vitellum de Vitellis pag. 71. Italice.

XIII.

Parmam ac Placentiam ad Ecclesiam Romanam pertinere Carolus V. agnoscit.

1526.

Negotii gravitas atque ordo rerum, de quibus agimus, ut alieno ex ore tandem pro nobis veritas eliciatur, nobis in memoriam revocant, Carolum V. anno 1526. XV. Cal. Octobres in longa illa epistola supra memorata Clementi Pontifici declaravisse, *Parmam* & *Placentiam* in Pontificatus potestate agnoscendas, & ex lege fœderis cum Leone X. ei restitutas. Attamen dissimulari non debet, epistolæ hujus scriptorem id solum Caroli munifico erga Sedem Apostolicam animo quodammodo tribuere, quippe qui cum eas urbes imperio addere posset, Ecclesiæ *restituerit*. Sed Carolus id facere voluit quod debuit, non vero quod potuit. Idem Carolus in alia epistola pridie Nonas Octobres eodem anno & loco ad Purpuratos proceres scripta rursus quidquid pro Sede Apostolica gessisset enumerans, *Parmæ* ac *Placentiæ restitutionem* memorare voluit: *Parmam*, inquit, *& Placentiam a Romani Imperii feudo disjunctas, Sedi Romanæ nullo jure coacti, possidendas restituimus*. At vero si has urbes ab *Imperii feudo disjunctas* Sedi Romanæ possidendas restituit, justæ profecto caussæ illum ad id impulerunt. Conringius de Lutheri schola, his recitatis, de suo addit: *id quando & quemadmodum sit factum, haud constat, nisi quod suspicer quo tempore Carolus primum Cæsar dictus est, inductum illum ad hæc donanda*. Mox tamquam veris Guicciardini de Julio II. querelis expositis, iterum hæc obtrudit: *an noviter electo itaque Cæsari Carolo, nondum satis jurium Imperii perito, per malas artes aliquid extortum est?* Dum hæc Conringius tuetur, quam longe a veritate avolet, certe unusquisque facile ex iis intelliget, quæ hactenus a me dicta sunt, ut jura, originemque recuperationis demonstrarem, quam decennio serius, tamquam veram legitimamque *restitutionem* ex lege fœderis inter Carolum V. & Leo-

De Finibus Imperii lib. 2. cap. 20. pag. 439. 440.

LIBER III. Leonem X. ipse Carolus, de his instructissimus, parato animo memoravit in oratione, quam coram Paullo III. Pontifice, Romæ in sacro Ecclesiæ Senatu habuit, ut infra narrabimus.

XIV.

Parma ac Placentia a Clemente VII. obsidis loco Cæsareis ducibus adsignatæ: inclusæ iis, de quibus cum Carolo V. Barchinone convenit: mox jurejurando quo coronandus Boloniæ se obstrinxit.

1527.

Interea ob teterrimam illam fœdissimamque Romanæ urbis direptionem in Hadriani mole Pontifice incluso, inter ceteras durissimas conditiones, quæ sine horrore legi non possunt apud Benedictum Varchium in Florentina Historia nondum vulgata, quæque [a] a Guicciardino, & fusius [b] a Cæsare Grolierio (seu *Glorierio*) narrantur, Nonis Juniis anno 1527. hæ etiam sunt numeratæ, quibus nimirum inter Clementem VII. ducesque Cæsareos convenit, ut hi abirent, ac Pontifex illis Ostiam, Urbem veterem, Mutinam, *Parmam* & *Placentiam*, omnes eo tempore summo jure a Sede Apostolica possessas urbes, obsidis loco traderet: quamvis postea Alphonsus I. Ferrariæ Dux pontificiæ calamitatis, cujus fuit conscius, oblata opportunitate, Mutinam a Philippo Nerlio traditam occupaverit, cum aliquot ex præcipuis urbis familiis tumultus in pontificium imperium excitavissent.

1529.

Attamen III. Cal. Julias anno 1529. quo tempore, inter Clementem & Carolum rebus Barchinone compositis, ipse Clemens *Parma* ac *Placentia* potiebatur, constitutum, promissumque fuit ab Imperatore, ut tamquam *Advocatus*, Ecclesiæque *defensor*, omnes ejus civitates, opida, regionesque tueretur atque servaret, Pontifex vero ad Siciliæ regnum cis Pharum defendendum, Carolo auxilium præstaret. Cæsar deinde imperatoria corona a Pontifice donandus, Genuam profectus III. Cal. Septembres, Varchio auctore, Placentiam contendit: *Sed priusquam Placentinorum terras attingeret, & Ecclesiæ regiones ingrederetur, tribus Cardinalibus legatis occurrentibus solitum ac solemne jusjurandum dixit, se sanctam Apostolicam Sedem, Ecclesiasticamque libertatem nunquam offensurum, semper vero defensurum*. Sacramenti formula a Goldasto reci-

a) *Histor. Italiæ lib.* 18. *pag.* 81.

b) *Historia expugnatæ & direptæ urbis pag.* 171. 175.

citata, hæc est: *Ego Carolus Romanorum Rex & brevi Imperator Cæsar per Deum, divumque Petrum promitto, polliceor, testificor, atque juro, me imposterum pro viribus, ingenio & facultatibus meis pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore Defensorem, nec ullam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum, sed potestatem, jurisdictionem, & dominationem ipsius, quoad fieri potest, conservaturum & protecturum: cujus rei testem voco Deum ipsum, & hæc Sancta Evangelia.* Magni hujus jurisjurandi summa ab eo, quod per Carolum Magnum, Ottonem I. Henricum II. aliosque Imperatores factum legimus, neutiquam discrepat. At Joannes Sleidanus hæc a Carolo V. gesta recensens, eo animo illum egisse arbitratur, *ut ostenderet, se nihil velle sui juris imminuere, Parmam* (quemadmodum ille hariolatur) *& Placentiam tacite designans, Mediolani ditionis urbes, quas tum Ecclesia Romana possidebat.* Paullus Jovius, stipendiis Caroli V. historiam scribens, plusquam Sleidanus Germanus, idemque hæreticus, scribit; nam de hoc agens sic narrationem instituit: *Sed Cæsar sui Imperii juris apposite memor ita juravit, ut se de suo jure nihil decessurum testaretur. Placentiam siquidem & Parmam urbes tanquam Mediolanensi imperio antiquitus attributas, quoniam id Cæsareum Imperatorum beneficiarium semper fuisset, non obscuro, nec intermisso jure repetere videbatur.* Ferme hæc eadem apud Varchium leguntur. Quare vix dubitandum censeo, quin unus alium exscripserit, & a Jovio hac fabula primum manaverit, fortasse per male affectos erga Apostolicam Sedem excogitata: fuitque omnino vana, utpote conjecturis hominum occultam Caroli V. mentem interpretantium, innixa: *tacite designans*, quod ait Sleidanus, vel *tacite intelligens*, quod explicat Varchius. Atque hæc nova in eas urbes jus sibi reservandi inventa ratio, vana atque inutilis prorsus existimari etiam posset. Si enim quæ *occulte ac tacite sibi aliquis mente reservat*, quæque deinde, ut palam intelligantur,

Constit. Imperial. tom. 3. pag. 508.

Defensio I. pag. 375. 376. Defensio II. pag. 122. 123.

Comment. lib. 7. fol. 100. pag. 2. edit. 1555.

Historiæ sui temporis lib. 27. fol. 49.

 tur,

tur, vaga populi interpretatione egent, cum nullum externum signum ea comitetur, unde animus de re ipsa deliberatus ostendatur, auctoritate pollerent, male profecto ubique res ageretur: & hoc pacto vetera promissa & sacramenta Pontifex Carolo V. ipsis Salomonis verbis objicere potuisset: *fili mi, si quid spopondisti, defixisti externo volas tuas: illaqueatus es verbis oris tui: captus es enunciationibus tuis*. Neque profecto Sedes Apostolica tunc a Carolo flagitavit, ut, quod ad *Parmam* ac *Placentiam* attinebat, novum, insolitum, ac peculiare sacramentum diceret aut contra jura Imperii, quæ in eas civitates nulla omnino erant; sed jusjurandum generatim dici petiit, quale in Ordine Romano, & a Ditmaro expositum legimus; quale demum omnibus sæculis a Caroli Magni temporibus usurpatum fuit pro tuendis universis Ecclesiæ juribus, certissimis, & quavis controversia carentibus, nihilque ad res Imperii spectantibus, cujusmodi certe præter *Parmam* ac *Placentiam* cunctæ Sancti Petri regiones semper fuerunt. Præterquamquod Maximilianus I. Caroli paternus avus in fœdere anno 1515. percusso, atque ipsemet Carolus in alio anni 1521. de jure quolibet, quod in eas civitates ipsis esse potuisset, se decessuros palam ac de more professi fuerant. Quapropter Carolus coram Deo & hominibus perjurii infamiam subjisset aliud dicens, aliud in animo habens: quod tamen non sine magno Caroli dedecore falso ei tribuit Sleidanus, homo variis de caussis mendax ubi agitur de Ecclesia Romana, a qua defecerat, quique a Carolo ipso in mendaciis deprehensus est, nedum ab aliis, & præcipue a Laurentio Surio. Si autem Carolo, ut demonstravimus, nullum in eas urbes jus erat, *tacitum* mentis consilium, quo jura sibi reservabat, haud quidquam ei dare potuit: ideoque hæc omnia frustra & præter necessitatem inventa. Itaque credibile est, immo vero certissimum existimandum, ex sermunculis in vulgus de

Prov. V. 1.

Museum Italicum Mabillonii tom. 2. pag. 215. 216.

Defensio I. pag. 185. 234. 368. 375.

Defensio II. pag. 121. 138.

Augustini Mascardi Ars historica Tract. 2. cap. 1. pag. 116. edit. 1. Italice.

Pallavicini Introductio ad Historiam Concilii cap. IV. Italice.

de industria sparsis inanem hanc opinionem fuisse collectam: quam Angelus ad certam, veramque Cæsareæ in eas urbes *voluntatis declarationem* perperam traduxit, quando absque ea Carolus, ubi has urbes in suam potestatem redigere voluisset, id cum Bononiam peteret, facile præstare poterat. Is enim armatus *Placentiæ* versatus est, Ferratino præfecto plane inermi Placentiam communiente. Ad hæc, teste Varchio, *Parmæ*, *Placentiæ*que Septembrem totum atque Octobrem tamdiu transegit, quoad Bononiam Pontifex perveniret, nulla tamen in Sedis Apostolicæ imperium quæstione excitata. Hinc Laurentius Surius, Germanus scriptor, iis recensitis, quæ jusjurandum a Carolo editum circumstant, *ita tamen, ut se de suo jure nihil remissurum testaretur*, addit, nonnullos suopte verba ingenio interpretatos, quasi Carolus de Parma ac Placentia intelligere voluisset. Non tamen ait id ex Caroli voluntate factum: quod PUTANT QUIDAM *ideo eum fecisse, quod Placentiam & Parmam Mediolanensi imperio antiquitus attributas, repeteret*. Verba illa attendantur: *quod putant quidam*. Ergo solum id vulgo dictum. Quinque Clementi VII. cusa numismata summum ejus in *Parmam* & *Placentiam*, ac etiam in Mutinam, imperium indicantia, hic dabo.


Historia Parmæ lib. 5. pag. 519.

Locatus pag. 169.

Commentar. pag. 226. edit. Colonien. an. 1557.

Brevis notitia Scylla pag. 38. Italice.

I.



CLEMENS. VII. PONT. MAX.


Corona triplex, claves & insignia Medicea.

SVB. TVVM. PRAESIDIVM. PARMA.

B. Virgo cum puero Jesu.

CLE-

II.




CLEMENS . VII. PONTI. MAX.

Corona triplex, claves & insignia Medicea.

VERA. REDEMPTIO. FIDA. PROTECTIO. PARMA. 1526.

Jesus sedens, qui coronat B. Virginem in genua procumbentem. Infra in parte dextera insignia Joannis Cardinalis Salviati. In parte sinistra Crux, Parmæ tessera.

III.



CLEMEMS . VII. P. MAX.


Protome Pontificis capite nudo.

S. ANTONIN. PLAcentiæ. Patronus.

Miles equitans cum vexillo in dextera.

PRAE-


IV.



PRAESIDIV. FIRMVM. PLAC*entia*. PLAC*entia*. ROMANOR. COLONIA

Corona triplex & claves. *Stella & Lupa gradiens.*

V.



CLEMENS. VII. P. MAX. S. GEMINIANVS. MVT. EPS.

Corona triplex, claves & insignia Medicea. *Episcopus sedens. Infra crux, insigne Mutinæ.*

XV. **Mutina & Regium Lepidi a Clemente VII. per compromissum Carolo V. dijudicandæ traduntur. Comaclum ad pontificatum pertinet.**

Sandovalius in Vita Caroli V. to.2. pag.27. Hisp. Hist.m.s. Varchii lib.10. 11.

Carolus cum toto suo comitatu Bononiam petens, Regii Lepidi ab Alphonso I. splendidissime fuit exceptus, magnificentissimeque habitus. Et quamvis Barchinone cum Pontifice paucis ante mensibus certas pactiones firmasset, Alphonsoque, cum ipsius hostibus fœderato, subiratus videretur, utereturque Dux ipse parum amico Pontifice, illum tamen Carolus non solum in clientelam recepit; sed ut sua cum Clemente componeret; auctorem se præbuit, etsi Pontifice repugnante, quod Ferrariam ex decessorum judiciis in Alphonsum vulgatis, Sedi Apostolicæ debitam, Mutinam quoque ac Regium injuste usurpatas, sibi vellet restitui. Nam sine his duabus civitatibus *Parma* ac *Placentia* ita dissociatæ videbantur, ut vix Romanæ Se-

Sedis imperio subesse credi possent. Nihilominus Cæsar pervicit, ut Alphonsus fide publica Bononiam accederet, ac simul per compromissum quæ ortæ essent tam de *jure*, quam de *facto* controversiæ omnes Carolo dijudicandæ traderentur. Quæ hujus rei Historiam spectant, cum velut in transcursu [a] Guicciardinus, [b] Jovius, [c] Sandovalius atque [d] Yllescas attigerint, [e] Varchius autem unus singula præ ceteris accurate, explicateque perscripserit, in ejusmodi narratione non ultra tempus a nobis absumendum erit. Hoc unum dixisse sufficiat, sententiam omnibus notam a Carolo V. pronunciatam, qua Mutina & Regium Alphonso adjudicarentur. Ad hæc pariter declaratum, ut Dux rursus in Ferrariæ, locorumque, totum ducatum ejus spectantium, possessionem, pontificio diplomate, mitteretur. Hac audita sententia adeo cohorruit Clemens, ut, teste Varchio, eam signare noluerit, ac centum millia nummum aureorum Alphonso multæ loco per Carolum impositæ, Ecclesiæ persolvenda, repudiaverit. Ab universo Purpuratorum senatu pariter huic judicio reclamatum, quod ipsis inconsultis de re tanta arbitrium factum fuisset. Cæsar Atestinus postmodum his de rebus optime edoctus, omnem lapidem movit, ut ipsius ministri in concordia Faventina Clementem VIII. per Cardinalem Petrum Aldobrandinum de omnibus Ecclesiæ in Mutinam, Regiumque juribus in perpetuum cedere obtinerent: quod tamen minime obtinuerunt. Neque hic prætermittendum quod contra Clementem VIII. scribit Musæus de Cæsare Atestino sermonem instituens, ubi de summo jure agit, quod in Italiam Rudolphus II. Imperator exercuit: *Cæsari Atestino*, inquit, *Alphonsi II. filio* NATALIUM GRATIAM *fecit; & Regium Lepidum, Mutinamque lege beneficiaria in regno Italiæ possidendas concessit, publice Romæ per Legatum contra obtestatus, cum Clemens VIII. Pontifex Ferrariam & Comacchium* (*Comaclum* minus barbare dicere debuit) *Ducibus Estensibus*

a) *Histor. Italiæ lib. 19. pag. 154. 159. 765. Ital.*

b) *Vita Alphonsi I. Atestini pag. 53. 54.*

c) *Vita Caroli V. tom. 2. pag. 82. Hispanice.*

d) *Yllescas to. 2. fol. 327. pag 2.*

e) *Histor. m. s. Florentiæ lib. 10. 11. 12. Ital.*

Defensio I. pag. 126. 127.

Cujusdam scripti refutatio pag. 13. 14. 15. Ital.

Histor. Neapolitana Gregorii Rubei pag. 90. Ital.

Sandovalius tom. 2. pag. 134. 167.

Commentarii Ludovici Guicciardini lib. 1. pag. 11. edit. Antuerpiæ 1565. Italice.

Histor. m. s. recuperatæ Ferrariæ per Petrum Aldobrandinum scripta. Italice.

Franciscus Angelonus in Historia Interamnensi p. 2. pag. 206. Italice.

Commentatio Musei pag. 92.

sibus temerario ausu simul eriperet. In his paucis nonnulla consideranda sunt. LIBER III.

I. Musæus Cæsarem non legitimum Ducis *Alphonsi* II. filium vocat, pro *Alphonso* Cæsaris patre *Alphonsum* II. accipiens, qui nullam prolem suscepit.

II. Ait, eundem Cæsarem a Rudolpho II. *legitimum* declaratum: *natalium gratiam fecit*. Ergo si Cæsar, ex Musæi sententia, haud quaquam legitimus fuit, ut in ea beneficia succedere posset, quæ Cæsareo diplomate indigerent; pari pacto haudquaquam legitimus fuit, ut possessionem illorum iniret, quæ pontificio diplomate indigerent; ideoque a Ferrariensi Ducatu fuit merito exclusus, quemadmodum sine Rudolphi II. diplomate, qui *natalium gratiam fecit*, jure quoque a beneficiis, quæ postremus Dux Alphonsus II. ab Imperio obtinebat, exclusus fuisset. Quod si Rudolphus II. *natalium gratiam fecit* Cæsari Ateſtino ad Mutinæ, Regiique Ducatum, quem Dux Alphonsus II. Imperio acceptum referebat, Gregorius XIV. & Clemens VIII. ne Sancti Pii V. legem hoc vetantem infringerent, ejusmodi *gratiam facere* noluerunt pro Ferrariæ, Comaclique Ducatu, quem semper Ateſtini acceptum Romanæ Ecclesiæ retulerunt. Jam vero tam clarum, testatum, atque ab omnibus cognitum semper fuit, Cæsarem Ateſtinum patris caussa minime ad hæc fuisse legitimum, ut quidam ejus memoriæ scriptores & in his Trajanus Boccalinus in Commentario ad Librum I. Taciti Historiarum, hodieque ipse Musæus, errore ducti, pro Alphonso patre ipsum Cæsarem non legitimum reputaverint, & perinde uti genitum non ex Alphonso Alphonsi I. Ferrariæ Ducis notho; sed quidem ex Alphonso II. Duce ultimo, adeo ut ex trium *Alphonsorum* errore, qui alienas mentes implicuit, rei veritas magis, magisque eluceat.

III. Postquam Musæus scripsisset, Rudolphum II. in *Mutinæ* ac *Regii* (non vero *Comacli*) possessionem scripto diplomate Cæsarem Ateſtinum misisse, scribit

X quo-

LIBER III. quoque, eundem Rudolphum Romæ per oratorem suum protestatum fuisse contra *Ferrariæ* & *Comacli* recuperationem, per Clementem VIII. factam. Hoc autem prorsus novum nostris auribus accidit, sicut suo loco demonstratum est contra alios scriptores, qui nondum tamen eo temeritatis pervenerunt, ut Imperatorem sua quoque in *Ferrariam* jura exposuisse jactarent, quemadmodum Musæus nunc jactat. Verum sicut ille inconsulto confessus est, Cæsarem Atestinum (ante vacationis tempus) a Rudolpho II. *natalium gratiam* obtinuisse, ut in Mutinensem, Regiensemque Ducatum succedere posset, in quem jure suo, rectaque via, ex beneficiariæ legis præscripto, succedere non poterat, cum a legitimo parente profectus non esset; ita Musæus pariter ipse inconsulto affirmavit, Cæsari Atestino eandem ob caussam *natalium gratia* opus fuisse, ut pontificia *Ferrariæ* & *Comacli* beneficia consequeretur: sicque confessus est, *Comaclum* ejusdem generis esse ac Ferrariam, dum *Comacli* caussa nunquam ullum diploma Cæsareum obtinuit, neque pro hac civitate ei ullam *natalium gratiam* Imperator *fecit*: cui certe impetrandæ *quadringenta & sexaginta millia nummum argenteorum* non satis fuissent: quam pecuniæ summam pro Mutinæ, Regiique Ducatu solutam fuisse constat. Quod si Rudolphus *natalium gratiam* Cæsari Atestino *Comacli* caussa concedere potuisset, sibique in illam civitatem jus *palam* tribuere: eandem quoque concedere potuisset *Ferrariæ* caussa, ad quam Comaclum ex vetustissimo jure attinet. Sed hoc jure cum in Ferrariam caruerit, eodem caruit & in *Comaclum*. Hinc facile colligitur, Lutheranum scriptorem in iis, quæ vere juxta ac in iis, quæ falso pronunciavit, summa Sedis Apostolicæ jura invitum comprobavisse, comprobatisque adhæsisse. Mutinenses scriptores a me refutati sanctissimum Pontificem Clementem VIII. ob Ducatum Ferrariensem Ecclesiæ Romanæ postliminio recuperatum innumeris con-

Defensio I. Dominii pag. 201.

Defensio I. pag. 249. 250. 259. 260. 261.

LIBER III.

contumeliis cumulaverunt. Ego vero, ubi illis divinam misericordiam ob tot, tantaque contra Christi Vicarios palam scripta atque vulgata imploravero, quod elogium de hoc summo Pontifice scripsit Josephus Scaliger, homo ab Ecclesia Romana profugus, illis opponam: *Clemens VIII.* ait Scaliger, *patrimonio Sancti Petri Ferrariæ Ducatum prudenter adjunxit, qui sacrosanctæ Sedi ex hereditate obveniebat, illique, tamquam beneficium suum debebatur.* Mox Scaliger Pontificem ob proprias ipsius dotes extollere pergit. Scaligeri, omniumque ejus ævi scriptorum, qui nullius se studio duci siverunt, idem sermo omnino fuit; cum malæ artes ac fraudes, quibus pauci, hique imi subsellii homines, & *chartarum deturpatores*, ut a Jovio dicuntur, infecti nondum eo pervenissent, ut veritati in tanta luce versanti, tenebras passim offunderent ac eam depravarent. Hinc multis auctoribus, ad hæc comprobanda in nostra Defensione I. laudatis, hic ad alia properans alios adjungam. Hi sunt (a) Franciscus Rivola in Cardinalis Friderici Borromæi Vita, (b) Horatius Marta Jurisperitus Neapolitanus, ac demum Scipio (c) Admiratus: qui omnes, *nemine discrepante*, eadem ac reliqui posterorum memoriæ commendarunt: & nunc supervacuum fuisset de rebus notissimis absolutisque per ea etiam, quæ in maximis Europæ Aulis, Romæ, Viennæ Austriæ, Parisiis, & Matriti acta fuerunt, novum sermonem instituere, si de his Musæus siluisset in libro potissimum, in quo prorsus silere debuit his de rebus æque ac de aliis, quarum se imperitum ostendit. Sed in libros quidquid in mentem venit, congerendum est, ut in molem grandiorem excrescant.

Scaligerana pag. 95. edit. Coloniens. 1695. Galiice.

Defensio I. pag. 319.

Defensio I. pag. 248. 249.

a) *Lib. 2. pag. 159. 160.*

b) *De Jurisdict. par. I. cap. 33. §. 78. & 124.*

c) *De Familiis Neapolitanis tom. 2. p. 13. Ital.*

Defensio I. pag. 270. 271.

Defensio II. pag. 289.

XVI.

Paullus III. Parmam ac Placentiam possidet: easque in beneficium Petro Aloysio Farnesio tradit.

Clementi VII. Pontifice e vita sublato IV. Idus Octobres anno 1534. Alexander Cardinalis Farnesius, Paullus III. nuncupatus, successit, qui *Parmam* ac *Placentiam*, nemine reclamante, possedit, & V. Idus Decembres Laurentium Signiensem Episcopum *Parmæ*,

LIBER III.

1536.

Rayn. A. D. 1536. §. 6.

1540.

Remonstratio Ducis Parmæ anno 1540. & num. LVIII.

a) *Lib. 19. fol. 155.*

b) *Vita Philippi II. Dec. II. lib. 18 fol. 133.*

mæ, ac nonis Januariis 1537. Marium Reatis Episcopum *Placentiæ* imperio præposuit: annoque superiore 1536. Carolus V. per *Placentinum* agrum cum magno militum numero Neapolim petens, nullam quæstionem de illa civitate contra Sedem Apostolicam excitavit, quamquam id arbitratu suo facere potuisset. Immo vero eodem anno Romæ coram Paullo III. ac Principum Legatis versatus, in publica oratione pro se ipso contra Franciscum I. Francorum Regem habita fœdus ab se cum Leone X. stabilitum memoravit, ut rursus Mediolanensem Ducatum Francisco Sforti æ traderet, ac *Parmam Placentiam*que Ecclesiæ restitueret. Hoc pacto in possessione sua, ac justa in utramque civitatem dominatione perseveravit Apostolica Sedes, summum ibi, justumque imperium exercens per Cardinales Legatos, ex quibus fuit unus Ennius Philonardus, qui anno 1539. Paulli III. jussu earum urbium regimini præfectus, Apostolicæ Sedis beneficiariis intra suæ legationis fines positis imperavit, ne exulibus perfugii locum darent, nisi ipsi pro *rebellibus* haberi vellent: annoque 1540. in Comitem Augustinum Landum judicio inquisitum est ob exules Bardi exceptos contra edicta, Placentiæ per eumdem Cardinalem vulgata, quemadmodum liber a Duce Parmensi Leopoldo Imperatori inscriptus nos docet. Interea anno 1545. Paullus III. utramque civitatem suis beneficiario nomine adsignandam censuit varias ob caussas, a Cæsare Campana in Vita Philippi II. recensitas: qui Scriptor egregius omnium optime & accuratissime rem narrat contra ac factum legimus a [a] Paullo Jovio, Juliano Goselino, & Bonaventura Angelo, a nobis plurium mendaciorum convictis, atque adeo ab ipso [b] Campana, cujus nos quoque testimonium cum ob fidem ac diligentiam, tum ob ejus erga Austriacos Reges clientelam, libentissime in medium proferre solemus. Itaque Paullus III. memoria repetiit, dignitatem suam, ac Sedis Apostolicæ jura in

in longo Pontificatu de summatibus ac familiis potentioribus sibi male merendi occasionem præbuisse: quæ quidem familiæ apud Cæsaris Regisque Christianissimi ministros præcipua gratia florentes, in eum contra jus fasque odia conflabant, quibus Farnesii quoque patebant. Quare cum illarum civitatum populi de nimia beneficiariorum potentia quererentur, Pontifex ansam hinc arripuit perpendendi sumptus, assiduasque Sedis Apostolicæ molestias in servandis *Parma* ac *Placentia*, non solum tamquam ab Ecclesiastica ditione divisis, postquam Caroli V. judicio Mutina ac Regium Lepidi Atestino Duci tributæ fuissent; verum etiam utpote quæ in ipsis Mediolanensis Ducatus limitibus stabant, de quo multorum annorum curriculo externi exercitus contenderant. Hinc Pontifici in harum urbium possessionem suam familiam mittere visum est, onere imposito, ut *novem millia ducatorum ex auro* (non *octo* tantum, ut alii negligenter affirmant) in Ecclesiæ Romanæ ærarium quotannis inferrent, Camerino, Nepitaque Ecclesiæ pariter restitutis: quibus urbibus Ducatus nomine Octavius Petri Aloysii Farnesii Castri Ducis filius potiebatur: ex quibus major ad Sedem Apostolicam, quam ex iis, quæ ab iisdem urbibus colligebantur, utilitas permanabat. Omnibus ideo mature expensis IX. Cal. Septembres Camerini, Nepitæque Ducatum Romano Pontificatui Dux Octavius cessit, cum is ac Petrus Aloysius Castri Dux ejus pater omni prorsus in eas civitates jure se abdicassent per Nicolaum Angelonum procuratorem: urbesque Parma ac Placentia *permutationis specie*, ut ait Thomas Cormerius, beneficiario jure traditæ fuerunt Petro Aloysio & Octavio, conjugi Margaritæ Caroli V. filiæ, non legitimo ex thoro natæ, eorundemque futuris masculis, & deficiente virili sobole, Horatio Octavii germano & maribus ab eo nascituris in perpetuum, eadem lege, ut *novem millia ducatorum ex auro* Apostolicæ Sedi census

LIBER III.

1545.

Res gestæ Henrici II. *lib.* 2. *fol.* 54.

V. in fine num. XLI.

LIBER III.

sus loco persolverent. Ad hæc Pontifex VII. Cal. Septembres anni ejusdem in sacro Senatu cessionem illam diplomate comprobavit confirmavitque, urbes in Ducatus dignitatem erigens, postquam eodem die Cardinalis Guido Ascanius Sfortia Romanæ Ecclesiæ Quæstor pro more ad Purpuratorum Senatum de iis retulisset. Mox Pontifex alio diplomate ex Urbe veteri VI. Cal. Octobres edito indulsit Petro Aloysio, ut Bernardinum a Barba Casalensem Episcopum ad ineundam novi Ducatus possessionem mitteret: quo pariter die utramque urbem Paullus III. per litteras monuit, ut ab se in Ducatum erectæ Petro Aloysio in posterum obtemperarent. Quare Placentiæ & Parmæ novus Dux palam renunciatus est, Cardinali Marino Grimano Patriarchæ Aquilejensi & Legato Apostolico, Casalensi Episcopo & Placentino, universo Clero ac populo præsentibus & acclamantibus, dum Sfortia Sfortia Sanctæ Floræ Comes Ducatus insignia pro Duce suscepit. Hæc & multa alia, passim tunc pervagata, aulisque Principum probe cognita, ubique terrarum scriptis publicis ac celeberrimis decreta ac impleta fuerunt, nulla justa caussa ad silentium ministros Cæsareos impellente, si tamen ipsis justa occasio fuisset, ut contra sentire ac loqui possent.

Locatus pag. 171.

Lib. m. s. 176. Bullar. Paulli III. fol. 38.

XVII.

Summum Paulli III. jus, Parmam ac Placentiam beneficii loco Petro Aloysio Farnesio tradendi, defenditur.

Sed Joannes Baptista Hadrianus veram facti historiam magno studio immutare conatur. Quare ejus æque ac Guicciardini auctoritas ab Adversariis, præsertim ab Hordeo, atque adeo ab Auctore Mediolanensi Hordei centonum descriptore fidissimo, exultanter nobis opponitur.

1. Ac *primum* quidem ait Hadrianus, de Parma ac Placentia cogitasse Pontificem, *præsertim cum illæ civitates ad Ecclesiam antiquo tempore non pertinerent, sed postremo ad ejus dominium ex Ducibus Mediolanensibus devenissent, Julii II. Pontificis opera, ac per eosdem anno 1515. Leoni X. Pontifici ipsarum possessione firmata*. Mediolanensis Caussidicus his Hadriani verbis

Hist. suorum temporum lib. 5. pag. 168. Italice.

LIBER III.

bis festive recitatis, quibus falsa contineri, ex dictis, comprobatisque hactenus, satis superque patet, hæc addit: *Sunt verba desumpta ex ore Pontificis, ubi ponit orationem Cardinalis Ardinghelli.* Sed Caussidicum antequam hæc tanto hiatu ab se definita pronunciaret, sane attentius animo reputare decuisset, Ardinghellus ne, an potius ipse Hadrianus, qui semper Sedis Apostolicæ juribus adversatur, ea verba de suo excogitata recitaverit, ex propria, non vero ex aliena persona ibidem locutus. Oratio enim Ardinghello afficta, non ibi, sed procul abest, & quidem multo ante, & post multas alias narrationes, quibus Joannem Dominicum de Cupis Cardinalem Tranensem Hadrianus loquentem induxerat. Quare Adversarius paullo accuratius perpendere debuit, an vera essent quæ libere pronunciavit: *Sunt verba desumpta ex ore Pontificis, ubi ponit orationem Cardinalis Ardinghelli.* At forsitan ipse Angeli errorem sequi voluit, qui ubi sermonis Ardinghello afficti summam recenset, ea recitat, quæ nunquam Hadrianus ei tribuit, nempe verba superius adducta, quæ ab Hadriano, ut sua, non vero aliena, in loco antea memorato adducuntur: multoque intervallo ab iis distant, ubi Ardinghellum loquentem inducit.

Animadv. num. 109. 110. §. Ultimo loco.

2. Ait Hadrianus, Cardinali Farnesio ad Cæsarem V. legato Pontificem in mandatis dedisse, ut Carolum certiorem faceret, *se, si per eum liceret, in animo habere, Petrum Aloysium filium in possessionem mittere Ducatus Parmæ ac Placentiæ: quæ urbes cum ad Ducatum Mediolanensem pertinuissent, Ecclesiæ imperio accesserunt. Cæsarem enim putabat Pontifex id facile concessurum, ut Ducis Octavii & filiæ suæ jam jam parituræ honori prospiceret.* Addit paullo post Hadrianus, Carolum nec *petitioni dissensum, nec assensum dedisse.* Eadem refert [a] Angelus, in Hadriano exscribendo occupatus. Contra vero [b] Thuanus Hermanno Conringio ac Musæo persuasit, Carolum V. eam postulatio-nem

Histor. suorum temporum lib. 5. pag. 172.

a) *Hist. Parmæ lib. 5. pag. 125.*

b) *Hist. lib. 4. pag. 129.*

Commentatio Musæi pag. 9. 10.

LIBER III. nem rejecisse, quod urbes beneficii nomine Petro Aloysio traditæ ad Ducatum Mediolanensem pertinerent. Atqui hæc omnia a vero absunt. Nihil erat, cur hæc ab Imperatore peterentur: &, teste Campana, in quodam scripto Petri Aloysii ad Pontificem, quod Ardinghellus, sive ut alii putant, Claudius Ptolemæus elucubravit, secus omnino visum est, ita ut ne Imperator quidem hac de re certior fieret: idque multis de caussis I. Quia id ex Pontifici dignitate non erat. II. Quia Pontifex *sibi de jure suo, ac Sedis Apostolicæ derogasset, ab aliis quodammodo potestatem flagitans perinde ac de rebus non suis ageretur*. III. Denique quod Carolus V. *assensum præbens, beneficium illud maximo pretio quasi vendere, vel Pontificis consilium retardare tentasset*.

Hist. suorum temporum lib. 5. pag. 176.

3. Ceteris tandem Hadriani narrationibus accedit concio, exquisita quidem & nimis affectate conscripta, ubi Ardinghellum orantem inducit contra Cardinalem Tranensem, qui Pontificis consilium improbaverat. In ea vero concione inter alia traditur, *Parmæ, Placentiæque possessionem Ecclesiæ propriam non esse*. Scriptor Mediolanensis ad hæc verba præ gaudio gestiens, animose, ut solet, ita concludit: *unde patet* (quæso attendatur: *unde patet*) *quod optime cognitum fuerit, quod mera vanitas erat cogitare de antiquis assertis titulis, & totum fundamentum collocabant in cessionibus habitis a Ducibus Mediolani*. Isthæc vero sunt argumenta, quibus Apostolicæ Sedis jura infringuntur? Profecto cautius, minusque festinanter Adversarius agere debuit in ea concione excipienda. Etenim studiorum, quæ sibi arroganter tribuit, omnino rudis, ab Ardinghello habitam credidit; cum tamen in sacro Ecclesiæ Senatu ejusmodi conciones minime recitari, ideoque ab Hadriano confictam constet, ut ad priorem responderet, quam perinde ac a Cardinali Tranensi in Purpuratorum Senatu reapse recitatam, adduxerat, ab se tamen scriptam, in vulgus rumore sparso, Cardinalem

Hist. suorum temporum lib. 4. pag. 174. Italice.

lem Tranensem beneficii Petro Aloysio tradendi consilium improbavisse: *in hanc*, UT DICTUM EST, *sententiam oravit*. Ceterum vel imperitis tironibus, nedum viris doctis compertum est, ejusmodi *conciones directas* ab Historicis eloquentiæ laudem aucupaturis excogitari: quas ideo gravissimi auctores ab Historia rejiciunt, quæ vera, non ficta narrat. Quoniam vero nobis onus incumbit Apostolicam Sedem contra ejusmodi homines defendendi, qui nos eo impellunt, ut Solem splendescere demonstremus, scriptores, qui nobiscum sentiunt, proxime ad oram indicabimus. Quare si Mediolanensi Caussidico his validiora argumenta in Ecclesiam Romanam non suppetebant, ab eo etiam, quod ex Ardinghelli concione hausit, abstinere se poterat, cum adeo puerile ac futile sit, ut ipsemet (a) Angelus, alioquin in Hadriani verba jurare solitus, fateri coactus fuerit, id genus concionibus scriptores in multos errores sæpissime offendere, cum ea loquentes inducant, quæ nunquam illis in mentem venere.

Francisci Patricii Dialogus X. fol. 58. p.2. Italice.

Ludovicus Castelvetrius in Aristotelis Poeticam pag. 55. & 109. edit. 2. Ital.

Paullus Benius de Historia lib.1. cap.6.

Caspar Barthius Adversar. lib.60. pag. 2871.

Laurentius Duccius in Arte historiæ cap. 34. pag. 165.

a) *Histor. Parmæ lib. 5. pag.526. Italice.*

XVIII.

Summa Paulli III. in Parmam ac Placentiam potestas, easdemque in beneficium tradendi facultas rursus asseritur.

Vix Hadrianum refutavimus, cum statim nobis occurrit Bonaventura Angelus, narrans, Carolo V. longe *gratius futurum, ac minore eundem ira laturum, si Pontifex*, ut ait, *hunc honorem, ditionemque potius Octavio Duci, uxorique ipsius detulisset, quam Petro Aloysio, Guelphis addicto: cujus facta, tamquam hominis ex familia Ursina orti, & quacumque occasione illius amantissimi, semper Cæsari suspecta fuerant*. At Cæsar Campana municeps Aquilanus, ideoque, ut domui Austriacæ parens, eo etiam fide dignior, hanc Angeli narrationem, ut falsam, merito explodit: & Hieronymum quoque Faletum idem narrantem explodere poterat. Etenim Paulli III. matrem Joannam, non ex Ursino, sed ex Cajetano sanguine ortam, litterarum monumentis proditum est: & hoc ipsum Franciscus Sansovinus affirmat. Quare quidquid de *ira* Cæsaris jactatum est, id omne statim concidit, utpote ab ejus

Hist. Parmæ lib. 5. pag. 529. Italice.

Bella Germaniæ lib. 8. pag. 369. Ital.

Familiæ Italiæ fol. 166 pag 2. Italice.

memoriæ scriptoribus omnino confictum. Immo Petrum Aloysium prius *Guelphis studuisse*, adeo abhorret a vero, ut contra, *Gibellinorum* partibus plus æquo studuerit, dum tribunus militum Caroli V. cum Cæsareo exercitu urbanæ direptioni, & Clementis VII. Cardinaliumque in mole Hadriani obsidioni, interfuit, ita ut Paullus III. peculiari diplomate a criminibus & poenis canonicis, quibus se involverat, eum absolutum declarare debuerit. Jam vero si in rebus tam recentibus atque notis, ubi nempe de familiis, ac de Paulli III. matre agebatur, privata studia, humanaque infirmitas eo labi Historicos adegerunt, quot erroribus scatere putandi sunt libri nonnulli, quos, ut nunc ad examen vocemus, nec tempus, nec instituti suscepti ratio postulat? His, quæ commentus est Angelus, ut Petrum Aloysium *Guelphis* addictum ostenderet, alia a Paullo Jovio conficta adjungantur. Hic Scriptor, ubi data occasione Petrum Strozam Gallorum imperatorem fuga in agrum Placentinum & nemine insequente se recepisse narrasset, Petro Aloysio Farnesio id crimini datum affirmat, quia *erat eo tempore Farnesius alieno erga Cæsarem animo, quod a Patre Paullo Pontifice Parmæ atque Placentiæ Princeps & dynasta constitutus, nunquam id pontificium munus vel in gratiam Margaritæ filiæ enixe exorantis, Cæsar Augustali auctoritate confirmare voluisset*. Hæc a Stroza anno 1544. gesta fuerunt, integro nempe anno antequam Pontifex Petrum Aloysium Parmæ ac Placentiæ Ducem renunciaret. Quare hic pariter, ut Campana animadvertit, *ratio per Jovium adducta, ab ipso excogitata est*. Et nihilominus in hoc, quod ad fabulosum possessionis diploma sive *Investituram*, ut dicimus, per Carolum Farnesio denegatam, attinet, a Jovio atque Hadriano, præcipuis fabulæ auctoribus, Scipio pariter [a] Admiratus se in errorem trahi passus est. Campana [b] Julianum Goselinum jure etiam reprehendit, quod affirmaverit, Marchionem Pisca-

Lib. m. s 195. Paulli III. fol. 134.

Hist. lib. 18. fol. 133.

a) *Hist. Florentia to. 3. lib. 31. pag. 47.*

b) *Vita Ferdinandi Gonzagæ pag. 14. 16. 17. Italice.*

LIBER III.

Piscariensem Carolo V. suasisse jam inde ab anno 1543. quo in Germaniam profecturus Cremona transivit, ut Placentiam Farnesiis eriperet ad avertendum periculum, quod Mediolano imminebat, si quando cum Gallis fœdere jungerentur: hujusque rei a Cæsare curam omnem Gonzagæ demandatam, cum contra notissimum sit, Paullum III. biennio post illum Caroli V. *transitum*, de Placentia Petro Aloysio beneficii nomine adsignanda in deliberationem venisse. Quare Marchio Piscariensis, solum tamquam vates, Carolum V. Imperatorem hortari potuit ad Placentiam Farnesiis, nondum illa potitis, eripiendam. Hujusmodi vero anachronismi Historicorum mercede scribentium plerumque mendacia detegunt. Jovii fabulam Goselinus mirifice amplificavit, ut Placentiæ occupationem a Ferdinando Gonzaga hero suo quatuor post annis factam, non ex immanissima Petri Aloysii cæde, sed ex consiliis tanto ante per Ferdinandum jussu Caroli sæpe agitatis educeret. Atque hoc pacto bonus Goselinus ut herum purget, Cæsarem culpat. Ita nimirum auro pellecti scriptores; & quidvis aliud præter verum in animo habentes, vanis imaginibus rapti, ut aliorum voluntati obsecundent, falsas narrationes contexunt. Ex his, quæ recensuimus, quisque videat, num Musæus Jovii nobis, tamquam Historici *Pontificis partibus nimis addicti*, auctoritatem merito opponat, quasi vero eum Caroli V. mercede vixisse ignoretur, neque hoc ipsius litteræ typis vulgatæ testentur. His rationibus corruunt omnino quæ ab Alphonso Luschio narrantur, Petrum Aloysium Cæsari iratum fuisse, *dum sæpius beneficii Parmæ ac Placentiæ confirmationem petitam, nunquam a Cæsare impetrare potuit, qua nimirum dominium paullo ante a Patre obtentum magis sibi constitutum iri putabat*. Ea pariter corruunt, quæ Musæus ingerit, ubi ait: *istam collationem nullus juris effectus consequi valuit, quod neque Pontifex, neque Ecclesia Romana Parmæ & Placentiæ dominium, easdemque alie-*

Commentatio pag. 10.

Compend. historica pag. 446. edit. IV. Italice.

Commentatio pag. 7.

 nan-

LIBER III.

nandi facultatem obtinuissent . Sic fabulæ aliæ super alias facile consutæ, imperitis æstimatoribus pari facilitate obtruduntur. Ut quæ vera sunt, ingenue fateamur, Carolo V. æquè ac multis purpuratis viris utramque urbem de reliqua ditione ecclesiastica unius Farnesiæ domus locupletandæ caussà detrahi, minime placuit. Verum quoque est, principes familias tantam Farnesiorum potentiam ægre ferentes contra eos in Caroli animum pravas cogitationes injecisse, quasi plus nimio aucti res imperatorias suis artibus in Italia turbare ac Ducatui Mediolanensi detrimentum, timoremque importare potuissent. Hinc Carolus Petrum Aloysium numquam *Parmæ*, *Placentiæ*que Ducem agnovit, illumque in epistolis suis veteri *Ducis Castri* nomine nuncupavit, quo modo pariter nuncupat in supremis tabulis Testamenti, ubi Placentiam *uni Romanæ Ecclesiæ*, non vero *Farnesiæ* genti, quamvis sibi affinitate conjunctæ, restitui jubet. Ceterum Petrus Aloysius nudo se prænomine & nomine *Petri Aloysii Farnesii* subscribere consuevit: quod ejus pariter successores facere consueverunt. Facti hujus veritate subnixi scriptores, dum Carolus Ducem *Parmæ* ac *Placentiæ* numquam agnovit, ansam arripuerunt falso narrandi, ab eodem Carolo V. illarum urbium possessionem Petro Aloysio negatam: quem in errorem etiam Folieta ac Paullus Paruta, hac de re obiter locuti, inciderunt. At vero Carolus tam incautus ac cæcus in suis discernendis minime fuit, ut cum per simplex diploma talem ac tantum clientem sibi adjungere posset, nulloque negotio summam in aliena loca sibi potestatem comparare, hoc ipsum ultro (ut ajunt) & tam impense petenti denegaret. Dein vero Farnesiorum amplitudini invidentium instigationes, ut Cosmæ Medices, Andreæ Auriæ, ac præsertim Gonzagæ in caussà fuerunt, cur Carolus in deliberatione non agnoscendi Petrum Aloysium pro Duce Parmæ ac Placentiæ magis, ma-

Histor. Pallavicini lib. 5. cap. 14. §. 15. Italice.

Folieta in cæde Farnesii fol. 84. pag. 2.

Sandovalius to 2. p. 875.

Hist. Veneta lib. 11. pag. 781. edit. 1. anni 1605. Italice.

magisque perseveraret. His adde, ob Ducatus Mediolanensis, cui Gonzaga præerat, vicinitatem, gravia cum Farnesio dissidia sæpe excitata. Verum ex eo, quod Petrum Aloysium pro Duce urbium, quas a Sede Apostolica obtinuerat, agnoscere Carolus recusaverit, nihil educitur ad evincendum, eas civitates, in quarum possessionem Farnesius a Summo Pontifice publice missus fuerat, juris pontificii nequaquam fuisse, cum sæpe contingat, ut Principes inter se pares, aut secus, nullam inter se habeant commercii rationem, nec se variis de caussis agnoscant. Nec tamen ideo dicendum, eos sibi invicem esse subjectos, eosdemque in suas ditiones liberum imperium non exercere. Falsitatem postulati a Carolo V. & per Carolum Petro Aloysio negati diplomatis in caussa fuit, cur in fusiorem sermonem excurrerim, dum auctor Mediolanensis ad validissima Sedis Apostolicæ jura labefactanda aereas turres excitavit, quæ tamen cum tota sua mole facillime diffiarentur.

Animadvers. num. 30. §. Cum autem.

XIX.

Petri Aloysii Farnesii cædes. Placentia per Ferdinandum Gonzagam occupata.

1547.

Genuæ interim anno 1547. Joannis Ludovici Flisci ex Lavaniæ Comitibus ob veterem inter Fliscorum & Andreæ Auriæ familias inter se de primatu certantes æmulationem, conjuratio excitata est; cum Andreas summa auctoritate polleret in patria, cui ex Gallorum potestate ereptæ libertatem a Carolo impetraverat. Sed Jannettini ab Auria Andreæ fratris filii ac Joannis Ludovici de Flisco morte omnis conjuratio prorsus extincta. Malevoli vero contra Pontificem Farnesiamque gentem, cujusmodi præ ceteris fuit Andreas ab Auria propter ea, quæ a Sigonio in ejus Vita referuntur: ac Ferdinandus Gonzaga illis de caussis, quas Joannes Baptista Hadrianus enumerat, capta simul opportunitate, Imperatori, totique Aulæ occulte ingesserunt, Pontificem ac Petrum Aloysium Farnesium, qui Joanni Ludovico de Flisco quatuor triremes antea vendiderat, clam cum Gallis transegisse. Quod tamquam certissimum nonnulli scriptores tra-

Vita Andreæ Auriæ lib. 2. fol. 84. pag. 2.

Historia suorum temporum lib. 6. pag. 232. Ital.

Sandovalius in Vita Caroli V. to. 2. pag. 632. Hisp.

Vita Cosmi I. Aldo Manutio auctore pag. 97. Italice.

tradunt, quamvis, teste [a] Campana, qui id fuse diligenterque commemorat, omnia hæc a veritate aberrarent, teste etiam Uberto [b] Folieta Genuensi, ubi ait: *quæ tamen res* NUNQUAM *constitit*, licet ab Apollonio intimo Ducis Petri Aloysii Consiliario & Scriba per triennium Mediolani carcere detento, ut hoc etiam duris cruciatibus exprimeretur, tentatum fuerit. Nihilominus suspiciones in Caroli V. animum assiduis Gonzagæ artibus atque instigationibus injectæ per occasionem quoque Placentinæ arcis a Petro Aloysio constructæ, tantam vim habuerunt, ut sibi Cæsar persuaserit, a Petro Aloysio, ut Gallorum partibus dedito, Ducatui Mediolanensi pericula posse imminere: quod Gonzaga ei callide significaverat opera Nicolai Perenoti Granvelæ domini, scribæ Cæsarei, ac patris Antonii Episcopi Atrebatensis, qui & ipse Cæsaris minister, postmodum in Cardinalium numerum fuit cooptatus. Illud ab omnibus Scriptoribus ejus ætatis, nec ab uno, nec a duobus tantum, hac super re traditum, publico quoque consensu firmatum est, quod narrandum suscipio: atque hoc ea de caussa narro, ut genere facinoris intellecto, unde ad Placentiam occupandam via patuit, quam injusta occupatio ea fuerit, ab omnibus cognoscatur. Etenim ad ea tempora devenimus, quibus audire nobis contingit, a Mediolanensi Scriptore ea, quæ eventum circumsteterunt, vel silentio involvi, vel subdole perturbari, ut ex eadem occupatione præcipuum argumentorum robur contra Sedem Apostolicam derivet. Carolus igitur tot criminationibus in Farnesium audiendis fatigatus, tandem Gonzagæ mandavit, ut Placentiam in suam potestatem redigeret, quemadmodum Goselinus in ejus Vita, cui fuit ab epistulis, testatum reliquit, ubi quoque, ut herum purget, Cæsarem culpat. Quare his, qui Cæsarem in suam sententiam deduxerant, eo cruento sæculo ad rem ipsam perficiendam nihil aptius occurrit, quam ut de compacto cum Auria Petri Aloysii vitæ insi-

a) *Vita Philippi II. Par. II. Dec. III. lib. 1. fol. 2. & 12.*

b) *Cædes Petri Ludovici Farnesii fol. 83.*

Epist. Hannibalis Cari lib. 1. pag. 260. edit. Aldinæ. Ital.

Locatus de Orig. Placent. pag. 172.

Animadvers. num. 33. §. Quod in hac. — *Num. 42.* §. Mortuo.

Goselini Vita Ferrantis Gonzagæ pag. 43. Ital.

Hadrianus lib. 6. p. 234.

Locatus de Orig. Placent. pag. 171.

insidias struerent. Tunc vero commodum accidit, ut a Petro Aloysio ad Auriam Augustinus Landus mitteretur, qui eius de Jannettini nece dolorem exponeret. Quare Lando, homini sanguinolento, Andreas nullo negocio persuasit, ut suum legitimum Principem & verum dominum vita privaret, Placentiamque Cæsarianis proderet, Jannettini filiam Landi filio in matrimonium se daturum, ipsumque Augustinum magnam a Cæsare gratiam initurum, Andrea promittente, ut Natalis Comes memoriæ mandavit. Carolus Sigonius in Andreæ Vita testis est, Landum ejusdem Andreæ opera bonorum partem Flisco publicatorum præmio pariter assecutum. Cum ergo in cædis patrandæ societatem Lando se tradidissent Joannes Anguisciola, Joannes Ludovicus Confalonerius, Hieronymus & Camillus fratres Pallavicini una cum Alexandro item Pallavicino, omnes viri nobiles Placentini, intimi ac familiares Petri Aloysii Ducis, populo quidem acceptissimi, sed non ita optimatibus, tyrannidem exercere solitis, IV. Idus Septembres (non vero *Augustas*, ut scribit Cornerius, nec Decembres, ut scripsit Hieronymus Faletus) anno 1547. hora quinta decima & dimidia in Petrum Aloysium truculentas manus injicientes eum in proprio cubiculo vita privarunt, vix altero Ducatus anno transacto. Cetera, quæ tantum facinus comitata fuerunt, de industria omitto, quia ab Historicis passim narrantur. Posthæc sub vesperam Gonzaga ad urbem accedens, eaـ postero die statim potitus est; nam mature de re omni a sicariis certior redditus, cum suis copiis Cremonæ morabatur, de successu nuncios expectans. Hæc a Natali Comite, (a) ab Umberto Locato, (b) Uberto Folieta, (c) Antonio Campo, (d) Ludovico Dulcio, & pariter (e) ab Alphonso Ulloa litteris prodita sunt, qui postremus alioquin omni arte rei veritatem occultare conatur, ut Cæsari Gonzagæ Ferdinandi filio, cui patris Vitam inscripsit, assentaretur.

Dux

Histor. lib. 3. pag. 64. 65. edit. Argentor. 1612.

Vita Andreæ Auriæ lib. 2. fol. 95.

Res gestæ Henrici II. lib. 1. fol. 21. pag. 2.

Bella Germaniæ lib. 8. pag. 270. Ital.

Commentarii Ludovici Guicciardini lib. 2. p. 90. Italice.

a) *De Origine Placentiæ pag. 172.*

b) *Cædes Farnesii fol. 87. pag. 2.*

c) *Cremona illustrata lib. 3. pag. 32. edit. I.*

d) *Vita Caroli V. p. 132. Ital.*

e) *Vita Ferdinandi Gonzagæ fol. 150. p. 2. Ital.*

LIBER III.

Dux Raynutius II. hoc parricidium, civitatisque occupationem Leopoldo Imperatori exponens, hisce verbis usus est: *Nefariæ conspirationis* AUCTOR & EXECUTOR *in Principem de se benemeritum, ut ex prædictis constat, ad evitandam populi rabiem Comes Augustinus civitatem Placentiæ ministris Cæsareis prodidit anno* 1547. *Actor filiorum Comitis Claudii* (filii Augustini) *hoc fatetur in judicio anno* 1578. *die* 4. *Novembris. Atque per rebellionem Comitis Augustini in Placentina civitate nomen Imperiale, quod ab anno* 1327. (immo 1322.) *usque in hanc diem* IGNOTUM FUERAT, *iterum* AUDITUM *est: qua justitia, invictissime Cæsar, Sacra Majestas* VESTRA *cognoscit ex prædicta narratione*. Tot tantisque testificationibus inter se optime convenientibus rei veritatem firmandam censui, propterea quod Hadrianus, ut Gonzagæ cum Petri Aloysii interfectoribus arcanam societatem hominum notitiæ subduceret, illum non Cremonæ, sed Laude Pompeja tunc moratum scribit: ipse vero Gonzaga Reipublicæ Venetæ significandum curavit, se Mediolani moratum: & sic quoque Aulæ Cæsareæ, non tamen aliis, facile persuasit. Tum nonnulli, qui a Natali Comite *ignari prorsus rerum regiarum* vocantur, varia de Petri Aloysii nece in vulgus dissiparunt, quæ aculeato disticho, apud eumdem Historicum legendo, materiam præbuerunt. Verum Joannes Sleidanus Germanus longe aliter ac ceteri Itali Scriptores eo tempore florentes, hæc omnia litteris consignavit, deque luculentis eorum testimoniis parum sollicitus, hoc pacto rem absolvit: *Sed affirmare nihil possum*: aut, quemadmodum vertit Italus interpres: *ma non ne posso affermar niente*. Hoc tamen ille affirmare optime potuit, cum se veritatem præclare assecutum his verbis ostendat: *alii vero longe secus commemorant*: idque etiam hic *Titus Livius hæreseos*, quemadmodum a viro docto appellatur, commemorare debuit, non autem solas res, turpitudinem ex

Remonstratio §. LXIX.

Hist. suorum temporum lib.6. pag.235. Ital.

Commentarii lib. 19.

Claudii Jolii Iter Monasteriense p.169. Gallice.

ex ejus voto præferentes, in medium adducere. Sed Sleidanum in Surij manus tradamus, ſcripta ejus in ſuis Commentariis probe excutientis. Joannes Caracciolus Melphitarum Princeps Taurinis Placentiam nuncio miſſo, ut de Petri Aloyſii nece ſingulatim edoceretur, VI. Cal. Octobres, anno 1547. ad Galliarum Regem ſcripſit, cives, morte Ducis audita, *Eccleſiam*, *Eccleſiam* clamantes ad arma confugiſſe, ac ſtatim per tabellarium de omnibus Pontificem certiorem àb eis factum. Hinc auctor Mediolanenſis falſitatis inſimulatur, cum Placentinos ait, poſt Ducem interemptum, *libertatem* atque *Imperium* clamaſſe. Hieronymus Faletus Herculis II. Ferrariæ Ducis miniſter hanc conjurationem deſcribens in multos errores labitur, quorum pars Jovio atque Angelo communis. Unus certe is eſt, ubi Gonzagam eo tempore *forte fortuna* Cremonæ moratum comminiſcitur. Urbis Placentinæ magiſtratus hora una & dimidia poſt Ducis cædem Pontificem, ut ſummum Principem, per litteras, in fine operis dandas, de tanto infortunio certiorem fecerunt, propriam hac in re innocentiam teſtantes, ac pollicentes, ſe in fide erga Apoſtolicam Sedem perſeveraturos, quamvis poſtmodum non ultro, ſed vi coacti, ſententiam mutaverint. Ferdinandus Gonzaga pariter, ut tam horrendi, parum honeſti, eoque minus Chriſtiano homine digni criminis ſe ignarum oſtenderet, ad Cardinalem Farneſium, Octavii Ducis fratrem, epiſtolam ſcripſit: utque Venetæ Reipublicæ perturbationem leniret, illuc Joannem Baptiſtam Schizium Senatorem Mediolanenſem ablegavit: cujus fictæ excuſationes apud Parutam leguntur, ac pariter in epiſtola ad Henricum II. Galliarum Regem a Morvillerio apud Venetos Chriſtianiſſimi Regis Legato ſcripta. Gonzaga interim aliquot Parmenſis agri locis occupatis, Parma quoque potiri conatus eſt: cujus tamen cives cum per Sanctæ Floræ Comitem Ferdinando reſponderi juſſiſſent, *ſe ſe Eccleſiæ Romanæ fideliſſimos* SEM-

Pag. 435. edit. Colon. 1574.

Guillelmus Riberius Epiſtolar. tom. 2. pag. 67. Gallice.

Animadverſ. num. 41. §. Placentinos.

Bellum Germaniæ lib. 8. pag. 369. 370. 371. Ital.

V. in fine num. XLII. XLIII.

Hiſt. Veneta lib. 11. pag. 797. Italice.

Riberius tom. 2. p. 51. 64. 67.

Thomas Cormerius de rebus geſtis Henrici II. *lib. 1. pag. 22.*

— Lib. 2. p. 54.

Cædes Farnesii fol.89.

Andreas Maurocenus lib.6. pag.248.

1547.

MS. lib.22. diversorum Julii III.

1548.

Epistolæ ac monumenta Guillelmi Riberii tom.2. pag.61. Gallice.

De Juribus Imperii lib.2. cap.20. §.18. pag.442.

PER *fuisse, perinde neminem Dominum, nisi illam, aut quem illa dedisset, unquam habituros*, teste Folieta, in obsequio erga Ecclesiam, Ducemque Octavium manserunt, qui tum ex Germania reversus Perusiæ, ubi Pontifex morabatur, de re certior factus est, eundemque Parmæ optimates publico statim sacramento dominum suum agnoverunt. Pontifex vero, qui Petri Aloysii nece, sed nondum civitatis occupatione, audita, Idibus Septembribus Cardinalem Marcellum Cervinum Legatum a Latere *Parmæ Placentiæ*que, atque in tota Cispadana provincia renunciaverat, mox in sacro Senatu conquestus, hoc pacto Romanam Ecclesiam *Placentia* fuisse spoliatam, unum Gonzagam tanti criminis auctorem fecit his verbis: *compertum habemus Ferdinandum esse auctorem*. Primi postea diplomatis Petro Aloysio concessi ratione habita, Cal. Maiis anni 1548. *motu proprio* Octavium pro Duce Parmæ, Sedisque Apostolicæ beneficiario habendum novo diplomate declaravit. Ut tamen verum fateamur, in Paulli III. gloriam hoc maxime redit, suæ ætatis longe omnium prudentissimum senem ubi tandem ad præterita sua consilia, occultaque Dei judicia mentis aciem mature convertit, erga suos amorem adeo imminuisse, ut de Parma ipsa, universisque in *Placentiam* juribus Romanæ Sedi, Camerinoque Duci Octavio, restituendis, serio cogitaverit, cum ægre ferret, Horatium Octavii fratrem ad Parmensis Ducatus dominationem intendere, Henrici II. Regis Christianissimi potentia fretum, qui tum Francisco I. successerat, cujusque filia Diana, non quidem legitima, eidem Horatio nupserat. Hermannus Conringius ex sectæ suæ præjudiciis res pontificias & maxime summum imperium iniquo animo ferens, ait, Carolum V. post Petri Aloysii cædem UTRAMQUE *urbem illam* occupavisse. Hoc unum supinam hominis negligentiam, ne dicam malam fidem, digito ostendit. Addit Conringius, probari facile posse, quod tamen nequaquam probat, alterutram saltem ipsarum civita-

vitatum *non fuiſſe antebac pontificii juris*: Carolum V. utramque Pontifici dediſſe, *ægre, nec prævio ordinum Imperii conſilio*; quaſi vero Carolus primus omnium eas civitates Romanæ Eccleſiæ ex mera liberalitate dediſſet, Imperiique Germanici ordines de Eccleſiæ rebus pro arbitratu ſuo decernere poſſent. Ait inſuper, Paullum III. Parmam ac Placentiam Petro Aloyſio ab ſe tradi non poſſe intelligentem Caroli V. conſenſum flagitaviſſe: qui eum denegaverit. Hæc tamen omnia a vero quantopere aberrent, jam ſatis oſtendimus. Sed Conringius a Thuano decipi voluit, qui non ſecus atque alii ſcriptores, alieno a Pontificibus animo, Hadriani Goſeliniquc veſtigiis temere adhæſit. Mediolanenſis auctor, omni verecundia procul abjecta, id affirmare non dubitat, quod repetere pudet, Placentiam nempe a Gonzaga tam nefariis artibus occupatam, *rediiſſe in plenam poſſeſſionem Cæſaris, unitam reliquo corpori ſtatus Mediolanenſis*, quaſi vero ex tam fœdo horrendoque crimine, cui univerſi Principes faciliime ſubeſſe poſſunt, jus aliquod Imperio inter nos Chriſtianos comparari, & Eccleſiæ Romanæ juribus detrimentum aliquod inferri, potuiſſet. Quanto melius Dux Raynutius II. his verbis, Chriſtiano Principe vere dignis, Imperatorem Leopoldum allocutus eſt! *certe* (inquit) *acta tempore ſpolii ſpoliato non nocent, cum ipſe jura ſua defendere non poſſit*. Verum ut alia, quæ ſuppeterent, miſſa faciamus, evidenter conſtat, per ea, quæ in perduellione ac proditione illa acciderunt, Octavium civili poſſeſſione ſua nequaquam ſpoliatum, eoque minus Apoſtolicam Sedem ſummum in Placentiam imperium ſuum amiſiſſe, præſertim cum perſpectum abunde ſit, tum ipſum Ducem Octavium, tum Paullum III. Pontificem per Apocriſarios, Legatoſque apud Imperatorem de injuria ſibi illata expoſtulaviſſe, & Placentiæ reſtitutionem ad Sedem Apoſtolicam pertinentem flagitaſſe, utpote quam ſibi Cæſar, niſi irato Deo, deti-

Hiſtor. lib. 4. pag. 129.

Animadverſ. num. 42. §. Mortuo.

Num. 43. §. Tempore.

Remonſtr. §. CLXII.

LIBER III. detinere non posset. Quibus factum est, ut Carolus V. justitia victus, pro ea urbe parem compensationem Sedi Apostolicæ, annuum censum, interque alia Senensem principatum obtulerit: ad hæc possessionis diploma a Pontifice se accepturum spoponderit: quæ tamen omnia rejecta sunt. Hæc cum ita se habeant, non solum Ecclesia nunquam sua jura deseruit aut neglexit, sed ea semper fovit, omnibusque vulgavit. Ideoque nec per atrocissimum facinus a sicariis Petri Aloysii patratum, neque per Gonzagam Placentiam occupantem illa imperii sui juribus spoliari potuit: idque eo minus, quod Octavius Placentia spoliatus cum ex censu, pro utraque urbe solvendo, dimidium pro Parma tantum, quam possidebat, in ærarium pontificium conferret, nempe *quatuor mille & quingentos ducatos aureos*; tamen Apostolica Sedes per suos ministros palam professa est, census dimidiam illam partem ab se accipi & sibi persolvi pro *Illustrissimo atque Excellentissimo Domino Octavio Farnesio* PARMÆ & PLACENTIÆ *Duce*. Ipseque Dux ac ejus pariter successores post Placentiam recuperatam ultro & palam quotannis ad hæc usque tempora in die festo Sancti Petri, Legatis Cæsareis & Catholicis scientibus & videntibus, plenum *novem millium ex auro ducatorum* censum Romæ persolverunt, Farnesiis per hæc, ab suis ministris in luce hominum gesta, & per legationes etiam ad hoc missas, agnoscentibus & profitentibus, *Placentiam* ac *Parmam*, nemine reclamante, ad Sanctum Petrum *pleno jure* spectare. Porro id etiam peculiari animadversione dignum est, Ducem Raynutium II. Leopoldo Imperatori publicis tabulis ostendisse, Placentinos, ipsumque parricidam Landum Carolo V. tamquam Imperatori ac Mediolanensi Duci fidei sacramentum minime dixisse,
Remonstr. §. LXXII. *sed ut Placentiæ domino, & per consequens superioritatem Caroli V. derivasse in hæc feuda* (agri Placentini) *non immediate ab Imperio, sed a dominio Placentiæ*.

Pe-

XX.

Gesta per Apostolicam Sedem cum Carolo V. pro Placentiæ restitutione.

Petri Aloysii cæde, Placentiæque occupatione intellecta, Pontificem Paullum, ejusque ministros summus horror stuporque corripuit, itaut in tanta perturbatione ne de mittendo quidem ad Cæsaris aulam ea de re nuncio cogitari potuerit. Quare Cardinalis Joannes Franciscus Sfondratus Legatus Apostolicus ad Carolum V. nullis Pontificis nomine litteris ad se allatis, cum facinus, fama referente, accepisset, magnis curarum motibus æstuavit, ignarus quo pacto in iis, quæ sibi cum Cæsare agenda essent, tuto se gereret. Nihilominus vir incredibili virtute præditus, animum nequaquam despondit; sed Atrebatensi Episcopo, omnia Cæsare inscio, & si Deo placet, etiam Gonzaga, evenisse dicenti, libere respondit, promptam Placentiæ restitutionem ipsius Imperatoris hac in re innocentiam animique candorem indicaturam: sique nondum a Pontifice, horrore perfuso, nuncius ea de re pervenisset, se nequaquam mirari; sed potius mirari, cur a Carolo ipso, cujus nomine urbs Apostolicæ Sedi erepta fuerat, ad Pontificem offensum ac civitate spoliatum nondum quidquam pro ejus animi declaratione scriptum fuisset. Si hoc ab Cæsareis ministris probaretur, a reliquis nequaquam probari. Carolum vero una civitatis restitutione rectum animum suum proditurum. Hac infecta, hominum judicia a vero non aberrare. Neque hæc tantum Legatus strenue & intrepide pronunciavit. Quamvis enim ipse Caroli imperio pareret, hæc atque alia in mentem ei revocare non dubitavit, quemadmodum, Principibus religione tactis, viri sacerdotali charactere venerabiles pro re nata præstare solent, qui humanis omnibus procul summotis, sibi ob oculos unum Deum, puramque veritatem proponunt. Itaque Cardinalis Carolo significavit, siquid unquam ipsi evenisset, in quo animi sui sententiam omnibus ostendere debuisset, tunc certe occupata Placentia id evenisse. Pontificem gravissima illi damna importandi præteriisse innumeras opportunitates: se cejus

Pallavicinus Hist. Concilii lib. X. cap. 5. §. 3. edit. 2. Italice.

ejus caussâ magnos Pontificatus redditus insumpsisse, quibus amplissimum imperium in Germania postremo comparatum, atque etiam illud omne, quod sibi in Italia comparaverat, Sedi Apostolicæ acceptum referre deberet. Eum longe plura, quam sui prædecessores, beneficia ab Ecclesia retulisse. Sic locutus est Cardinalis Sfondratus. Per idem tempus, adeo calamitosum, a Duce Octavio ad aulam Cæsaris Bruxellas Sfortia Pallavicinus, a Cardinali Alexandro Octavii fratre Julianus Ardinghellus, statimque a Pontifice Fabius Mignanellus Episcopus Nucerinus ad Imperatorem, ad Regem Ferdinandum & Bavariæ Ducem atque ad præcipuos Cæsaris ministros, datis litteris ad eos perferendis, missi sunt. In litteris ad Carolum V. Petri Aloysii interfectores *impii & scelerati cives Placentini* appellantur: quod unis sicariis ac sui Principis proditoribus convenit. Carolus ad sibi relata respondit, se amplificandæ Ecclesiæ potius, quam ejus, Octaviique Ducis spoliandi studio teneri: remque integram scribæ suo Nicolao Perenoto Granvelæ domino, cujus animum Gonzagæ artes occupaverant, dirimendam committit. Cum vero Placentiæ restitutio, vario prætextu in longum tracta, eo minus urgeretur, Goselino testante, qui alioquin, ne Ferdinandi heri sui dignitatem imminueret, harum rerum artificia astute celavit, hanc Pontifex responsionem retulit, *totidem Ecclesiam ditionibus cum Placentia comparandis Cæsarem compensaturum*, data Pontifici facultate, quidquid sibi melius placuisset, postulandi, & jura sua in eam civitatem exponendi, ut si Cæsareis veriora essent, statim Placentiam restitueret. Duo scripta Julio Ursino, semel atque iterum hac de caussa in Germaniam proficiscenti data, prostant in Thesauro politico. Ursinus Romam reversus, deque nonnullis recentioribus Ecclesiæ juribus instructus, quæ caussam justam satis efficere poterant, ut ad civitatem restituendam Cæsaris animum permoverent, ea omnia cum Mendoza communi-

Lib.ms.Brev.Paulli III. *fol.*1. 103. 217.

V. in fine num. XLIV.

*Monumenta Riberii t.*2. *pag.* 141. 143. 183. 201. 206. 208. 216. *Gallice.*

*Folieta in Cæde Farnesii fol.*91.

*Vita Ferdinandi Gonzagæ pag.*72.

Thesaur. Polit. tom 2. *cap.*29 30. *pag.*388. *Ital.*

*Folieta in Cæde Farnesii fol.*91. *pag.*2.

*Hadriani lib.*6.*p.*263.

Paruta lib. 11. *pag.* 172. *Ital.*

municavit, illudque ei dedit responsum, a Hieronymo Ruscellio postea vulgatum, in quo scriptum, Caroli V. nomine per Martinum Alonsum exhibitum, refutatur, nulla omnino mentione facta de illa titulorum inquisitione, quam Hadrianus commentus est; immo in eodem responso declarante Pontifice, se modo judiciario agere nolle: quod ab eodem Pontifice ne Carolus quidem postulaverat; cujus ibi pollicitationes, pro Placentia Sedi Apostolicæ ultro factæ, singulatim enumerantur. Is tamen, qui *Placentiam* sibi retinere voluisset, aliquando protulit, *Parmam* sine *Placentia* Pontificatui nihil prodesse, ideoque se eam libenter accepturum: quo eventu, pro utraque civitate obtulit, se *tot ditionibus sive in uno, sive in pluribus ex regnis suis malint, rem compensaturum, quarum vectigalia non modo ea, quæ ex Placentia & Parma percipiantur, æquent; sed duodecim millibus aureorum nummum superent*. Ita Folieta. Hæc iterum iterumque oblata, ut æqua & major Placentiæ *compensatio* exprimeretur, luculenter declarant, eamdem civitatem, veluti ad Imperium spectantem, juste a Carolo detineri non potuisse. Fanensis Episcopus post Mignanellum ad Cæsarem Apocrisarius stupore quodam perculsus ejusmodi propositionibus acceptis, Imperatori libere dixit, Petri Aloysii cædem ab eo quodammodo comprobari, cum tam parvi Sedis Apostolicæ jura per illum fieri animadverteret: se illi & Granvelano ejus ministro diem dicere, ut intra sex menses se se Dei judicio sisterent, cui & ipse adesse cupiebat, ut coram summo judice maxima injuria pateficeret, quæ in Placentia, Ecclesiæ patrimonio, occupanda, Sedi Apostolicæ inferebatur, quoniam in terris nullum de hac re judicium integrum reperiebatur. Alio tempore, quo ei dixerat Carolus, se rem de Theologorum sententia definiturum, id ille non solum probavit, sed ut eos cogeret, hortatus est, de quorum tamen probitate ac doctrina constaret; dummodo scilicet ab illis differrent,

LIBER III.

Epist. Principum to. 3. pag. 186. Italice.

Pallavicinus lib. 11. c. 3. §. 3. Ital.

Folieta fol. 91. p. 2.

rent, qui in aulis minime desunt; ipso interim Episcopo libere promittente, se coram Imperatore ostensurum, nisi Deum adversum vellet, Placentiam Ecclesiæ restituendam: sique ipse rem ita non ostendisset, ut ea omnibus sub sensum caderet, nullum se ultra verbum fuisse facturum. At vero Theologi nunquam apparuerunt: neque Cæsar Fanensis Episcopi pactionem amplecti voluit, quamvis in scriptis Cæsareo concilio traditis hæc omnia Bertanus iterum atque iterum inculcavisset. Hippolytus II. Cardinalis Atestinus, in aula Romana Galliarum *Comprotector* nuncupatus, in litteris ad Regem Henricum II. hac de re datis, Carolum scripto promisisse testatur, se *Placentiam restituturum*: quod pariter apud Folietam legitur: Julium Ursinum, si id effectu careret, in scribam Granvelanum potius, quam in Imperatorem culpam conjicere, putante Ursino rem infectam manere ob familiaritatem, quæ inter Granvelanum ac Ferdinandum Gonzagam intercedebat. Tunc (nimirum anno 1549.) Cæsarem nec de *restitutione*, nec de *compensatione* ultra loquentem, ut alias locutus fuerat, *quadraginta millia ducatorum* in annos singulos pro Duce Octavio obtulisse: qua de re pariter verba facit Pallavicinus, annuum hunc proventum, salvis Sedis Apostolicæ juribus, Cæsarem obtulisse memorans. Pontificem de Parma Ecclesiæ patrimonio addenda cogitavisse, deque ditione Farnesiæ gentis & Castri Ducatu Octavio, Horatio autem Ducatu Camerinensi adsignandis: qua de re etiam Hadrianus, Panvinius, & Paruta meminerunt. Hoc in loco tot publicis argumentis summum Paulli III. in Parmam ac Placentiam imperium testantibus, nummorum auctoritatem adjungam, quibus in easdem civitates amplissima ipsius potestas evincatur, cum ejusmodi testimonia, in rebus potissimum tam recentibus, maximi facienda sint; cumque numismata in rebus etiam a memoria hominum remotissimis Cardinali Norisio, viro magno, adjumento incre-

Lib. m. s. diversorum fol. 103.

Monum. Riberii tom. 2. pag. 223. 225.

Cade Farnesii fol. 91. pag. 2.

1549.

Pallavicinus lib. XI. c. 3. §. 3.

Hist. suorum temporum lib. 5. pag. 266. Italice.


In Paullo III. prope finem p. 344.

Histor. lib. XI. pag. 571. Italice.

Brevis notitia Scyllæ pag. 43.

incredibili fuerint, ut de urbium Syriæ originibus, eorumque dominatione nos ab eo verissima docere-mur.

I.



PAVLVS. III. PONT. MAX.

Corona triplex & claves supra parmulam gentiliciam sex Liliorum, quod est insigne Farnesium.

SVB. VMBRA. MATRIS. ECCLESIE. PARMA.

Mulier galeata trophæo insidens, & dextera victoriam tenens.

I I.




PAVLVS. III. PONT. MAX.

Ut supra.

DIVO.THOME.PARME.PROTEctori

Vir stans cum volumine in sinistra & baculo in dextera.

III.




PAVLVS. III. PONT. MAX.

Ut supra.

FIAT. PAX. IN. VIRTVTE. TVA.

Crux.

IV.




PAVLVS. III. P. M. PLAC*entiæ*. *Dominus*.

Ut supra.

NON. ALIVNDE. SALVS. PLAC*entia*.

Crux.

V.



PAV. III. P. M. PLAC. D.

Ut supra.

S. IVSTINA. PROTECTRIX.

Virgo stans cum baculo in sinistra.

In-

LIBER III.

XXI.

Paullus III. Parmam custodiri jubet. Interea de Placentia quæstio a Carolo V. ad Jurisperitos Mediolanenses defertur.

Interea Paullus III. multis artibus Placentiæ restitutionem sibi prorogatam animadvertens, ut Octavii vitæ, Parmæque ipsi tutius consuleret, eum Romæ morari, urbemque ipsam Camillo Ursino fortissimo incorruptoque viro [a] in custodiam tradi jussit. Sed Octavius metuens, ne Pontifex, morte superveniente, urbem, damno ejus, Ecclesiæ ditioni adderet, [b] Mendozæ vaferrimi hominis consilio, ex improviso Roma discedens, Parmam profectus est, ea potiturus, Pontificemque coacturus, ut cum Carolo V. res componeret. De hoc, licet sero, Paullus admonitus, civitatem ab Ursino custodiri mandavit, Romam Octavio revocato: qua de re per Cardinalem Atestinum [c] VIII. Cal. Novembres anno 1549. certior factus fuit Rex Christianissimus. [d] Hadrianus narrat, Imperatorem, *Ecclesiæ jura, sibi tradita, Mediolanum misisse, ut ejus Senatus sapientes de illis viderent atque consulerent: contra quæ illi demonstrarunt, non perinde ac Imperii, Sedis Apostolicæ jura valere; cum Mediolanenses Duces illarum urbium dominium ac possessionem abalienare & oppignerare nequiverint: ceteraque Pontificis jura omni auctoritate ac momento carere.* Hac Jurisconsultorum Mediolanensium definitione, quasi res generali Concilio dirempta esset, plaudit sibi mirifice Pater Hordeus, ac deinde etiam auctor, qui in ejus verba juravit. Immo cum apud Pallavicinum, magno certe nostro infortunio, Adversarius legisset, Imperatori a Julio III. responsum: *si Jurisperiti Mediolanenses Cæsari in eam civitatem jus tribuebant, Romanos Jurisperitos Pontifici tribuere*, is ob hoc tam æquum, modestumque Pontificis responsum ingentes turbas excitat, clamans, Romanos Jurisconsultos cum Mediolanensibus nullo pacto esse comparandos: atque hanc ipse suam præoccupationem variis argumentationibus, quæ omnes in solitum Romæ contemptum redeunt, fuse tueri conatur: neque ego in earum pondere excutiendo tempus teram, cum res per se ipsa loquatur. Ni-

a) *Folieta in Cæde Farnesii fol.89.*

Natalis Comes Hist. lib.3. pag 76.77.

Panvinius in Paullo III. pag.344.

Viri illustres gentis Ursinæ Sansovino auctore. lib 4. pag. 81. Italice.

Hadrianus lib. 6 p.240. 242. 259. Ital.

Riberii Monumenta t.2. p.247. Gallice.

b) *Paruta lib. XI. pag. 575. Ital.*

Campana in Vita Philippi II. par.II. Dec III. lib.2. fol.38. p.2. Ital.

Goselini Gonzagæ Vita p.81. 85. Ital.

c) *Riberii to.2 pag.247. Gal.*

d) *Hadrianus lib. 7. pag 263. Ita.*

Animadvers num. 57. §. Inter.

Hist. Concilii Tridentini lib. XI. cap. 10. §. 4. —cap. 11. §. 2. Ital.

Animadvers. num. 60. §. Et licet.

hi-

hilominus Romani jurisconsulti, si res postularet, Mediolanensi pro se objicere possent, non solum ævo Caroli V. sed etiam nostro atque omni alio celeberrimi Raterii Veronensis Episcopi, qui sæculo decimo floruit, de Romanis *sapientibus*, quos inter ex Hadriano, Jurisconsulti quoque ponendi sunt, si cum ceteris committantur justissimam esse, accommodatissimamque sententiam. Dabimus Raterii verba: *Ignorantia quo melius exui, quo aptius possum, quam Romæ doceri? Quid enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores: illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ principes: illic Decretalia Pontificum, universorum congregatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo nunquam ratum quod illic irritum, nusquam irritum quod illic ratum fuerit visum.* Quoniam vero Adversarius seipso plenus dictitat, externos Principes Jurisperitorum Mediolanensis Senatus *in gravissimis negociis* consilium postulavisse; nunquid a Romanis jureconsultis nemo unus id postulavit? Ut recentia exempla omittantur, omnibus compertum est, ad magistratuum, qui a Pontificibus ad jus dicendum coram universis deliguntur, sapientiam indicandam, Paulli Jovii Novocomensis sententiam sufficere, in Christophori Longolii Elogio pronunciatam, Romæ nimirum illud judicium florere, *quod frustra alibi, quam sub Romano Cælo, quæritur*. Ubi vero tanta facultas floret, id apud nostros desiderari nequaquam videtur, quod apud suos tantum abundare putat Adversarius. Sed homini res Romanas superbe contemnenti, ea opponamus, quæ alius Caussidicus, ipsi quidem notissimus, ac etiam de Mediolanensi Senatu, pro Romanis ultro pronunciavit. Is est Aloysius Caroellus, qui in alio scripto suo pro Marchione Balbasio contra Burghesiam Principem feminam anno 1708. in lucem edito, verissime scribit, sibi injunctum, ut mitteret *noctuas Athe-*

Itinerarium apud Dacherium in Spicilegio to. 2. p. 257.

Athenas (sunt ipsa ejus verba) *mandando, ut scribamus in causa, quæ Romæ agitur, ubi jurisprudentia orta est, adolevit, & habet sedem*. Hi duo jurisperiti, qui pro unico habentur, hac de re inter se certent, dum ego interim Mediolanenses, præstantissimos viros, quos semper Apostolica Sedes plurimi fecit, incredibili admiratione correptos fuisse non dubito ubi ex suorum numero hominem prodiisse animadverterunt, qui ratione qualibet imparatus, & modestiæ plane immemor, tanta audacia & temeritate in ea omnia scripserit, quæ ad Romam, Sedemque Apostolicam pertinent.

XXII.

Mediolanensium Jurisperitorum de Parma sententia expenditur. Mors Paulli III. Evectus ad Pontificatum Julius III. a quo Carolus V. Parmæ ac Placentiæ *Investituram* petit.

At vero quam inanis & male fulta Jurisperitorum Mediolanensium in re nostra opinio, licet tantopere celebrata, putari debeat, ex falsæ politices, non ex sanæ jurisprudentiæ principiis, quibus substructa fuit, abunde colligitur; nam, teste Hadriano, his duabus rationibus unice innixa fuit. Primum quia Mediolanenses Duces *Parmam* ac *Placentiam* alienare non poterant: alterum quia Ecclesiæ jura in illo Areopago nulla valere auctoritate credebantur. Atqui contra certo scimus, nec Paullum III. nec Julium III. neque alios pro fundamento, ullam adduxisse *alienationem* per Duces Mediolanenses factam, sicut ex hactenus dictis luculenter apparet: certoque scimus pariter Constantinianæ donationis jura, ac id genus reliqua fuisse ab Hadriano excogitata, ut gesta Paulli III. maledice traduceret, quemadmodum in re præsenti, Campanæ etiam auctoritatem secuti, fecimus manifestum. Scriptor Mediolanensis, qui semper falsa & secum pugnantia congerit, pronunciare audet, Pontificem in hac Placentiæ controversia, *totum jus collocavisse in titulis habitis ab Imperio*: & paullo ante dixerat: *declinabat recognitionem titulorum, agnoscens eorum vanitatem*. Hæc omnia, quæ argumentis hactenus recitatis & recitandis omnino infringuntur, nunc refutatione peculiari non indigent, cum Joannem Casam Archiepiscopum Beneventanum memorare sufficiat, qui in eximia

Animadvers. num. 66. §. Autem.
—*Num. 75.* §. Non multum.

mia

LIBER III. mia illa sua pro *restitutione Placentiæ* Oratione prava consilia indicans per Sedis Apostolicæ rebelles, eorumque perditos fautores Carolo data, ne illa restitueretur, vere scripsit, eorundem consiliorum auctores *fraudis, violentiæque opus rationis nomine occulere voluisse, inceptumque facinus insidiis ac litibus conficere, quæ rerum naturæque ordinem perverterent: ipsos, cum in eorum potestatem Placentia venisset, ad lites ac judicia confugere, ut justitia violentiæ inserviat, atque illam sequatur*. Interea VIII. Idus Novembres anno 1549. tam adversis temporibus, ærumnis atque ætate confectus e vita discessit Paullus III. nec tamen Ursinus idcirco Parmam Octavio tradere voluit, quamvis sacro Senatu jubente: nec Cæsarianis multa offerentibus minasque intentantibus. Multo minus illam Horatio cedendam censuit Gallorum persuasionibus oppugnatus: nec sibi ipsi retinendam, ad quod, Gallis adiuvantibus, excitabatur. Sed magno, virili, constantique animo contra Gonzagam ac Farnesium, novo Pontifici ab se custodiendam servandamque existimavit secus ac invidia & prava hostium voluntas in vulgus sparsit, quasi Ursinus Gallis Parmam tradere in animo habuisset: quod Goselinus narrat, hujusmodi opinionibus semper addictus. Interim VI. Idus Februarias anno 1550. Cardinalis Joannes Maria de Monte Julii III. nomine ad Summum Pontificatum evectus est, statimque Octavius Farnesius, Dux *Parmæ* ac *Placentiæ* ab eo confirmatus, per Ursinum *Parmam* sibi, jussu Pontificis, traditam cepit, simulque Romanæ Ecclesiæ Vexillarii munus, duobus millibus nummum sibi quolibet mense statutis, ut urbis præsidia aleret. Sed cum postea id onus grave Pontifici videretur, bellumque in Italia eventurum timeret, Mendoza & Gonzaga Farnesiam gentem perdere, Gallisque tueri conantibus, ut suis quisque rebus intenti erant, Pontifex per suos nuncios agere cœpit, ut tandem Imperator *Placentiam* Sedi Apostolicæ redderet

1549.
Andreas Maurocenus lib. 7. p. 253.
Campana Vita Philippi II. P. 2. dec. 3. lib. 2. fol. 40. pag. 2. Italice.
Riberius tom. 2. pag. 262. Gal.
Paruta lib. XI. pag. 575. Ital.
Hadrianus lib. 7. p. 391. Ital.
Vita Gonzaga pag. 92. 93. 96. Ital.
Natalis Comes Histor. lib. 3. pag. 77.

1550.

ret. Quare jussus Mendoza Pontifici significare, Imperatorem controversiis finem facturum: pro *Placentia*, *Parma*que se Ecclesiæ Romanæ beneficiarium esse velle, censum solvendi sibi onere imposito, Duce Octavio æqua compensatione donato, & Montiæ pontificiæ familiæ aliis locis in Senensi ditione adsignatis. Hæc ultro oblata, Romanæ Ecclesiæ jura palam facere & manifeste declarare videntur. Claudius Urseus in Aula Romana Gallorum Orator tunc ea omnia suo Regi significavit: neque hæc ab Hadriano silentio involvuntur. Pontifex vero VI. Cal. Februarias anno 1551. in quodam scripto apud Pallavicinum, quod in multis Bibliothecis adhuc superest, Fani Episcopum in hanc sententiam loqui jussit: *consilium per Mendozam propositum in possessionem Parmæ ac Placentiæ Imperatorem mittendi, quamvis Romanæ Ecclesiæ census solveretur, Duxque Octavius compensaretur, feliciter evenire non posse. Beneficiarium nimis potentem futurum. Jam constare omnibus, quam parvi ac non nisi verbis & inani quadam officii specie ab utriusque Siciliæ Proregibus Pontifices æstimentur. Cardinalium Collegium huic rei nunquam assensurum. Id Romanæ Ecclesiæ dedecori futurum. Principes omnes, atque illos præsertim, quibus in Italiam aliquod jus est, propter illarum urbium situm id ægre laturos*. His Pontifex unius pacis caussa alia addidit, ex Cardinali Pallavicino petenda: quæ tamen omnia eo consilio proposita fuerunt, ut per ea Sedis Apostolicæ jura nullum detrimentum caperent; eademque Apocrisario significata, non quasi Pontifex de proprio imperio tantillum detractum vellet, sed ut pro temporis opportunitate rebus quoquo modo consuleretur, donec ad jura Apostolicæ Sedis evidentius explananda, Deo dante, amplior aditus patefieret. Ex [a] Campana & [b] Bonaventura Angelo discimus, actum etiam fuisse de Philippo II. in utriusque urbis iisdem conditionibus possessionem mittendo. Cæsariani vero, & præ his Granvelanus & Gonzaga, teste Joanne Casa, potissimum laborabant, ut Imperator *falsæ rationis ope ipsorum* *veram*

Riberius tom. 2. p. 315.

Hist. suorum temporum lib. 7. pag. 295.

Lib. m. s. 32. diversorum fol. 250.

Hist. Concilii Tridentini lib. XI. cap. 12.

a) *Vita Philippi II. Par. II. Dec. III. lib. 2. fol. 45.*

b) *Historia Parmæ lib. 6. p. 559.*

LIBER III. *veram injustitiam defenderet*. Ex his omnibus meridiana luce clarius apparet, viros illos Principes summum, verumque in eas civitates Sedis Apostolicæ imperium confessos; nam ii soli, qui absolutum in Principatus imperium exercent, alios in eorumdem possessionem committendi auctoritate fruuntur. Quare satis mirari non possumus nostræ ætatis homines tanta harum rerum oblivione captos, quamquam ubique gentium pervulgatissimæ essent. Mirari amplius subit, CLEMENTIS XI. Pont. Max. edictum, in quo eædem civitates ad Sedem Apostolicam spectare dicuntur, adeo novum atque insolens accidisse, quando Carolus V. & Philippus II. eas dudum beneficiario nomine a Sede Apostolica sibi tradi postulaverant.

XXIII. Octavius Farnesius Gallicum præsidium Parmæ recipit. Ideo, Cæsarianis flagitantibus a Julio III. proscribitur, ac beneficio privatur, quod Pontifex Caroli V. opera Sedi Romanæ recuperare conatur.

Natalis Comes lib. 4. pag. 79.

Scipio Admiratus Hist. Florentina to. 3. lib. 33. pag 486. Ital.

Onuphrius Panvinius in Julio III. pag. 347.

Hadrianus lib. 7. p. 296. —Lib. 8. pag 323.

Rebus ita se habentibus Dux Octavius vehementer timens, ut sine Placentia Parmam contra Gonzagæ insidias, Cæsaris opera Farnesiæ gentis excidium meditantis, diutius tueri posset, se ad resistendum viribus nequaquam instructum, Juliumque Pontificem in suppetiis eidem ferendis lassum animadvertens, conditionibus & pactis a Campana memoratis, in Henrici II. Christianissimi Regis clientelam se tradidit, Gallica præsidia Parmam inducens contra Pontificis voluntatem, quamvis Parmæ restitutione Vexilliferique Sanctæ Romanæ Ecclesiæ munere delato eumdem in *Parmæ*, *Placentiæ*que dominio pariter confirmavisset. Quare Pontifex Carolusque ira inflammati arma contra Octavium ceperunt, uterque Mendozæ Legati artibus ad id excitatus & ab aliis ministris Cæsareis, qui bello accenso, quod Galli pariter Octavio faventes maxime optabant, occupandæ Parmæ desiderio moverentur. Julius Pontifex Cæsarianis instigantibus postquam semel atque iterum Octavium monuisset, ne externas copias in urbem admitteret, neque ullo cum Principe, cum Gallis nempe, fœdus pangeret, litteris publicis tunc universo orbi notissimis Octavium tandem beneficio pul-

V. in fine num. LII. LIII.

LIBER III.

pulsum declaravit. Ad hæc Caroli V. Imperatoris, tanquam *Ecclesiæ Romanæ Advocati*, auxilio implorato, alioquin satis promto ultroque promisso non solum militaris præsidii, sed ducentorum millium argenteorum, ut ex Natali Comite habemus, ad Parmense beneficium recuperandum Gonzagam supremum exercitus ducem creavit, bellico officio Mendozæ etiam delato, quorum uterque ex imperatoriæ aulæ jussibus Pontifici opitulaturus ad Parmæ occupationem adspirabat. Andreas Maurocenus, gravis & accuratus historicus, id munus Gonzagæ delatum hoc pacto explicat: *Cæsar Ferdinandum Gonzagam Parmensis expeditionis*, PONTIFICIS NOMINE *administrandæ, ducem renunciat*. Et paullo post: *ac ne aliam ob caussam, quam Ecclesiæ* COMMODO, *& Italiæ tranquillitate ad eam urbem invadendam impulsus videretur, syngrapha se obstringit*, NULLO UNQUAM TEMPORE *a Pontifice Parmam* REPETITURUM. Joannes Sleidanus testatur, ex aula Cæsaris in Ducem Octavium scripta quædam tunc prodiisse, quibus bellum ei a Pontifice jure illatum demonstraretur: ad quæ scripta ex Galliæ Regis aula responsum prodierit. Sleidanus utriusque libri summam recitat. In altero multa de Petri Aloysii nece falso traduntur. Ex priori colligitur, ut Dux Octavius interimeretur, Gonzagam curasse. Utrinque tamen convenit, Ducatum Parmensem ad supremam Sedis Apostolicæ dominationem spectare: quod in præsenti palam ostendere necesse est. Ut bello finis imponeretur, de Camerino ipsi Duci, & Parma Sedi Apostolicæ restituendis agitatum: quo etiam Rex Galliæ animum intendebat, modo Cæsariani id omne Ecclesiæ Romanæ pariter redderent, quod in Parmensi agro occuparant, ita ut in posterum nunquam ad Cæsarianorum manus ea devenirent. Nonnulla ex Natali Comite hac super re verba huc afferre optimum videtur: *Pontifex interea tribunos militum instruxerat ad Parmam obsidendam, & Ferrandus Gonzaga copias conscribit ad ferenda auxilia,*

Histor. lib. 4. A.D. 1551. pag. 75. 76. edit. 1.

V. in fine num. LIV.

Hist. Venetæ lib. 7. p. 259.

Commentarii lib. 22. in fine.

Maurocenus lib. 7. p. 260.

Hist. lib. 4. A D. 1551. pag. 75. edit. 1.

LIBER III. *solumque Regis* (Galliæ) *responsum expectabatur, a quo petitum fuerat, ut ab ea defensione desisteret, atque poscebatur ab Octavio, ut Gallica præsidia ejiceret. Henricus responsum humanitatis plenum dedit, se putasse illam defensionem in* BENEFICIUM PONTIFICIS *redundaturam, quia si urbs illa fuisset occupata, videbantur uno tempore* & PONTIFICIS & OCTAVII JURA *perire*. Ita Natalis Comes, cui plene omnes ejus ætatis scriptores adstipulantur, de pontificio in Parmæ Ducatum jure verba facientes. Ad hæc Cardinalis Joannes Angelus Medices, postmodum Pius IV. Legatus a latere renunciatus, cui hoc munus commissum Maurocenus testatur, ut pro sua cum Farnesiis cognatione, Parmam se conferens, Octavii animum ad pacem amplectendam alliceret: de qua tamen non solum audire noluit, sed Legatum ipsum in ea urbe morari vetuit. Cetera ab eodem Historico describuntur: unde perspicue habemus, Gallos, Cæsarianosque in omnibus, quæ super ejusmodi controversia agitaverunt, certissimam, verissimamque Pontificis in Parmæ Ducatum potestatem agnovisse: quo præsens opus, quantum quantum est, unice spectat, ut omnibus innotescat, æquum non esse quæ tum cuncti ac præsertim Galli, Cæsarianique agnoverunt ac pro certis habuerunt, hodie non solum in dubium vocari, sed *plena historiarum fide* reclamante, his contraria defendi. Legatus Cardinalis Mediceus una cum pontificiis copiis in Parmensi agro se Ferdinando Gonzagæ adjunxit, cui, expeditionis duci declarato, diploma vexillumque Ecclesiæ insignibus ornatum tradidit, ut habemus ex Hadriano. Natalis Comes Ascanium Corneum a Pontifice ad Octavium missum testatur, eum hortandi caussa, *ut urbem Ecclesiæ restituat, Camerinensemque Principatum securiorem & sine controversia, illi præponat. Supplementum redituum adpromittit quindecim millium nummum annuos proventus. Sic enim factum iri dicebat, ut Regi fieret satis, & Cæsari occasio omnis adi-*

Lib.7.pag.259.

v. in fine num. LV.

Lib. 8. pag. 302.

Lib.4.pag.75.

LIBER III.

adimeretur belli in Italia excitandi. Hactenus Comes, ex cujus verbis intelligimus, tum a Gallis, tum a Cæsarianis probatum, ut Parmensis Ducatus Sanctæ Sedi potius accederet, quam ei detractus ab aliis possideretur. Sed quandoquidem ea omnia, quæ in eo rerum statu a Pontifice, Cæsarianis suadentibus, in Octavium gesta sunt, in diplomate, iisdem quoque impellentibus, contra Ducem vulgato recensentur, integrum illud in appendice una cum aliis collocabimus, ut inde omnes intelligant, quam fuerit illo tempore exploratum, nemine contra sentiente, immo Cæsaris ministris publice approbantibus, Parmam ad Romanam Ecclesiam pertinere. Andreas Maurocenus quæ inter Octavium & Pontificem contigerunt, magna cum fide posterorum memoriæ commendavit, epistolis etiam adductis, quas ante diploma illud Octavius a Pontifice accepit. Præterea hæc addit: Carolus V. *ut certior illius* (Pontificis) *mentem de Parma recuperanda pernosceret, seque ab omni ambiguitate explicaret, per Mendozium legatum copias, pecuniam, vires, & quicquid in se esset*, ULTRO *ad Parmam* RECUPERANDAM *obtulit*. Pontificis edictum hisce verbis pariter commemorat: *Dum hæc aguntur, Julius edictum in Octavium promulgari jubet, quo ni intra mensem Romæ se sistat, in eum anathemate se animadversurum minatur*. Consulantur etiam Hadrianus atque Cormerius. Validiora his argumenta in medium produci nequeunt ad summam Pontificis in *Parmæ Ducatum* potestatem evincendam, dum ipsi Caroli V. ministri, ut Romanæ Ecclesiæ redderetur, & Pontifex supremus dominus in rebellem Octavium animadverteret, omnes conatus adhibuerunt. Interim post variam utriusque partis fortunam Cardinalis Franciscus Turnonius cum Pontifice egit, ut arma utrinque deponerentur: ac deinde III. Cal. Martias anno 1552. capita quædam conscripta sunt, quorum articuli [a] ab Angelo recitantur. Itaque Pontifex ab incepto destitit, quo non spon-

V. in fine num. LII.

1552.

Histor. Ven. lib. 7. p. 257. 259. A. D. 1551.

Hist. suorum temporum lib. 7. pag. 269.

Res gestæ Henr. II. lib 2. fol. 54.

a) *Historia Parmæ lib. 6. pag. 538. Ital.*

ſponte ſua, ſed Mendozæ artibus conjectus fuerat, ut ejus ætatis [a] ſcriptores narrant, ac præcipue Poeta Italicus, qui carmine ſimplici quidem, ſed veridico *Bellum* illud *Parmenſe* complexus eſt, in ſeptem Cantus opere diſtributo, quod Parmæ per Sethum Viottum anno 1552. in forma octava iterum prodiit. De Didaco Mendoza in principio habentur hæc carmina, quæ nos latine reddere conati ſumus:

Poſtquam verſutus, duplex, juxtaque ſceleſtus
Ac quivis alius noſtra hac ætate, doloſo
Pontificis mentem decepit Didacus aſtu.

Quæ ſtatim ſequuntur miſſa facimus, ubi eum comparat cum Ferdinando Gonzaga. De Didaco Dominicus Molinus Senator Venetus in epiſtola ad Joannem [b] Meurſium & Spinellus Bencius in Montis Politiani Hiſtoria [c] parum honorifice ſcribunt. Memoratus Poeta prope libri finem de pace locutus hæc habet, [d]

. . . . *Viſi lætarier omnes*
Præter Mendozam, qui magnum in corde dolorem
Atque iram palma ſtricta patefecit utraque.
Ut Phineus ardens moto pro conjuge bello
Vertitur in ſaxum conſpecto Gorgonis ore;
Sic poſtquam pacem audivit Mendoza ſtatutam,
Lividus excrucians ſe animo, fruſtraque malignis
Artibus inſtructus, multoque angore ſubactus,
Pectore cor tumidum amiſit, ſine ſenſibus hærens.

Poſt hæc Poeta hiſtoricus mutuæ pacis capita utrinque ſtabilita recitare pergit: quibus peractis Dux Farneſius nihil amplius de bello cogitans, alio mentem convertit.

Diſſi-

a) *Campana Par.* II. *Dec* III, *lib.* III *fol.* 52. — *Lib.* IV *fol.* 72. *p.* 2.

Andreas Maurocenus lib. 7. *pag.* 257.

Lucæ Contilis Hiſtoria rerum geſtarum a Cæſare Maggio fol. 185. *pag.* 2. *Ital.*

Ludovici Guicciardini commentarii lib. 2. *p.* 99. *Ital.*

Sandovalius in Vita Caroli V. 10. 2*p.* 698. *Hiſp.*

Thomas Cormerius de rebus geſtis Henrici II. *lib.* 2. *pag.* 54.

b) *Marquardi Gudii Epiſtolæ pag.* 131.

c) *Lib.* 5. *pag.* 108. *edit.* II. *Ital.*

d) *Cantus* 2. *ſtr.* 4.

Cantus 7. *ſtr.* 39.

LIBER III.

XXIV.

Marcelli II. sententia de Placentiæ recuperatione: quæ ex Caroli V. Testamento a Duce Octavio recepta, Sedi Apostolicæ restituitur.

1555.

Dissidiis inter Octavium & Sedem Apostolicam undequaque compositis anno 1555. Julius III. e vivis eripitur, cujus locum implevit Marcellus II. vir omni laude cumulatus ab iis etiam, qui in Ecclesiam Romanam infensum animum prodiderunt. Hanc tamen ille, *nostris peccatis sic exigentibus*, ut venerabilis Cardinalis Josephi Mariæ Thomasii verbis utar, dies tantum XXII. administravit. Hic præstantissimus Pontifex, quod ad dissensiones inter Gallos ac Cæsarianos attinuit, se in tota vita neutram partem secuturum declaravit, nunquamque ab hoc proposito discessurum, nisi in una re *Placentina*: cujus caussa vel præ dolore vita omnino excessisset, vel sibi reddendam curasset, ne hac civitate Ecclesiam diutius privatam videret. Sic anno 1555. X. Cal. Majas Claudius de Villandry in urbe legatus Gallicus ad Regem Henricum II. scripsit. Sed Carolus anno ante, quasi justis Marcelli votis obtemperans, in supremis tabulis *Placentiam* Romanæ Ecclesiæ restitui mandaverat: idque insequenti anno 1556. perfectum est, ut postea dicemus, ipsam Cæsarei testamenti partem vulgantes, in qua Carolus Philippo filio eandem restitutionem injungit. In Marcelli II. locum Paullo IV. interea suffecto anno 1556. Farnesius de amicitia Gallica deserenda, cujus promissa deerant, serio cogitavit, maxime Horatio fratre extincto, & Gonzaga, acerrimo Farnesii nominis hoste, Mediolanensi regimine expulso. Quare Octavius Dux Joannis Cardinalis Moroni opera in Regis Catholici fidem confugit quo sibi facilius *Placentia* redderetur, ut postea Caroli V. supremæ voluntatis executione suscepta, felicissime contigit. Porro Hieronymi Corrigiensis Romanæ Ecclesiæ Præsulis & ex comitatu Alexandri Farnesii Cardinalis maxima ingenii facultate ac prudentia Gandavi XV. Cal. Octobres anno 1556. cum primo convenisset, ut Octavio Duci & Sedis Apostolicæ clienti quæ in Parmensi agro occupata fuerant, ac Placentia potissimum, restituerentur, mox Car-

Riberius to. 2. pag. 608.

1556.

Paruta lib. 12. pag. 579. 580.

Hadrianus lib. 14. p. 532. 535.

Hist. Pallavicini lib. 13. cap. 20 §. 11. edit. 2.

Natalis Comes lib. 9. pag. 206.

Commentarii Ludovici Guicciardini lib. 3. pag. 153.

Campana Vita Philippi II. par. II. lib. 8. fol. 142. pag. 2.

Cardinalis Christophorus Madrutius Mediolani præses Octavium in Placentiæ possessionem misit, arce Regi servata, *suis tamen Sedi Apostolicæ salvis juribus*, ut ex quibusdam occultis documentis & syngraphis hac de re firmatis percipi traditur: quæ etiam sine illa reservatione nullum per se probe cognitis Sedis Apostolicæ juribus detrimentum inferre potuissent. Hæc *restitutio* in libro Ducis Raynutii II. Leopoldo Imperatori inscripto, sic indicatur: *post novem annos a proditione Comitis Augustini* (contra Petrum Aloysium) *tandem domino Duci Octavio, filio Ducis Petri Aloysii* RESTITUTUM *fuit*, JUSTITIA *sic exigente*, *dominium Placentiæ anno* 1556. Initio autem libri hæc leguntur: RESTITUITUR *civitas Placentiæ Domino Duci Octavio Farnesio, filio præfati Domini Petri Aloysii, a Comite Augustino trucidati*. Postmodum vero duodeviginti annis transactis, anno scilicet 1584. arx pariter Octavio, ut primario Sedis Apostolicæ clienti, *restituta* fuit, dum Alexander Octavii filius, Campana testante, nunquam assentiri voluit, ut ob sua tantum erga Philippum II. merita Octavio patri arx ipsa concederetur. Sed magno animo, illoque vere digno, qui se uni Romanæ Ecclesiæ parere profitebatur, semper institit, ut ex caussa debitæ *restitutionis* Octavio traderetur, quomodo reapse tradita fuit regio diplomate, quod Pompejus Torellus, Campana referente, ad Terræ novæ Ducem Mediolani moderatorem tulit, ut nempe hoc pacto Caroli V. voluntas impleretur. Hinc Musæi, Auctorisque Mediolanensis fallaciæ nudantur, quorum alter nobis credendum obtrudit, Philippum II. *contemplatione Margaritæ suæ sororis Placentiam* Octavio restituisse; alter id factum narrat de arce, *immortalibus Alexandri meritis*: quæ præterquamquod à vero prorsus abhorrent, Caroli V. dignitati maxime obsunt, quem accepimus conscientiæ stimulis vehementer incitatum, in suo Testamento longe aliter omnia imperavisse, ut uberius dicemus. Exploratum enim

Remonstr. §. LXXVII.

Hist. Mundi to. 2. *lib.* 6. *pag.* 204. *edit.* II. *Venetæ* 1607. *apud Iunctas, Ital.*

Animadvers. num. 117. §. Si vero.

Commentatio Musæi pag. 12. 231.

LIBER III.

enim compertumque eſt, Farneſiis, tanquam imperio pontificio ſubjectis, & hac in re Sedis Apoſtolicæ miniſtris, uno debitæ *reſtitutionis* titulo Placentiam reſtitutam fuiſſe ob Caroli Teſtamentum, cujus voluntati Philippus II. obſecuturus, neque aliis de cauſſis temere excogitatis, civitatemOctavio reſtituit. Quare documenta, quæ ſecus loquuntur, licet vera eſſent, neque pravis artibus omnino confiĉta, hæc ipſa multis rationibus, & maxime iis, quas mox recenſebo, nullum Eccleſiæ Romanæ damnum afferre ullo unquam tempore potuiſſent aut poſſent.

1. Quia hæc acta non *publica*, ſed *clandeſtina & occulta* fuerunt, utpote quæ ipſi Carolo V. & Philippo II. omnino adverſarentur, qui patris voluntatem religioſe exequi debuit. Quare homo Hiſpanus Antonius de Herrera, inſignis Chronicorum ſcriptor, ea pariter acta pro clandeſtinis habet; & in ipſis jura *Sedis Apoſtolicæ* nihilominus ſervata fuerunt: quæ quidem Sedes cum vera ac ſuprema Placentiæ domina eſſet, ſummum ejus amplumque dominium ſervatum eſt, & quodvis aliud jus ad ipſam ſpectans, quemadmodum Juriſconſulti definiunt, interque hos clariſſimus Oldradus Laudenſis, Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, & Palatii Apoſtolici cauſſarum auditor Joanne XXII. Pontifice, qui hanc in rem ita decernit: *ex generali regula privilegia ſeu Principum beneficia jus alienum non exhauriunt.*

Commentarii de Geſtis Hiſpanorum pag. 450. Hiſp.

Oldradus Conſilio CCXXXVII. §. 7.

2. Quamvis etiam in iiſdem actis Sedis Apoſtolicæ jura ſervata non fuiſſent, Dux Octavius beneficiarius per ea nullum illis detrimentum inferre potuiſſet, cum beneficiarius jura domini ſui labefactare non poſſit, neque alios pro dominis reputare. Immo hoc agens, de quovis jure decedit.

3. Memorata documenta, niſi omnino confiĉta fuerunt, quod pro certo habetur, *ſecreta* & *clandeſtina* ſaltem fuerunt, ut Sedis Apoſtolicæ ſcientiam effugerent: quod etiam adverſarii noſtri fatentur. Hinc nul-

LIBER III. nullus scriptor æqualis de his meminit, ac ne illi quidem, qui de Placentiæ *restitutionis* actu speciatim loquuntur. Hoc amplius, res ipsa cum Philippo II. Hispaniarum Rege & Mediolanensi Duce transacta fuisset, ad quem nullum jus in *Parmam* ac *Placentiam* referri poterat, cum Carolus V. in diplomate, quo ipsi Ducatum Mediolanensem tradidit Bruxellis pridie Idus Decembres anno 1549. quodque postmodum Ferdinandus I. Maximilianus II. ac Rudolphus II. confirmaverunt, jus nullum in eas civitates non suas, sed Romanæ Ecclesiæ, ac nullo modo Mediolanensem Ducatum spectantes, Philippo II. impertitus fuerit, neque impertiri potuerit. Nec Carolus in sua illa abdicatione ac diplomate aliud omnino indicavit, quam *Ducatum Mediolanensem*, ut tum erat, non vero ut quondam fuerat sub Vicecomitibus, per Summos Pontifices *Tyrannorum* appellatione donatis, cum non solum *Parmam* ac *Placentiam*, sed etiam multas alias urbes sibi usurpassent: quas certe ut membra illius Ducatus hoc quoque tempore nemo compos mentis agnoscere audet. Hujusmodi fuerunt Bononia, Perusia, Nuceria, Spoletium, Assisium, Tuder, Interamna, urbes omnes ad Sedem Apostolicam pertinentes. Ad hæc in Venetorum Principatu non solum Brixia & Bergomum, sed Patavium, Feltria & Bellunum: in Sabaudiæ Ducatu Augusta Taurinorum, Asta, Vercellæ: in Tuscia Senæ & Pisæ: in Liguria Genua & Fivizanum: in locis Imperii Mantua ac Tridentum. Has urbes cum multis aliis etiamsi olim per Vicecomites usurpatas, non ideo ad Mediolanensem Ducatum pertinuisse, sigillatim patefactum est ab universa societate familiæ Marchionum de Malaspinis in litteris publicis IV. Idus Junias anno 1605. ad Italiæ Principes missis, & a Jacobo Augusto Thuano summatim expressis. Et sane nunquam legimus, Deum ipsum verbis illis *huc usque ponam fines tuos*, Ducatus Mediolanensis terminos descripsisse, ut olim terram Ebræis

Histor. tom. 5. lib. 134. pag. 1179.

Ebræis promissam descripsit, adeo ut Ducatus ille nunquam aliis tradi, nec dividi potuerit: quod postea de rebus in honorem Apostolorum Principis Deo summa religione oblatis dici posse negant. Hoc verum & decretorium est, in diplomate, quo Carolus V. Philippum II. filium suum in Ducatus Mediolanensis possessionem misit, sola hæc verba præcipue consideranda, ubi exprimit *Statum & dominium Mediolani, ac Comitatum Papiæ & Angleriæ*. Quare Musæus mendacii convincitur ubi tradit, *Parmam* ac *Placentiam* eo diplomate contineri. Scriptor Mediolanensis longius progreditur cum nobis persuadere conatur, Caroli V. ejusque successorum diplomata referri *ad antiquam erectionem Ducatus Mediolani, & Investituram concessam Joanni Galeatio Vicecomiti*. Sed non ita est, Caussidice. Diploma enim Vicecomiti concessum effectu suo caruit, abrogatumque fuit per Germaniæ VII. Viros, Imperioque dejectus Wenceslaus, qui illud concesserat. Præterquamquod eo diplomate civitates, regionesque minime comprehensæ, quæ ante illud tempus ad Mediolanensem Principatum jure pertinuissent; sed quæ hinc illinc variis temporibus præpotenti Vicecomitum tyrannide usurpatæ fuerant: idemque Wenceslai diploma, quod etiam Constantiensi Concilio abrogatum intelligeretur, utpote Sedis Apostolicæ urbes complectens, Carolus V. nihili fecit, neque illud ullo pacto memoravit.

Comment. p. 2.

Animadvers. ante num. 131. §. Illa autem.

4. Carolus in Philippum II. Regem jura majora, quam quæ ille ipse habuit, traducere nunquam potuit. Quare cum Carolus violenter *Placentiam* possideret, nullum hinc ad occupatorem jus obveniebat: cumque optime constaret Placentiam ad neminem, præterquam ad Apostolicam Sedem pertinere, idem Carolus ejusmodi possessionem cum omni suo vitio in Philippum transmisisset: qui propterea nullum jus verum, ut Mediolani Dux, sibi inde comparasset. Si autem Philippo in Placentiam nullum jus fuit extra proditionem,

LIBER III. ac spoliationem, palam fit, Ducem Octavium in Placentiæ possessionem ab eo mitti non potuisse, quæ nullo pacto ad Philippum attinebat, quamque Octavius ante Caroli mortem Sedis Apostolicæ nomine restitutam acceperat. Quod cum ita se habeat, licet non falsa, neque occulta, sed vera etiam & publica documenta illa essent, nulla unquam legitima auctoritate valerent.

5. Tandem ejusmodi *clandestinæ*, *occultæ*que conventiones inter Philippum & Octavium, quæ citra Caroli V. ac Philippi II. injuriam defendi non possunt, licet revera intercessissent (quod tamen pro certo haberi nequit, cum omnes contra sentiant) irritæ, nullaque vi præditæ essent, nullumque Sedi Apostolicæ damnum inferrent; tunc enim Placentia Octavio *donata* non fuit, sed per eum Sedi Apostolicæ restituta, cujus erat Octavius hac in re minister & beneficiarius. Idque nulla alia ratione executioni mandatum, nisi ex meræ, debitæque *restitutionis* caussa propter Caroli V. Testamentum Bruxellis biennio ante confectum, nempe VIII. Idus Junias anno 1554. integrumque a Prudentio Sandovalio Philippi III. Historico, & primum Tudensi, postea Pampelonensi Episcopo vulgatum in Caroli V. Vita, Vallisoleti, deinde Pampelonæ, tum etiam Antuerpiæ typis expressa: in quo Testamento Carolus fatetur, testatur, atque declarat, se a tempore cædis Petri Aloysii Placentiam, tamquam deposito sibi concreditam, tenuisse, donec neque ad Imperium, neque ad Mediolanensem Ducatum jure eam pertinere definiretur. Pontificem Paullum III. per suos Apocrisarios a Carolo petiisse, ut Sedis Apostolicæ nomine Duci Octavio & Margaritæ uxori Caroli filiæ ac eorum successoribus possidenda restitueretur, quomodo Petrus Aloysius eam possederat diplomate accepto ab Ecclesia Romana, Placentiæ Domina. Id tamen non absolutum, quia juribus Sedis Apostolicæ perpensis, eadem civitas de Principatu Mediolanensi a Cæ-

1554.

Vita Caroli V. tom. 2. p. 875. ed. t. 2. Hisp.

a Cæsarianis jurisperitis habita fuerat. Verum cum hæc Jurisperitorum sententia sibi parum admodum satisfaceret, Carolus multis quidem de caussis, quæ ab ipso prætermittuntur, sed quæ ab unoquoque facile detegi possunt, rem claudit, Philippo II. imperans, ut, mortis suæ tempore hac controversia non omnino diremta, statim dirimendam curet: Placentiaque neque ad Imperium, neque ad Ducatum Mediolanensem pertinere comperta, illam uni Romanæ Ecclesiæ, ejusve ministris, *non vero aliis, quamvis secum sanguine junctis* (idest Octavio Farnesio) restituat. Carolini Testamenti verba talis tantique momenti sunt, ut ea latine translata e regione contextus Hispanici vulgare decreverim, commodius ab omnibus perpendenda; quandoquidem nunquam antea pro Sede Apostolica perpensa fuerunt. Immo ejus hostes per summam, nulloque modo ferendam malitiam ea prorsus dissimulaverunt, quo commenta ab se excogitata eo facilius venditarent contra eamdem Sedem, juxta ac contra decus & gloriam Caroli V. & Philippi II. qui caussa cognita, illius celeberrimæ restitutionis publice factæ auctores fuerunt.

LIBER III.

Suprema CAROLI V. Imperatoris voluntas Testamento declarata, ubi filio suo Regi Catholico Philippo II. imperat, ut uni Ecclesiæ Romanæ, non aliis, Placentiam restituat.

I.
Contextus Hispanicus.

POR DESCARGO de nuestra conciencia, y porque no es, ni a sido nuestra intencion, ni voluntad, que por nos ni de los que de nos vuieren titulo y causa, sea retenida cosa alguna sin justo titulo, y dessẽãdo que en esto de PLASENCIA se ACLARE LA VERDAD, y se haga lo que fuere servido y justicia, ordenamos y mandamos y aussi afetuosamente lo encargamos al dicho Serenissimo Principe Don Felipe nuestro hijo, que si al tiempo de nuestro fallecimiento no estuviere determinado y dado assiento a lo que toca a la Ciudad de PLASENCIA y sus pertenencias, que con la MAYOR BEVEDAD que ser pueda se averigue, determine y declare lo que

II.
Versio Latina.

N*E ullius criminis* CONSCIENTIAM *nostram* REAM *faciamus, & quia nunquam volumus, nec voluimus, ut per nos, aut per alios nostro nomine sine optimo jure quidvis detineatur, optantes in iis, quæ ad rem* PLACENTINAM *pertinent*, VERITATEM ELUCERE, *idque fieri, quod æquum & justum videbitur, præcipimus, jubemus, & quam amantissime possumus, Serenissimo Principi Philippo filio nostro imperamus, ut si nostræ mortis tempore quod ad civitatem* PLACENTIAM *attinet, nondum absolutum, nec executioni mandatum esset, quæ de illa jure agenda erunt,* QUAM BREVISSIME *significentur, constituantur ac declarentur: sique compertum*

I.	II.
Contextus Hispanicus.	Versio Latina.
que se deve hazer de JUSTICIA, y siendo conforme a ello determinado, que nos no la podemos retener, ni dexar a nuestros successores, ni pertenecer al dicho Estado de Milã, se haga luego della RESTITUCION llanamẽte a la IGLESIA ROMANA y SUS MINISTROS EN SU NOMBRE, y NO A OTRA PERSONA PARTICULAR ALGUNA, POR CONJUNTA QUE SEA A NOS, aviẽdo en esto el recaudo, que cõviene cõ la solenidad, que se requere. Y porque algunas personas devotas y aficionadas al Imperio an PROCURADO e INSISTIDO en que nos QUEDASSEMOS con la dicha Ciudad, como MIEMBRO del dicho ESTADO de Milan, y haziendose la dicha RESTITUCION podria ser que fuessen mal tratadas, encargamos al Serenissimo Principe nuestro hijo, que haga tener la mano para que las tales personas sean seguras de no ser molestadas ni injuriadas por tal causa y razon.	*tum fuerit, eam civitatem a nobis detineri non posse, neque ad successores nostros transmitti, neque ad Ducatum Mediolanensem pertinere, ea* ROMANÆ ECCLESIÆ & EJUS MINISTRIS PONTIFICIO NOMINE, *nec* ULLI ALII, *licet* NOBISCUM *sanguine* JUNCTO, RESTITUATUR, *servatis de more servandis. Et quoniam fieri posset, ut nonnulli erga Imperium bene affecti, qui eamdem urbem, tamquam* DUCATUS MEDIOLANENSIS MEMBRUM, *a nobis* DETINENDAM *impense* CURARUNT, *peractam* RESTITUTIONEM *ægerrime ferrent, Serenissimo Principi filio nostro id onus injungimus, ut diligenter provideat, ne quid molestiæ, injuriæque tales homines ullo pacto hac de causa capiant.*

Ex

LIBER III.

XXV.

Animadversiones in Placentinam restitutionem Duci Octavio Sedis Apostolicæ nomine factam.

Ex his gravissimis verbis, a Carolo V. cum se ad mortem obeundam instrueret, pronunciatis, liquido patet, cum optime novisse, Placentiam ab se detineri non posse, neque illam sine iujuria Apostolicæ Sedis in filii possessionem transmittere. Pontificia jura antea, ut par erat, non fuisse perpensa; alias filio tam impense non imperasset, ut rem attente excutiendam curaret. Cum enim Philippo imperasset, ne urbem *ulli*, *quamvis secum sanguine junctio*, restitueret, (de Octavio genero suo & Philippi sororio intelligens) si forte eam ad Sedem Apostolicam non spectare comperiretur, hinc evidentissime consequi videmus, Philippum II. nec boni filii, nec cauti Regis officio functurum, ubi jussa patris executurus Placentiam Romanæ Ecclesiæ ablatam Octavio beneficii loco possidendam dedisset; quandoquidem si juris pontificii non fuisset, ad jus Cæsareum spectasset: neque ullo pacto in Octavium transferri, sed cum reliquo Ducatu Mediolanensi conjungi debuisset, ut jussa Caroli fideliter implerentur, tunc recens tam anxie ac perspicue Philippo filio injuncta, ne illa urbs *ulli*, præterquam aut *Imperio*, aut *Apostolicæ Sedi*, omnino redderetur. Neque Philippus credendus est ex Ducatu Mediolanensi urbem tanti momenti contra res suas ac patris voluntatem detrahere statim voluisse, quando nimirum, omnibus probe examinatis, Placentiam ad Ecclesiam non pertinere compertum fuisset. Certe absque Philippi II. dedecore dici nequit, ipsum patri adhuc superstiti, qui biennio serius, nempe XI. Cal. Octobres anno 1558. e vita discessit, tantam injuriam inferre voluisse. Carolus etiam paullo ante præceperat, ut in Placentia restituenda securitati Placentinorum consuleretur, qui Ferdinando Gonzagæ in eadem urbe occupanda auxilium præstiterant. His autem Philippus revera consuluit per certa capita inter eum & Octavium inita, quæ Principum Epistolis inserta leguntur, ubi iterum atque iterum statuitur, non quidem

Principum Epistolæ tom. 2. p. 388. Ital.

dem de *donanda* Placentia Duci Octavio, illoque in ejus *possessionem* per diploma *inducendo*, sed de *restituenda* eadem urbe una cum agri Parmensis parte, quam Gonzaga pridem invaserat. Hoc dicendi genus unius Sedis Apostolicæ caussa usurpatum est. Traditio enim illius urbis, *restitutionis* nomine appellari non potuisset, si tum primum Octavius per diploma in ejusdem possessionem, tanquam ad Mediolani Ducatum, non vero ad Ecclesiam, pertinentis, a Philippo II. missus fuisset. Hinc Joannes Baptista Cinus in Vita Cosmæ I. Magni Etruriæ Ducis, qui aliquam huic *restitutioni* perficiendæ operam impendit, rem ipsam hisce verbis latine redditis commemoravit: *hoc tempore gens tota Farnesiorum ex Galliæ amicitia recessit*, REDDITA *sibi* PLACENTIA *una cum omnibus proventibus, quos Cæsariani ab initio eidem* SUSPENDERANT. Vox Italica *suspendere*, sive *ancipitem* & *dubium tenere* vel *differre*, cetera confirmat atque explicat. Aldus Manutius junior (qui ut obiter illud dicam, etiam *Mannuccius* & *Manuccius* dici voluit) in Cosmæ Magni Ducis Vita, unis hujus Principis artibus *restitutionem* jam dictam tribuere videtur, cum ea Carolino Testamento, quod Manutius ceterique omnes priusquam a Sandovalio vulgaretur, ignoraverunt, potissimum tribui debeat. Si vero etiam cum illa restitutio perficeretur, per *capita clandestina* & *occulta*, ut post tot annos obtrusum audivimus, aliter in tenebris constitutum fuisset, ea propter rationes satis superque hactenus patefactas, nullam vim in se haberent, qua Sedi Apostolicæ detrimentum afferrent.

LIBER III.

Vita Cosmæ I. lib. 6. pag. 387. ital.

Vita Cosmæ I. pag. 134.

XXVI.

Restitutio Placentiæ Sedi Apostolicæ amplissime, atque hujus nomine Duci Octavio facta, justissima fuit.

Quamvis maxime consideranda sit calamitas illa, ob quam nec in Hispania, nec Mediolani horum *clandestinorum*, *occultorumque* capitum optatissima autographa ostendi possunt, in quibus tradatur, Octavio *beneficii nomine* Placentiam fuisse adsignatam; nihilominus in promptu est excusatio, quandoquidem

ut

ut Gandavensium autographorum deploranda jactura adstruatur, boni homines comminiscuntur, hæc ipsa in Oceano cum Augustalibus scriniis periisse, Carolo V. inde in Hispanias navigante. Sed fabulam parum feliciter contextam esse, anachronismus demonstrat. Carolus enim postquam se Imperio atque omni sua ditione abdicasset, in Hispaniam quidem navigavit, sed *novem* circiter *menses* ante illud tempus, quo hæ tantopere jactatæ *clandestinæ* pactiones statutæ dicuntur, quemadmodum unicuique inspicere fas est apud [a] Sandovalium, qui illud Caroli iter diligentissime enarrat. His vero [b] Thuanus & [c] Conringius refelluntur, qui, sicut alia mendacia alia trahunt; Placentinæ *restitutionis*, Octavio factæ, non *Philippum* II. sed *Carolum* auctorem dicunt: quod quidem, nisi aliud incommodum accederet, parvi admodum interesset; quandoquidem si Carolus ipse Placentiam non restituit, hæc saltem Caroli jussu restituta est. Hoc vero illud est, quod nullo pacto ferre possumus, Couringium videlicet hæc de suo audacter addere, quasi Carolus restitutionem hisce verbis clausisset: *manerent Imperio salvæ rationes, quas in Parmensi ditione habet*. Sic nimirum ejusmodi homines turpe non putant, ubi vera non suppetunt, falsa confingere. Sed illa capita innumeris de caussis irrita ac nulla plane essent, quamvis revera etiam eorum autographa ex Oceano foras educerentur; nisi tamen & illud vellemus, ut ob caussas, nobis absconditas, inscio & inconsulto vero & summo Principe, cuique liceret in locorum possessionem clam mittere & mitti: quæ si juste fieri concedantur, facile consequetur, ut in non sua loca quilibet furtim immittatur, aliosque immittere possit; unde quivis legitimus ac verus Princeps de quocunque suo jure & ditione facillime dimicabit. Quia vero inter Philippum II. & Octavium convenit, ut præter *Placentiam*, alia etiam loca, & præcipue *Novaria* cum toto agro in

a) *Vita Caroli V. tom. 2. pag. 819. 820. Hisp.*

b) *Hist. lib. 7. p. 116 edit. an. 1626.*

c) *De Finibus Imperii lib. 2. cap. 23. §. 23. p. 525.*

LIBER III.

in Ducatu Mediolanensi posita, Farnesio restitueretur, addita etiam ditione, quam olim in Sicilia cis *Hadrianus lib.14. pag. 533.* Pharum possederat, non negamus, nostrique minimi interest, quidquid de his idem Farnesius per capita *Angelus Histor. Parmæ lib.6. pag.594.* constituerit, dummodo Romanæ Ecclesiæ beneficia cum alienis non permisceantur. Carolus V. Paullo III. Pontifici *Novariam*, liberi *Marchionatus* honore Petro Aloysio tradendam, vendiderat, qui, ut summus Princeps, *jura majestatis* & cudendæ monetæ ibi exercebat. Hæc Joannes Sleidanus in Commentariis, & *L.22. prope finem.* Carolus a Basilica Petri Novariensis Episcopus posterorum *Novaria lib.2 pag. 566.* memoriæ commendarunt. Illud pro verissimo habendum, Bruxellensis Aulæ Catholicæ proceres & ministros, Carolinis tabulis clam tunc habitis, Placentiæ *restitutionem* licitari voluisse. Ut enim Farnesiam gentem, quæ Paulli IV. Pontificis, Hispanis nequaquam benevoli, ac Gallorum, tum Pontifici studentium, gratia parum florebat, ad suas partes traherent, ejus reconciliatam amicitiam, Cardinali Joanne Morono *Hist.Pallavicini lib 13. cap. 20. §. 10. 11. 12. edit. 2. ital,* potissimum operam dante, libenter admiserunt. Cum tamen eadem Bruxellensis Aula prius significasset, se *ad tempus* Placentiam Duci Octavio concessuram, donec æqua compensatio proponeretur, postmodum permutationis specie *Senas* obtulit. Tandem vero post sanguinolentam novem annorum expoliationem, violentamque occupationem, atque ut id Raynutii II. ad Imperatorem Leopoldum iterato di- *Remonstratio §. CLII. & CLIV.* cendi genere explicem, *durante violento hoc & cruento spolio;* tandem, inquam, duorum Cardinalium, Moroni, Madrutiique opera factum est, ut celeberrima *Lib.9. pag 201. edit.I.* pompa, a Natali Comite descripta, totique Italiæ nota, palam deveniretur ad absolutam *restitutionem* Placentiæ una cum omni ejus ditione ac Parmensis *1556.* agri parte, quæ in Cæsarianorum potestatem transierat, Hispanis ipsis Placentiæ arce relicta, Ducis tamen sumtibus custodienda, & conditione pariter injuncta, ut in Regis Catholici Aulam educandus migraret Alexan-

LIBER III. xander Octavii filius & Margaritæ Philippi II. sororis : quæ paullo post Belgii moderatrix renunciata est , Hieronymo Corrigiensi , qui prudentia sua Placentinæ *restitutionis* negocium ad finem perduxit , triennio serius pridie Cal. Februarias anno 1560. per Pontificem Pium IV. in amplissimum Purpuratorum ordinem cooptato. Cosmas etiam Mediceus hac in re operam suam collocavit , non quidem ullo in Farnesiam gentem amore ductus , sed timore , ne *Senæ* una cum agro universo , ex prima Aulæ Catholicæ propositione , ab Hispanis permutationis specie reipsa Farnesiis traderentur , cum ipse Cosmas sibi tunc a Philippo II. Senarum dominium quæreret : quod etiam anno insequenti 1557. XVI. Cal. Apriles obtinuit . Hoc ipso anno 1557. Octavius *Placentiæ* possessioni postliminio restitutus in ærarium Apostolicum *novem millia ducatorum ex auro* rursus inferre cœpit ; qui census annuus Paulli III. diplomate ab initio utrique civitati impositus , per Farnesios totus hactenus solvitur , cum Octavius Placentia spoliatus dimidium *census* , solos nempe *quatuor mille & quingentos ducatos* , ut dictum est, Fisco pontificio solvisset . Ex eventuum adeo inter se implicatorum serie probe intelligimus, ipsos æquales Scriptores sæpe rerum summam quam levissime tangere , curam posteris relinquentes in occultas negociorum caussas penetrandi sanæ critices ductu , atque ope monumentorum , quæ post extinctas dissidiorum flammas in lucem prodire solent : cujusmodi in re nostra profecto est maxime insigne & auro contra æstimandum Caroli V. Testamentum . Huic *Placentinæ restitutioni* , Christiano Principe & Carolo V. vere dignæ , quanquam omnium Sedis Apostolicæ jurium accessit absoluta cognitio ; nihilominus Auctor Mediolanensis , ut suis nugis & mendaciis colorem addat , laudatissimum Caroli V. facinus improbare audet , qui , ut vidimus , ne ullius *criminis conscientiam suam ream faceret* , *se ad eamdem restitutionem* Phi-

Hadrian. lib.14. p.569.

1557.

Animadvers. num. 117. §. Si vero.

Philippo II. imperandam deveniſſe teſtatus eſt. Etenim ſcriptor ille hæc pronunciare non dubitat: *Rex Hiſpaniarum, Dux Mediolani* RESTITUIT *Farneſio Placentiam, ſed non dicitur quo titulo*. Scilicet *titulus reſtitutionis, & ne* Carolus V. *ullius criminis conſcientiam ſuam ream faceret*, Philippo II. *titulus* fortaſſe non fuit, nec tanti ponderis, ut Adverſario ſatisfaceret: qui paullo poſt, prioris ſuæ ſententiæ oblitus, hæc narrat: Rex Philippus *concedit in feudum honorificum & ligium civitatem Placentiæ, univerſum agrum Placentinum, & partem agri Parmenſis*. Nimirum hujuſmodi auctores in id genus cauſſis ubi vera deſunt, ad mendacia confugiunt: quæ tamen verborum diſcordia facile deteguntur. Is antea ſcripſerat: *non dicitur quo titulo*, quem tandem reperit: *in feudum honorificum & ligium*. Itaque Philippus in Placentiæ *poſſeſſionem* Octavium mittit: & deinde paucis menſibus ab hoc accepto dominii diplomate Octavius non Regem Hiſpaniæ, ſed Pontificem pro ſummo domino agnoſcit, dum eo ipſo die, quo Regis Hiſpaniæ nomine Apoſtolicæ Sedi Romæ tributum ſolvitur, Octavius pariter totum, ut a Paullo III. impoſitum, atque ipſi poſtea confirmatum fuerat, palam Romæ perſolvit. Inſuper jactatum illud diploma, actaque clandeſtina inter Octavium Ducem & Philippum II. ſub Pontifice Paullo IV. ſcripta finguntur: & deinde non ſolum ſub hoc Pontifice, ſed etiam ſub aliis undecim Pontificibus, qui Paullo ſucceſſerunt, id omne ignoratum. Primum enim, Urbano VIII. Eccleſiam moderante, eminus de his actis muſſitari cœptum.

Animadverſ. num. 131. §. In hoc.

XXVII.

Gallia, Farneſii, regiuſque Neapolitanus Senatus ſummum Romanæ Eccleſiæ in Parmam ac Placentiam imperium confitentur ac publice oſtendunt.

Nunc ad alia tranſeamus. Præter *publicum celeberrimumque* tributum, quod Farneſii Principes ex vi primi diplomatis, quo Ducatum illum a Pontifice acceperant, quotannis Romanæ Eccleſiæ hactenus perſolverunt, aliud præterea argumentum ex eo deducitur, quod Paullus IV. a Parmæ Placentiæque Duce, ut Sedis Apoſtolicæ beneficiario, non ſolum cenſum

LIBER III.

1557.

Diaria MSS. Angeli Massarelli,

Besoldus de Ærario publico cap. 5. num. 102. pag. 167. editionis Francofurti an. 1626.

Decisiones Cameræ Imperialis editæ a Gilmanno tom. 2. p. 82.

Riberius tom. 2. p. 708.

1560.

totum acceperit, sed etiam XV. Cal. Junias anno 1557. novem menses tantum post memoratam *restitutionem*, summi Principis auctoritate, publicum vectigal unius pro centenis argenteis redituum ex bonis stabilibus Romanæ Ecclesiæ imperio subjectis capiendum decreverit: inter quæ bona *Castrum*, *Parma*, ac *Placentia* numeratæ fuerunt, quemadmodum in Diariis ubique notissimis, licet nondum vulgatis, Angeli Massarelli, Concilii Tridentini a secretis, manifeste legitur. Hoc vero nec Dux Octavius, nec Hispaniæ Rex æquo animo unquam tulissent, si reapse amplissima illarum urbium, ac præsertim *Placentiæ*, dominatio, non ad Sedem Apostolicam, sed potius ad Imperium aut Regem ipsum, tanquam Mediolani Ducem, pertinuisset, cum illud jam omnibus constet, unos summos Principes subjectis sibi populis *collectas* imponere *ratione bonorum, quæ in territorio Domini possident*. Hoc docent Cæsarei Germanique Jurisconsulti, apud quos *mandatis paruisse & collectas solvisse*, subjectorum hominum sortem verissime certissimeque significant: & *tributorum præstatio* indicat *subjectionem*. Dumque *collectæ* sive tributo a Paullo IV. imperato nemo unus reclamavit, supremum illarum civitatum Principem nullum alium, quam Pontificem, illud imperantem, habitum dubitari nequit. Eodem anno 1557. cum Octavius de bello in Ducem Ferrariæ parando consilium iniisset, Dominus de Selüa Galliarum Regis Legatus apud Apostolicam Sedem, omnem lapidem movit, ut Paullus IV. Octavium suo imperio subjectum per edictum publicum ab eo consilio removeret, nisi contumaciæ nota affici, deque suo Ducatu decedere, omnique ditione spoliari vellet. Id in ejusdem Legati ad Henricum II. Christianissimum Regem epistola cernere licet. Hæc omnia iis corroborantur, quæ anno 1560. evenerunt. Cum Fridericus ex Comitibus Borromæis Pio IV. Pontifici sanguine junctus Virginiam Urbini Ducis & Juliæ Varanæ filiam

in

LIBER III.

in matrimonium duxisset, uxoris caussa hereditatem Joannis Mariæ Camerini Ducis, Virginiæ avi materni, sibi dandam esse contendit. Quare Pontificis opera Camerinum, ad Octavium Farnesium olim spectans, & postea, ut antea diximus, cum Parma ac Placentia commutatum, sibi recuperare constituit: ex quo fiebat, ut in Virginiæ conjugisque potestatem Camerinum concedere deberet. Camerino præterea in Borromæi dominationem traducto, pactisque & permutatione Farnesiorum cum Apostolica Sede rescissis ob Camerinum Pontificatui ablatum, hoc inde consequebatur, ut Parma & Placentia ad Sanctæ Sedis jura redirent. Caussa ergo ad Romanum Rotæ judicium legitime tracta, Octavius Dux, qui in Belgio tunc morabatur, Romam convolavit, ubi non solum ipsas dominii earumdem civitatum tabulas, a Paullo III. acceptas in luce hominum posuit, sed alias quoque, ubi id per Julium III. & Paullum IV. Pontifices firmabatur: cumque rationes suas demonstraret, res tandem eo perducta est, ut Borromæo e vivis erepto, omnis plane controversia obmutuerit. In hac caussa, Farnesiæ genti molestissima & gravissima, ut discimus ex Campana, Dux contra Apostolicam Sedem Philippi II. diplomata, Caussidici & vulgi sermone jactata, neutiquam protulit: quæ si aderant, Octavius adducere debuit, ut statim omni se molestia liberaret. Porro neque Catholicus Rex, neque Imperator in re tam publica tantique momenti jura sua in eas civitates proposuerunt. Octavius ad sacræ Rotæ tribunal, ut se tueretur, sola pontificia diplomata sistere voluit: quod quidem argumento est atque omnibus documento certissimo, summam, amplamque earumdem urbium potestatem ad unum Pontificem pertinere. His, quibus Romanæ Ecclesiæ absoluta in Parmæ. Placentiæque ducatum dominatio evidenter adstruitur, Hispaniæ Rege atque Imperatore ex eadem omnino rejectis, æqualia statim acce-

Vita Philippi II. Dec. IV. lib. XII. pag. 88. 89.

LIBER III. cedunt, quæ Octavio Farnesio contigerunt. Is anno 1578. supremo Gregorii XIII. jussu per litteras ad hoc quamcelerrime ad se allatas, possessionem inivit loci, qui a Valle secus flumen Tarum inter Bercetum, montemque Bardonis posita, nomen accipiens, *Burgus Vallis Tari*, vulgo nuncupatur. Hic locus a Joanne XXIII. Fliscis beneficii loco datus, postea Comitis Joannis Ludovici Flisci morte ad Ducem Petrum Aloysium Farnesium pervenerat, cujus necis tempore opidum Gonzaga ab se occupatum, Lando cædis primario auctori adsignavit. Tum vero Claudio Augustini filio ademptum fuit, quod non secus ac pridem Manfredus frater, in populum magnam tyrannidem exerceret. Dux Raynutius II. *intolerabilem Comitis Claudii sævitiam vocat*. Populus enim Ducis atque Episcopi Placentini opera ad summum Principem suum Romanum Pontificem confugit, ut contra Landum defenderetur, se promptum paratumque declarans, ut Jacobum Boncompagnum Vineolæ Marchionem pro domino agnosceret, dummodo Apostolicæ Sedis consensus ac diploma possessionis accederet. Burgi illius publicatio orta est ex capitalium criminum caussa, quæ Claudius patraverat postquam inter Philippum II. atque Octavium de venia Petri Aloysii parricidis impertienda ex Carolini Testamenti auctoritate statutum fuisset: ac postquam etiam Ferdinandus Gonzaga Mediolani Præses, Placentia occupata, *Burgi* in agro Placentino positi regimen Augustino parricidarum principi, & Bardi, Complanique locorum beneficiario dedisset: quorum caussa, ut Sedi Apostolicæ subjectus, quanquam Petro Aloysio fidelitatis jusjurandum præstiterat, diploma tamen ab Imperatore extorsit, *Principis* nomine etiam donatus. Illud tamen diploma a Carolo extorsit quo tempore *Placentiam* occupabat, quemadmodum anno 1680. Dux Raynutius II. Imperatori Leopoldo significavit. Lando autem illud diploma impetrare, Raynutii senten-

Remonstratio §. CXCII.

Remonstrat. §. LXXXI. CLII. CLIII.

tentia, facillime licuit: *obtinuit quod voluit. Quid enim parte inaudita, nec citata,* NULLO CONTRADICENTE *per importunitatem* EXTORQUERE *non potest* IMPROBITAS? Dux alibi ait: *Comes Augustinus prodito Domino Duce Petro Aloysio Farnesio, cui* FIDELITATEM JURAVERAT, SUBJECTIONIS & OBEDIENTIÆ ACTUS *præstiterat*, EXTORSIT NULLITER *investituram*, NULLITER *inquam, quia ipsi defuit voluntas*, & POTESTAS CONCEDENTIS. *Defectus voluntatis patentissimus est, quæ semper defuisse probatur, quoties aut falsum narratur, aut verum supprimitur Principi*. Verum neque Augustinus, neque ejus posteri a Farnesia gente *Principes* unquam habiti sunt, ne jura Pontificis in beneficiaria opida, quibus ipsi suum Principatum condiderant, ullo pacto læderentur. Hinc Raynutius II. in libro, quem toties memoravimus, hac de caussa Landos uno *Comitum* nomine appellat. Porro Claudius Landus novis suis per Ducem Raynutium recensitis criminibus perduellionem adjecit: quemadmodum enim hominum natura ad malum tendit, atque ex familiis boni pravique sæpe prodeunt, Claudius ipse patris morum hæres factus, ejusdemque vestigiis insistens, anno 1580. contra Octavii Principis sui caput conjuravit. Quamobrem caussa cognita, a magistratibus Placentinis damnatus est: quod Dux Raynutius Imperatori Leopoldo narravit. Hinc Claudius ob pacta, quibus inter Philippum II. & Octavium de venia parricidis danda convenerat, ad Regem Catholicum perfugit, qui rem integram regio Neapolis Senatui dijudicandam commisit; quo tamen Parmæ Dux, quamvis ob aliqua beneficia in Siciliæ regno cis Pharum obtenta, Regi Catholico vere subesset, jubente Pontifice, in judicium venire noluit, quia propter *Vallem Tari* unius Sanctæ Sedis imperio suberat, præterea nemini. Nihilominus in amplissimo Neapolis Senatu re omni discussa, Dux a spectatissimis viris æquum judicium retulit,

Remonstrat. in principio A. D. 1580.

Decisio XXXIII. *p.* 190. 191.

lit, sicut legimus in Decisionibus insignis Jurisconsulti Joannis Francisci de Ponte, qui olim in eodem Senatu *Regentis*, *Decani*, & *Feudistæ* munus implevit. Hæc enim idem auctor testatur: ORDINE *Summi Pontificis ipsum* (Burgum Vallis Tari) Octavius retinebat. Ad hæc: NOTORIUM EST, *Statum Parmæ & Placentiæ* RECOGNOSCERE *a* SEDE APOSTOLICA. *Communis & indubitata juris conclusio est, ad* DOMINUM DIRECTUM *spectare cognitionem causarum inter* SUOS VASSALLOS. Pontifex *per Breve* INHIBUIT, *ne Dux compareat, prætendendo* SUAM ESSE JURISDICTIONEM. *Dux dicit, se* NON ESSE VASSALLUM (Hispaniæ) *in hoc casu* Vallis Tari. Vir præstantissimus alia hæc insuper demonstrat: *Dux*, SEPOSITA CONCESSIONE STATUS PARMÆ & PLACENTIÆ, *est vassallus Regis nostri ratione complurium castrorum & feudorum maximi momenti, quæ possidet in Regno Neapolitano*. Deinde statuit, Ducem *ligium* esse Pontificis. Quare cum Claudius Landus ad Hispaniæ Regem confugerit, tamquam ad auctorem publicæ conventionis cum Octavio initæ de venia Petri Aloysii interfectoribus danda, cumque Dux in illis partibus Pontifici, non Regi Catholico pareat, nihil aliud a Rege, cujuslibet juris experte, præstari posse concludit, quam ut studio pacis, non vero potestate judiciaria, eos ad compromissum faciendum vocet: *quia hæc non procedunt respectu Vallis Tari, postquam vere non est occupatum* (oppidum) *sed* TENETUR ORDINE SUMMI PONTIFICIS: *nec de Burgo*, NEC DE QUALITATE FEUDALI *aliquid est dictum in libello partis*.

Pag. 192. *num.* 10.

Pag. 194. *col.* 2. *num.* 10.

Pag. 195.

XXVIII. Farnesii Duces summum Pontificis imperium in Parmam ac Placentiam ostendunt: idemque per nova Acta in Aula Cæsarea & alibi demonstratur.

Landus tamen ad meliorem frugem non rediit, quamvis se hoc modo rejectum vidisset a justitia Philippi II. qui etiam Præsidi Mediolanensi imperavit, ut ad arcem *Burgi Vallis Tari* recipiendam Octavio opitularetur. Etenim pravis consiliis suis Rudolphi Imperatoris animum corripere tentavit: idemque post eum

eum Fridericus filius in Aula Cæsarea conatus est. Apostolicæ tamen Sedis jura in *Burgum Vallis Tari* Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. acriter defenderunt, donec Rudolphus quoque subdolum Augustini patris, filiique ingenium cognovit. De priori jam verba fecimus, deque altero ad Imperatorem Leopoldum Raynutius II. hoc pacto scripsit: *Comes Claudius* REBELLAVIT *a Domino Duce Octavio. Sed ex hac* REBELLIONE *nullum jus legitimæ possessionis fuisse quæsitum* &c. In eo libro hæc pariter dicuntur: *anno* 1578. *Comes Claudius ex delicto capitali condemnatus fuit in pœnam vitæ & PUBLICATIONIS BONORUM ab Auditore criminalium Parmæ*. Et infra: *anno* 1580. *cum Comes Claudius* CONSPIRASSET *in necem Domini Ducis Octavii, re detecta ab Auditore criminalium Placentiæ, procesßatur, inquiritur & condemnatur, tamquam reus læsæ majestatis in suum Principem: cujus criminis atrocitas tanta est, ut solus conatus præter ordinem juris puniatur*. De Friderico Claudii filio hæc idem Raynutius Imperatori Leopoldo significavit: *anno* 1617. *Comes Fridericus Landus filius Comitis Claudii mandavit homicidium cum aßaßinio in reverendum Sacerdotem Christophorum Magnini: quo per mandatarios executo* &c. Hæc Landorum soboles, de qua loquimur, jamdudum extincta est, ut infra dicam. Hæc & id genus alia Dux Raynutius non fortuito exposuit, sed ut Cæsaris Aulæ patefaceret, Sedis Apostolicæ *beneficia*, olim in Placentino agro a Landis possessa, pro quibus sacramenta & tributa Pontificibus ac Farnesiis præstiterant, ob eorum crimina in judicium adducta, jure & merito fuisse publicata: qua ratione Raynutius ostendit id genus acta, caussarum cognitiones & bonorum publicationes complectentia, ex rebellionis potissimum criminibus profecta, a Sedis Apostolicæ in eas partes supremo jure separari non posse, nisi rebus nomina ac significationes immutare velimus. Sane etiam Rudolphus Augustus de Octavii

LIBER III.

Angelus Histor. Parmæ lib. 8. p. 783.

Remonstrat. §. LXXX. LXXXI.

Remonstrat. §. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.

LIBER III. Remostr. §. CXCIV. rationibus, pontificiis juribus, & Landorum sceleribus edoctus, præcepit, ut ipse Octavius *sua, quæ recuperaverat, obtineret libere : & ita observatum*, quemadmodum Raynutius Leopoldo Imperatori exposuit. Ea tempestate Pontifex Sixtus V. Rudolphum hortatus est, ut hac de re Philippi Regis consilium caperet, qui, tamquam Dux Mediolani & arctissimo illi consanguinitatis vinculo junctus, vera, non falsa dixisset: *Restat illud, quod vehementer cupimus atque hortamur, ut hac tota de re communices cum carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico. Summopere enim ei cordi est : scripsitque ad nos atque egit per oratorem suum diligentissime. Ut recuses, caussa nulla est. Intercedunt enim cum eo majestati tuæ vincula necessitudinis atque amoris arctissima, habetque jus, prudentiam & justi atque æqui studium perspectissimum*. Hæc ipsa in litteris ad Rudolphum idibus Augustis

1586. anno 1586. a Sixto missis, leguntur. Pro *Valle Tari* alia sub Pontifice Urbano VIII. publice gesta postmodum producentur. Nunc vero Joannis Francisci de Ponte locupletissimæ decisioni, alterius Jurisperiti Neapolitani & eidem æqualis, accedat auctoritas. Hic est Horatius Marta, qui disertim testatur, Summos Pontifices Ducatus Parmæ ac Placentiæ dominium Petro

De Jurisdictione Par. I. cap. 33. §. 76. Aloysio atque Octavio detulisse, *reservando* ECCLESIÆ ROMANÆ FIDEM & HOMAGIUM, *ultimas appellationes* & SUPREMAM POTENTIAM. Utque hactenus narrata perfectius & cumulatius constabiliantur, quidpiam aliud, universorum cognitione dignissimum occurrit. Aliquot post annis Dux Raynutius I. ex Alexandro genitus & Octavii nepos cum ex variis partibus accepisset, malevolorum erga Farnesiam gentem artibus ad Clementis VIII. Pontificis Maximi aures falsos quosdam rumores allatos, quibus affirmabatur, ab eodem Raynutio Hispaniæ Regem clam pro supremo domino agnitum ; is ut se hoc crimine omnino purgaret, binas litteras, alteram ad Pontificem,

ficem, alteram ad generalem pontificiæ Cameræ Curatorem ſcripſit, quas hoc in loco, quomodo in Apoſtolicæ Sedis tabulariis ſervantur, ex Italico in latinum ſermonem verſas collocabo. LIBER III.

I.

Epiſtola I. Raynutii I. Parmæ Ducis ad Summum Pontificem Clementem VIII. in qua nullum pro ſummo Ducatus Parmæ ac Placentiæ Principe præter unam Romanam Eccleſiam ſe unquam agnoviſſe declarat.

BEATISSIME PATER

Poſtquam pedes Beatitudinis Veſtræ oſculatus fuero.

Maxima animi moleſtia intellexi ea omnia, quæ ad aures Sanctitatis Veſtræ pervenerunt, hominum malevolorum arte, qui meam erga iſtam Sanctam Sedem fidem ac obſervantiam in dubium revocare conantur. Et quamvis ubi primum hic rumor increbuit, de iis, quæ ad me fama pertulerat, Sanctitatem Veſtram certiorem non fecerim, cum rei vanitas, meaque innocentia ejuſmodi rumori comprimendo ſatis eſſent; nunc tamen intellecto ſermone, quem Sanctitas Veſtra hac de re cum Equite Thomaſio habuit, has litteras ut manu mea ſcriberem, diutius mihi differendum non putavi, quoniam Equitem Picedium ex gravi morbo convaleſcentem iſthuc citatis equis ſtatim mittere non vacat: quod libenter feciſſem. Sanctitatem Veſtram igitur obſecro, ut pro certo habeat, me in hac Parmæ, Placentiæque ditione nullum omnino alium Principem ac ſupremum Dominum unquam agnoviſſe, nec in poſterum agniturum præter Sanctitatem Veſtram atque Apoſtolicam Sedem, cum veritas ita ſe habeat. Immo 1549.

 pro

LIBER III. *pro Sanctæ Sedis Apostolicæ jurium amplitudine atque incremento non solum quidquid opum & virium mihi est, sed ipsum sanguinem profundere paratus sum: quod Picedius, brevi hinc discessurus, Sanctitati Vestræ fusius exponet. Interea Sanctitatem Vestram obtestor, ut in propenso erga me, maxime fidum, atque addictum clientem famulumque, animo perseveret, dum interim Deum precor, ut sanctissimam Beatitudinis Vestræ personam diutissime pro totius rei Christianæ bono servet ac tueatur.*

Parmæ pridie Idus Octobres anno 1594.

Beatitudinis Vestræ

Humillimus famulus, fidissimusque Cliens

Raynutius Farnesius.

I I.

Epistola II. Raynutii I. Ducis Parmæ ad Paullum Coperchium generalem Cameræ Apostolicæ Curatorem, in qua declarat atque testatur, nec se nec majores suos pro summo Ducatus Parmæ ac Placentiæ Principe ullum alium, nisi unam Romanam Ecclesiam agnovisse.

ADMODUM REVERENDE DOMINE.

1594. *Quæ contra me de Placentiæ aliorumque hujus ditionis locorum diplomate, ut ajunt, ac jurejurando primus rumor in vulgus sparsit, nequaquam moratus sum, cum nihil opus esse videretur, ut ego rei tam vanæ refutationem susciperem. Quoniam vero Equitis Thomasii tuæque litteræ me docuerunt, bis nu-*

nugis aliquod Pontificis menti dubium inhæsisse, itaut se ferme subiratum ostenderit; suspicionem summi Pontificis animo per me diutius insidere non convenit. Immo Equitem Picedium, discessui paratissimum, statim citatis equis isthuc properare jussissem, nisi valetudine ob morbum, cum quo dudum conflictavit, adhuc in lectulo laboraret, e quo tamen spero ipsum quam primum surrecturum, ut magnis itineribus Romam contendat. Interim ad sanctissimum Patrem scribendum censui, ut ex animo ejus quavis suspicionis nebula expulsa, certissimum facerem, hæc omnia ex pravis quorundam malevolorum affectibus unice profecta esse, qui proprii commodi caussa hæc commenta ab se excogitata dissipaverunt. Rem autem ita se habere statim percipies, si ad illa animum intenderis, quæ in primo nuncio deducuntur, per tabellariorum Genuensium præfectum allata, ut quidam fabulantur. Dicitur enim fore, ut populis mihi subjectis ad Senatum Mediolanensem in posterum confugere liceat. Hoc unum vero malevolentiam & astum auctoris maxime prodit. Sed quisnam hac de re merito dubitet, cum in debito vectigali Sedi Apostolicæ quotannis publice & in ipsis oculis Legati Catholici persolvendo, receptam a majoribus meis consuetudinem me retinere omnes conspiciant: quod sane iis, quæ malevoli disseminarunt, summe repugnat. Præterea in Landi caussa cum de Burgo Vallis Tari, deque agro Placentino ac Parmensi dispntaretur, me ad Regis Catholici tribunalia, omnibus inspectantibus, sistere detrectavi, voce scriptoque declarans, præter Ecclesiæ Romanæ Pontificem nullum alium dominum in toto hoc Parmæ Placentiæque Ducatu a me agnosci. Scito insuper, me in aliis hujus ditionis negotiis, quæ mihi occurrunt, ita me gerere, ut, me prorsus (idque omnibus patet) a Principatibus Regis Catholici sejunctum nemo non videat: & siquid unquam Mediolani Præses aut Senatus a me aut a ministris meis postulant, ut apud omnes Principes ac ministros in more positum est, illud semper officiose postulant. Te quoque, ut reor, minime fugit, cum in pluribus Placen-

LIBER III. *centini, Parmensisque agri locis cum Mediolanensi ditione de finibus quæstio esset, judicem alterum Regis nomine Senatorem Odescbalcum nuper demortuum, alterum vero parentis mei nomine, nempe Consiliarium Petram ad res definiendas fuiße delectos. Post patris obitum Petra a me constitutus, a Rege vero in Odescbalchi demortui locum Senator Conradus suffectus: quibus sub judicibus lis adhuc est. Ex his intelligi velim, utrum ego cum Rege, tamquam ejus imperio subjectus agam, an vero tamquam ipsius jurisdictione prorsus exclusus: quem me semper præstabo. Ad hæc illud considerandum propono, Comitem Renatum Borromæum Regis Catholici clientem a me isthuc Romam mißum, ut se pro toto hoc Ducatu in Summi Pontificis auctoritatem meo nomine data fide & sacramento conferret. Ex hoc meam sinceritatem erga Apostolicam Sedem cunctis probatum iri confido. Verum post has aliasque plures, quæ adduci poßent, rationes, quæso perpende, quorsum ea, quæ malevoli confinxerunt, pertinerent, si post fidem & jusjurandum amplissimum & luculentum Pontifici datum, aliud aliis daretur. Nullum hoc atque irritum certe eßet: nec alteri prodeßet; sed hoc unum efficeret, ut malam voluntatem proderet, neminem juvaret, & antiqua Sedis Apostolicæ jura in hanc ditionem nequaquam imminueret. Quare pro certo habeo, Summum Pontificem, tanta prudentia præditum ac probe conscium meæ meæque gentis fidei erga Sanctam Sedem, cui nostra omnia accepta referimus, ejusmodi mendaciis aures non patefacturum, & a quavis suspicione longe absuturum. Te interim oro, ut Pontificis animum constantem, firmumque in hac veritate credenda retineas, de qua postea Equitis Picedii adventu fusius docebitur. Meam operam tibi ex animo polliceor.*

Parmæ pridie Idus Octobres 1549.

Ad jussa paratus

Raynutius Farnesius.

Quod

LIBER III.

Quod tam sincero animo Dux Raynutius affirmavit, semper omnes pro vero agnoverunt: infraque videbimus, ipsum ejusque majores publicis obsequii erga Petri Vicarios, ut summos Principes suos, legationibus manifestius hæc eadem declarare non omisisse. Hinc factum, ut illo eodem tempore Paullus Paruta Senator Venetus testatus sit, utramque illam civitatem ad Ecclesiam Romanam pertinere posteaquam Julii II. opera *in potestatem Sedis Apostolicæ rediissent*. Quodque attinet ad Clementem VIII. hic Pontifex *Placentiæ* atque in *Burgo Vallis Tari* edicta, quæ *Brevia* nuncupantur, Raynutio I. ac Friderico Lando denunciata, promulgari jussit, quibus pontificiam in universa ea loca, velut in agro Placentino perspicue posita, imperium demonstrabatur. Quamobrem Dux Raynutius II. cum in suo libro, Leopoldi Imperatoris nomini inscripto, jurium suorum rationem redderet, se eam reddere testatus est, *quamvis Burgus Vallis Tari nec controvertatur, nec controverti possit, cum jam res semel in contentionem deducta, sit composita*.

Disputat. politicæ lib. 2. disp. 9. pag. 582. Ital.

Remonstratio §.CLXXXVIII.

XXIX.

Alia summi imperii Sedis Apostolicæ in Parmam, Placentiamque argumenta.

Ex his igitur, quæ in rebus superius memoratis regius minister de Ponte disseruit, & ex iis, quæ Dux Raynutius amplissime egit & confessus est, facile cognoscimus, Farnesiorum obsequium erga Hispaniæ Regem, quod ad *Placentiæ Parmæ*que principatum attinet, falso jactatum, atque infirmis, futilibusque argumentis innixum. Et quamvis hac de re veræ, certæque etiam probationes educerentur, nunquam illis tanta vis inesset, ut Sedis Apostolicæ jura labefactarent; quandoquidem omnia, quæ producuntur aut produci possent, non palam, sed clam acta perhibentur: ad quæ non Pontificum scientia, non consensus, non approbatio juridica accesserunt. Uno verbo, illa omnia ejus generis sunt, ut pro arbitratu suo unusquisque similia confingere possit. Porro illud ex jure gentium certissimum est, neminem a quocunque Principe in ea jura, quæ ad alium pertinent, immitti valide posse, nisi

LIBER III.

nisi ubi hic de suo jure ultro decedere velit : *nam qui prioribus promissis aut pactis jus suum in aliud transtulit, ipse utique nullum amplius tale jus reliquum habet, quod in tertium possit transferre*. Ita Pufendorfius, qui addit, si hæc fierent, magnam rerum perturbationem orituram, dum *nullo negotio omnia promissa & pacta hac ratione irrita reddi possent, irrito alio, in quo contraria priori disponerentur, aut quicum prius simul expleri nequiret*. Ideo omnibus liquet, *hoc in casu posterius pactum reddi irritum per prius, vel potius prius ostendere posterius* NULLUM *esse posse*. Nec militum præsidio, quod aliquandiu Rex Catholicus in arce Placentina habuit, justum ipsius aliquod dominium evincitur, cum illud præsidium quasdam potius Placentinæ spoliationis atque occupationis reliquias dicendum esse censeamus. Præterquamquod unum præsidium, ratione legitima destitutum, pro re indifferenti sumitur, ex qua, nisi aliud intercedat, nulla subjectio aut dominatio juste ac necessario evinci potest, cum beneficiarius ultro ob suam defensionem, aliisque de caussis externo præsidio uti possit, quemadmodum Julio III. Pontifice Ducem Octavium usum accepimus. Ita *Mantuæ*, *Casali*, & *Sablonetæ* externi Principes diu copias continuerunt: quos tamen nullum jus in ea loca habuisse nec sibi vindicavisse compertum est. His argumentis illud omnium evidentissimum addatur, nempe *novem millia aureorum*, quæ annui *census* nomine Farnesii, nullo unquam reclamante, ab anno 1546. ad nostra tempora, ut ex chronologia censuum videre licet, Romæ Cameræ Apostolicæ persolverunt. Hic enim census quotannis solutus perspicue summum ac perpetuum in illum Ducatum imperium Pontificis ob oculos ponit, cui Farnesii semper & manifesto paruerunt: censu pariter in Apostolicum ærarium collato eo ipso tempore, quo in illis urbibus externa præsidia militum alebant. Hæc vero actis quibuscunque longe ante-

De Iure naturæ & gentium lib.3. cap.7. §.11.

antecellunt, qui aliis Principibus pro dominis agnoſcendis per Farneſios fieri potuiſſent, *occulte* tamen, occultiſque de cauſſis, a quibus poſt tot annos in Sedis Apoſtolicæ jura perpetua, incorrupta, ſemper integra & propter tot publicas cæremonias omnibus cognita, a tot ſcriptoribus variarum gentium, æqualibus, proximis, & ſubſequentibus divulgata, nullum detrimentum oriri poteſt. Contra vero de illis conventionum capitibus *clam*, ut muſſitatur, factarum de rebus tanti momenti, ac tandiu, univerſa Europa ſpectante, maturatis atque diſcuſſis, ne unus quidem æqualis aut proximus ſcriptor mentionem facit: & quicunque de iiſdem loquitur, multo recentior eſt, diuque poſt acta ac falſo jactata *diplomata*, certe vixit. Præterea, ſicut jam admonuimus, qui de his, tanquam de re vera, mentionem facit, quamvis multo poſt vixerit, aperte tamen fatetur, ejuſmodi pactiones *ſecretas* & *clandeſtinas* fuiſſe. Id præ aliis Antonius de Herrera teſtatur, qui de his, Urbano VIII. Pontifice, in Commentariis anno 1624. Matriti editis ſermonem primus inſtituit. Herrera aliquando verſatus eſt in Italia, ut ab Nicolao Antonio percipimus. Quare fieri poteſt, ut Herrera hanc ſuam, quippe raram admodum, peregrinamque notitiam, ex eodem fonte, quo Mediolanenſis Adverſarius noſter, omnino hauſerit, quoniam ipſa autographa neque in Hiſpania, neque *in rerum natura* reperiri, ſed in Oceano cum Cæſareis ſcriniis (antequam fierent) demerſa fuiſſe non diffitentur. Sed biennio ſolum antequam Herreræ liber in lucem prodiret, anno ſcilicet 1622. VII. Cal. Julias Dux Odoardus Farneſius Raynutii I. in ducatu ſucceſſor per publicam obſequii legationem, ab Appio de Comitibus Romano dynaſta ejus nomine ſuſceptam, pro omni ſua ditione Gregorio XV. Pontifici coram XVI. purpuratis viris fidem ac jusjurandum jam dederat. Eodem anno 1624. quo Herreræ opus vulgatum eſt, Troilus Comes de Rubeis, alter ejuſdem Du-

Bibliotheca Hiſpana nova tom.1 pag.101.

Diaria MSS. Paulli Alaleoni.

LIBER III.

cis Odoardi nomine obsequii Legatus, III. Idus Februarias ab Urbano VIII. Pontifice publice de more auditus fuit, ut solitum jusjurandum ac fidem præstaret, quemadmodum coram Montio, Atestino, Madrutio, Sabaudo ac Barberino Cardinalibus suas partes implevit. Quare pactionibus illis *occultis*, ab Herrera memoratis, sed nunquam in medium productis, illustres has legationes opponere satis fit. Unum vero illud præcipua animadversione dignissimum est, nempe jactata capita illa conventionum inter Hispanos & Farnesios, non palam, sed *furtim* fuisse transacta, ne e tenebris suis eruta vulgarentur, quemadmodum scilicet *restitutio* ipsa palam & in luce hominum vulgata fuit, & sicut, ubi de Principatibus quæstiones oriuntur, a Principibus agi solet, dummodo tamen quidpiam deformitatis, controversiæ, vitii ac suspicionis in re ipsa non lateat. Eadem contra illa pronunciari possent, quæ Adversarius Mediolanensis inter Alexandrum Farnesium anno 1584. & Regem Catholicum acta fuisse contendit, cum arx Placentina Duci Octavio patri ejus restitueretur, nisi pariter ex illa eadem officina, unde fabulosum diploma, quod Octavio concessum fuisse jactatur, & ipsa prodirent. Hæc commenta longiore oratione refelli necesse fuit, ut ab iis, qui inde contra Apostolicam Sedem subsidium quærunt, maxima veritatis injuria id quæri demonstraremus.

XXX.

Urbanus VIII. summum suum imperium in Parmæ Ducem exercet, Rege Catholico atque Imperatore flagitantibus. Rex Christianissimus una cum aliis Principibus intercedit, quominus a Pontifice Dux beneficio privetur.

1635.

Jam vero ad sæculum XVII. accedamus, ut summa in urbes, Ducatumque Parmæ ac Placentiæ Pontificis dominatio adhuc in clariori lumine collocetur. Anno 1635. Odoardus Farnesius illarum civitatum Dux in Principatum Mediolanensem armis irrupturus, Gallos sibi fœdere devinxit. Quare Hispani id ægerrime ferentes ad Urbanum VIII. Pontificem confugerunt, de Odoardo gravissime conquesti, Pontificemque obsecrantes, ut, *cum ipse illam ditionem, ut* SUMMUS *ejus* PRINCEPS, *tueri deberet, Ducem ma-*

LIBER III.

mature ab hostili incæpto revocaret. Hæc habet Hieronymus Brusonius, a Caussidico Mediolanensi perperam testis adductus, immo hoc in loco, notatu dignissimo, subdole & dedita opera dissimulatus. Baptista Nanius, rerum publicarum propter munera sibi a Veneto Senatu injuncta, peritissimus, eadem & ipse in Historia Veneta refert, Neapolitanum videlicet Proregem instituisse, ut Urbanus cum Odoardo judiciaria lege, civilique ageret, ac pronunciavisse Pontificem, se Ducem in officio subjectum continere velle atque ad sibi obediendum compellere. Insuper Hugo Grotius, tunc regius Suecorum Parisiis orator, in epistola quadam ad Ludovicum Camerarium Suecicum pariter apud Batavorum Rempublicam Legatum, ita scribit: *Pontificem quoque* ROGAVIT (Imperator) *ut Parmensi*, VASSALLO *Ecclesiæ, auctor esset Italiam quietam faciendi: quod Pontificem, ut obnoxia est illa Aula Hispani jussibus, belli præterea finitimi metuens, credo aut facturum aut fecisse*. Itaque Imperator, ex his Grotii verbis, singularis officii loco se habiturum professus est, si Pontifex suprema auctoritate sua in Odoardum uteretur: quod Cæsar Hispanis gratificaturus ab Urbano vehementissime flagitabat. Insuper ex Grotianis verbis apparet, Cæsarem quod enixe petebat, difficile ab Urbano exoraturum, nisi, ex ejusdem Grotii sententia, Aulæ Romanæ rationes cum Hispanicis conjunctæ fuissent, ac præterea imminentis timor belli Pontificis animum interturbasset. Ergo pontificii imperii in Parmensem regionem monumentum hoc insignius excogitari non potest, quippe quod ab iis, quorum intererat, occasione autem adeo celebri & omnibus nota, profectum esse intelligamus. Pontifex tandem ejusmodi Hispanicis & Cæsareis obsecrationibus quotidie perculsus, VIII. Cal. Septembres anno 1635. ad Ducem Odoardum litteras scripsit, ei publica auctoritare exhibitas per Lælium Falconerium Thebarum Archiepiscopum ac per Julium Mazarinum, Ecclesiæ Romanæ præsules,

Historia Italiæ lib. 3. pag. 98. 99. edit. VII. *Ital.*

Lib. 12. pag. 790. edit. 1662. Ital.

Epistola 492. pag. 189. edit. in fol.

Responsio Contelorii ad librum Ducis Parmæ contra captionem Castri pag. 170. Ital.

V. in fine num. LVIII.

LIBER III.

Ducemque hortatus est, ut a bello animum abduceret: si secus ageret, quæcunque in Parmæ, Placentiæque Ducatum damna redundassent, ab ipso pensanda denuncians. Mox VII. Idus Septembres alias litteras scripsit, judiciario more apud Valentiam in Insubribus, per Prolegatum Bononiensem Joannem Baptistam Gorium Pannelinum ipsi delatas: de quibus Grotius quoque sermonem habet. Mense Octobri insequentis anni Pontifex alias litteras ad Mediolanensem Præsidem dedit, eum ne in Sedis Apostolicæ beneficia a Farnesio possessa, armatus invaderet, vehementer hortatus. Alias quoque ad Regem Catholicum misit. Hasque omnes litteras, ab Joanne Clerico in Vita Cardinalis Richelii etiam laudatas, Edictum commemorat, quod per Fisci pontificii Auditorem, ejusdem Fisci Curatore flagitante, XV. Cal. Septembres anno *1636.* contra Ducem promulgatum est: in quo quidem Edicto narratur, Pontificem qua per litteris, qua per viros primarios Ducem hortari ac monere non omisisse, ne adversus alios Principes bellum gereret, unde Sedis Apostolicæ beneficiis ab eo possessis damna importarentur. Hinc iidem Fisci ministri Urbano, Parmensis Placentinique beneficii supremo domino de his edocto, pontificio nomine, Duci, ut se in sua ditione contineret, triginta dierum spatium præstituebant: si secus egisset, censuris obnoxium, beneficioque spoliatum declararaturi. Hæc omnia in Edicto, quod in Appendice integrum dabimus, unusquisque videre poterit. In his rebus, tunc omnium ore vulgatis, Regis Ludovici XIII. nomine cum Urbano Pontifice pro Odoardo officiosissime actum est, ut dierum cursus, qui in Edicto statuebatur, diutius proferretur, ne Dux beneficio Parmensi & Placentino decederet, illasque pœnas subiret, quæ hæc omnia consequi de more consueverunt. Rogatus quoque fuit Pontifex, ut pro ipso Duce oratorem exciperet, qui ei, ut summo Principi, debitam observantiam, fidem-

Epist. 100. pag. 193.

Tom. 2. lib. V. pag. 229. edit. III.

V. in fine num. LXI. LXII. LXIII.

1636.

Monumenta recondita Siri tom. 8. p. 415.

demque præstaret. Pontifici vero nimium ab se postulari visum est, Ducemque aliorum opera veniam flagitare, quam ipse, vectigalis, a Pontifice, supremo domino, per se, non per alios flagitare debuerat. Ideo Pontifex re infecta Galliæ Legatum dimisit, caussatus, Regem quoque, Guisiæ, Montmorantiæ, Suessionensique genti ejusmodi officia denegasse, quamvis ipse per Apocrisarium Apostolicum id ab Rege sæpe flagitavisset. Poloniæ Regis & Rerumpublicarum Venetæ ac Genuensis, aliorumque Christianorum Principum pro Duce preces insuper factæ, accesserunt: quibus omnibus utique innotuit, Ducem Parmensem, uti Romanæ Sedis vectigalem, per Summum Pontificem Parmæ Placentiæque Ducatu deiici potuisse. Hæc omnia in Historia rerum Italicarum a Hieronymo Brusonio accurate referuntur. Contra vero Bozoli Princeps Imperatoris legatus apud Pontificem non solum his tam publicis actibus non reclamavit, ut tamen reclamare debuisset, si illis temporibus ea hominum mentes opinio occupasset, ut Imperator, non vero Pontifex earum urbium verus & summus dominus habendus esset; immo ipse præcipuus auctor fuit impulsorque, ut Pontifex, tanquam summus Princeps, Ducem suo imperio subjectum justa animadversione coerceret. Contentiones & querelas, quas Austriaci ministri apud Pontificem magno animorum æstu effuderunt, accurate explicat Petrus Joannes Capriata, qui ait, hoc præcipue postulatum, ut Urbanus Odoardum vectigalem suum intra pontificiæ ditionis limites receptui canere poena indicta compelleret. Capriata & Baptista Nanius etiam testantur, Prolegatum Bononiensem eandem ob caussam illuc missum: pontificias autem epistolas memorat etiam Victorius Sirus. Immo a Capriata, Siro & Nanio accepimus, Austriacos de ipso Pontifice suspicatos, cum ex voto eum non satis in Odoardum incitatum viderent; tanta ipsi sollicitudine institerunt, ut Urba-

Wicquefortii Legatus Par. 2. lib. 5. sect. 4. pag. 38. Gallice.

— Sect. 11. pag. 120.

— Sect. 12. pag. 144. edit. Coloniæ 1690.

Lib. 10. pag. 326.

Historia pars 2. lib. 4. pag. 166. Italice.

Monumenta tom. 8. pag. 368. 420. Ital.

LIBER III.

Urbanus, veluti dominus, ac Parmensis Ducis illiusque ditionis summus Princeps, sua auctoritate atque etiam armis Ducem in officio contineret, Gallis Duci veniam a Pontifice deposcentibus. Hoc pacto utrique Sedem Apostolicam civitatum Parmæ ac Placentiæ veram certamque dominam palam agnoscebant. Urbanus vero suam potestatem exposuit misso etiam Ambrosio Comite de Carpinea Mediolanum, Placentiam, alioque, ut ad pacem Austriacorum Farnesiique animos induceret. Hæc testantur Brusonius, Sirus, Capriata & Nanius. Immo Sirus in Commentariis, quæ ex ministrorum Regis Galliæ litteris congessit, fidem facit, Hispanos pacis cum Duce ineundæ studio petiisse, ut Pontifex, tanquam Odoardi summus Princeps & Dominus, se *vadem* sisteret, ne ullam is Ducatui Mediolanensi molestiam inferret: actum esse præterea de ejus ditione Thaddæo Barberino tradenda, ubi Ducem Urbanus dominio ejectum declaravisset. Huc vero edictum pontificium unice spectavisse creditum est, quantum ex Siri Commentariis percipimus: idque etiam Clericus narrat in Vita Cardinalis Richelii. Hujus Edicti caussa per Gallos ingentes turbæ excitatæ, Estræjo Regis Legato flagitante, ut Pontifex sibi secreta consilia cum Austriacis atque Hispanis hac de re non esse apertius ostenderet, & contra ipsos, qui in regionem pontificiam invaserant, ejusmodi Edicta promulgaret. Hi clamores Urbanum ab urgendo tunc proposito retardarunt.

Hist. Ital. lib. 4. pag. 127. Ital.

Mercurius tom. 2. lib. 2. pag. 757. edit. 2.

Histor. par. 4. lib. 5. pag. 249. Ital.

Histor. Veneta lib. 10. pag. 666. Ital.

Tom. 8. pag. 415. 416.

Tom. 2. lib. V. pag. 237. edit. III.

XXXI.

Summam Pontificis in Parmam ac Placentiam potestatem alia insuper acta comprobant,

Edicti jam memorati quasi accessio ac corollarium consecutum est aliud in Ducem Odoardum de Castri rebus, X. Cal. Julias anno 1643. promulgatum, in quo Odoardus, tanquam homo privatus, nec amplius Parmæ ac Placentiæ Dux, nominatur: OLIM DUX *Parmæ & Placentiæ*, secundum ea, quæ superius dicta sunt, ubi hi eventus, quod ad summum Pontificis dominium in *Parmæ Placentiæ*que ditionem per-

Mercurius tom. 2. lib. 2. pag. 811. 812.

—To. 3. lib. 2. pag. 439. Ital.

pertinet, tanquam inter se connexi, a nobis conjuncti ex parte fuerunt. Hæc edicta, tunc celeberrima & linguis omnium usurpata, ubique terrarum lecta fuerunt, adeo ut postea Odoardus sine Ludovici XIV. Galliarum Regis opera in Pontificis gratiam & in Ducatus possessionem reductus nunquam fuisset. Hoc secundo rerum eventu Italiæ pacis studio, atque etiam timore, ne Odoardus a Pontifice in angustias conjectus Parmam Placentiamque Gallis patefaceret, non unus Rex Christianissimus, sed ipse Imperator & Rex Hispaniarum eundem Ducem, sibi licet maxime infensum, apud Pontificem vehementissimis precibus interpositis adjuvare non destiterunt. Non tamen idcirco de pontificia in illos Principatus auctoritate unquam dubitatum est. Immo vero eam omnes, ut certissimam & quavis controversia carentem, agnoverunt: quo Historia hæc præsens universa spectat. Hugo Grotius, in hujusmodi rebus percipiendis & perpendendis vir summus, Edicti ab Urbano in Odoardum pro Parma & Placentia vulgati diserte meminit, quasi Pontifex illud vulgando ad summum imperium suum exercendum ab Austriacis & Cæsarianis impulsus fuisset: *interim quantopere Hispanum* METUAT, *satis ostendit Pontifex minis anathematis in Parmensem*. His adde quæ infra notantur in Appendice ad num. LX. Urbanus priusquam, Cæsareis Hispanisque ministris suasoribus atque impulsoribus, huc descenderet, in frequenti Cardinalium Senatu rem exacte perpendendam jussit, scriptoque quæsitum est, an juste essent Pontifici caussæ, cur illud edictum contra Odoardum vulgaret. Brusonius, harum rerum scriptor peritissimus qui & his componendis operam dedit, ut postea dicemus, ait, Odoardum ira idcirco in Hispanos commotum, quod minitabundi ab eo petiissent, *ut ipse expresse declararet, Placentiæ Parmæque Principatus post Farnesiorum sobolem extinctam, ad Regis Hispaniæ jura esse revocandos*, ASSIMULATA CAUSSA, *quod Odoardi*

V. in fine num. LXV.

Capriata parte 3. lib. 19. pag. 18.

Epist. 530. pag. 205.

Siri Mercurius tom. 3. pag. 430. 189. 510.

Hist. Italiæ lib. 3. pag. 99.

LIBER III. *di majores ejusmodi declarationem emisisse dicerentur. Ad hæc, ut Hispanis arcem Placentiæ tunc traderet, vel saltem hominem Hispanis acceptum illi præficeret*. Hinc tamen multa discuntur, quæ secus ac Adversarius sibi in animum inducit, ipsius consiliis minime favent, immo iis, tanquam novis & falsis, omnino repugnant. Si enim eos Principatus Serenissimæ Farnesiæ genti beneficii loco Rex Hispaniæ concesserat, sique hic in eas urbes, tanquam in Mediolanensis Ducatus membra, summum jus exercebat, quid erat, quod Rex a dynasta sibi subjecto eam *declarationem* postularet? Si enim Octavius is erat, beneficium post Farnesiorum gentem extinctam, absque ulla *declaratione* ad Hispanum suapte natura dilabebatur. Quid igitur declaratione Hispano fuit opus, quandoquidem, si vera narrat Adversarius, beneficium ad Regem Hispaniæ pertinebat? Si hoc autem ad Regem Hispaniæ pertinebat, cur ad Pontificem confugit, ut Odoardum ab hostilibus conatibus deterreret? Quot, inter se pugnantes sententias sustineat oportet qui mendacio velificatur! Brusonius merito *assimulatam caussam* appellat dictum eorum, qui Odoardi majores ejusmodi declarationem edidisse affirmabant. Adversarius insuper narrat, anno 1644. Odoardum cum Hispanis *per capitula publica & secreta* in gratiam rediisse, eisque Regem Catholicum adprobationem suam non dedisse, *nisi cum reservatione jurium competentium unicuique: de quibus facta non fuit individualis mentio in dictis capitulis*. Ita nimirum Adversarius, mortalium quotquot sunt ac fuerunt longe omnium politissimus. Sed nos vere affirmamus, hanc narrationem esse confictam, quia Brusonius unus ex illis, quibus hujus rei tractandæ onus impositum fuit, sicut ipsemet de se testatur, de hac *reservatione* omnino silet, quamvis nonnullas pacis conditiones, *maxime necessarias* ab ipso existimatas, in medium proferat. Pacis enim capita fuerunt omnino XIII. quo-

Animadverf. num. 129. §. Hæc ita.

1644.

Hist. Italiæ lib. 4. p. 127.

LIBER III.

quorum nullum Sedi Apostolicæ detrimentum intulit, nec ulla *reservatione* jura ejus diminuta intelleximus. Insuper ait Brusonius, eam *declarationem*, ab Hispanis tantopere expetitam, cum Odoardus edere detrectasset, in aptius tempus fuisse prorogatam, quod tamen *nunquam advenit*, ut Brusonius affirmat. Sed Carolum Bernardum, perinsignem Historicum Ludovici XIII. Regis Francorum loquentem audiamus. Is testatur, Hispanos quæcumque armis abstulerant, Odoardo restituisse, nulla lege a Duce recepta præterquam, ut neutram partem, Hispanorum nempe & Gallorum, in posterum sequeretur. At enim Auctor Mediolanensis ait, suam illam *reservationem non devenisse ad notitiam historici*. Belle profecto! Si eam minister huic rei componendæ præfectus ignoravit, quis quæso illam cognovisse aut cognoscere debuisse dicendus erit? Quod si *declaratio occulta* ac *secreta* fuit, hoc unum sufficit, ut quanti ab omnibus æstimari debeat, clare percipiatur. Sed quamvis ea vera esset una cum reliquis universis, quæ anno 1648. & 1649. clam cum Hispanis inita jactantur, dum jusjurandum ac fidem, a Placentiæ præfecto illis dandam, magno animo repudiasse dicuntur, eodem vitio laborarent singula: quod quidem veteribus, recentibusque & summis Sedis Apostolicæ juribus nihil plane noceret. Nos interea vitio illi, quo omnia *clandestine occulteque* acta laborant, hoc loco pariter legationem pro Duce Raynutio II. successore Odoardi, anno 1646. elati, quam Princeps Appius de Comitibus Poli Dux publice obivit, opponemus. Hic igitur, tamquam legatus Raynutii, obsequium fidemque Pontifici præstiturus, Romam per portam Flaminiam VIII. Idus Februarias anno 1648. palam ingressus est, cum purpuratus ordo, regiique oratores ad eum excipiendum familiares suos ac rhedas obviam misissent honoris caussa, quemadmodum Cardinalibus ac ceteris legatis magnorum Principum, urbem ingredientibus, fieri con-

Animadvers. num. 130. §. VI.

Historia Ludovici XIII. *lib* XVIII. *pag.* 376. *Gallice.*

Diaria MS. Servantii.

LIBER III. consuevit. Tum V. Idus ejusdem mensis Princeps Legatus coram S. R. E. Cardinalibus, Innocentio X. Pontifici jusjurandum, fidemque de more dedit. Ejusmodi legationes a Parmæ Placentiæque Ducibus in clientelæ argumentum, ad summos Pontifices frequenter venerunt: sed præsertim a novis Ducibus & ad novos Pontifices. Sic Raynutius II. anno 1671. eamdem ob caussam Marchionem de Soranea inter suos beneficiarios primarium ad Clementem X. Pontificem, misit. Eo tempore, quo contra Ducem Odoardum Hispani hostilia patrabant, eorum ope, arte, atque incitamento Friderici Landi Claudii filii Princeps Joannes Andreas ab Auria Landus *Burgum Vallis Tari*, Raynutio II. teste, occupavit. Hi Landi tandem esse desierunt, cum Fridericus suorum ultimus fuerit, qui ab Augustino originem traxerant, filia Polyxena apud gentem Auriam in matrimonium locata. At vero Urbanus VIII. ut Burgi Vallis Tari ditionem ad Pontificatus summum imperium legitime pertinentem, utpote in Æmilia & intra loca Placentini agri positam, tueretur, post ea, quæ contra Odoardum vulgaverat, Marci Antonii Franciotti *Cameræ auditoris* opera contra Auriam, qui *Burgum* invaserat ac detinebat, aliud edictum tulit anno 1636. quod tunc una cum ceteris hac de re ab hoc pontificio magistratu promulgatis, in fine operis apparet. Exitus caussæ fuit *Burgus Vallis Tari* Odoardo redditus, *conscio Ferdinando II. examinatis juribus & cognita veritate*, ut ait Raynutius II. in libro, quem Leopoldo Imperatori nuncupatum toties ad partes vocavimus. Atque ita hoc etiam loco quæ contra notissima Sedis Apostolicæ jura per Caussidicum opponi vidimus, qui semper sua somnia prætendit, paucis quidem, sed veritate præclare firmatis verbis, facile refutavimus.

V. in fine LXVI.

Remonstrat. §. CXCV.

V. in fine num. LXIV.

Remonstr. §. CXCV.

XXXII.
Anacephalæosis jurium Sedis Apostolicæ in Parmam ac Placentiam.

Ex tot taliumque rerum recordatione, quæ necessario recolendæ fuerunt, quisque nullo negotio intelliget, an rationes, quibus Caussidicus Mediolanensis

sis sua argumenta contra Apostolicam Sedem suffulta esse voluit, tam certa sint atque evidentia, quemadmodum sibi fingit, quasi ex ejus opinionibus, audacia plenis, eo res devolvatur, ut Summum Parmæ Placentiæque dominium non ad Romanam Ecclesiam, sed ad Imperium pertineat: an id, quod in librum suum congessit, *clarum*, *notissimumque* haberi debeat: & an verum existimandum sit quod ipse, mirifice sibi placens ac magna adulatione se circumspiciens, affirmat, seque probaturum jactat, hoc pacto locutus: *Corruit primum & præcipuum fundamentum declarationis factæ per Curiam Romanam, in eo positum, quod civitates Parmæ ac Placentiæ sint de directo dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*. Probatissimis documentis jam satis ostensum videtur, duas has civitates, intra *Æmiliam* seu *Galliam Cispadanam* comprehensas, cum hanc Carolus Magnus una cum Exarchatu, *sicut antiquitus erat*, Sancto Petro donaret, montibus, fluminibus & limitaneis urbibus circumseptas fuisse atque descriptas. Langobardos illas sibi usurpasse: Pipinum, & Carolum Magnum Regibus Aistulpho ac Desiderio devictis, *Exarchatum*, *Æmiliamque* Romano Pontificatui restituentes, eas quoque duas civitates Sancto Petro restituisse: Carolum, quasi futurorum præscium & perinde ac intentandas Ecclesiæ lites animo præsumpsisset, ut quamcunque tolleret controversiam, UNIVERSUM *Exarchatum*, non quidem ipsius partem, se Sedi Apostolicæ adsignare & concedere professum. Si tunc Exarchatus, a duobus Regibus Langobardis contra jus fasque usurpatus, de aliqua urbe, in eodem *antiquitus* inclusa, diminutus comperiretur, eam urbem iterum includi jussisse, ut qualis antea fuerat, talis Exarchatus exsisteret, nimirum *sicut* ANTIQUITUS *erat*: atque hæc omnia definita & constituta fuisse sex & viginti annis antequam Leo III. Pont. Max. Occidentalis Imperii dignitatem, tanto ante extinctam, sponte sua in Carolo Magno renovasset, ut in eo *perpetuum Ad-*

Animadvers. ante num. 141. §. Corruit.

LIBER III. *vocatum ac Defensorem* suum Romana Ecclesia respiceret, quomodo suum pariter singulæ minores Ecclesiæ seorsum respiciebant: quam postea dignitatem, in Carolo Magno institutam, pactionibus etiam cum Græcis initis comprobatam & agnitam legimus. Hæc sola, quæ adduximus, apud viros ratione præditos satis quidem superque essent pro asserenda justitia, qua Julius II. Pontifex utramque illam urbem S. R. E. recuperavit una cum universis regionibus, agris, Marchionatibus, Comitatibus, beneficiis, vicis, opidis, ceterisque omnibus, ad eas pertinentibus, ex fœdere cum Rege Catholico Ferdinando, cumque Maximiliano I. Imperatore, aliisque viris Principibus percusso. At nihilominus placuit ostendere, integra semper Ecclesiæ Romanæ in eas urbes jura fuisse, & veræ supremæque jurisdictioni semper innixas, quam Pontifices palam exercuerunt atque omnium Imperatorum declarationes confirmaverunt. Præterea demonstratum est, eas civitates a Vicecomitibus nullo jure usurpatas, sed tyrannide ac vi, quam nec *usucapio*, nec *præscriptio* quidquam adjuvit aut justam reddidit, adeo ut Julius II. non solum ob conventiones memorato fœdere initas, sed ob antiqua jura utramque civitatem ultro deditam reliquo patrimonio Sancti Petri justissime adjunxerit. Ne vero in posterum ullus cuiquam in easdem urbes sibi jus arrogandi locus pateret, Imperator Maximilianus I. ac Maximilianus Sfortia de jure quolibet in *rectum* æque ac in *utile* earundem dominium sponte sua decesserunt. Insuper anno 1515. uterque in pactionibus cum Leone X. initis quovis jure in illas civitates iterum se abdicavit. Cum vero Galli eodem tempore eas occupassent, mox anno 1521. Leo Ecclesiæ Romanæ utramque restituit ex novo fœdere cum Carolo V. qui tunc una cum Francisco Maria Sfortia Duce Mediolani, quocunque jure, quod in eas urbes habere unquam potuisset, se iterum omnino abdicavit, Mediolanum vero

una

una cum tota ditione ejus, Sedis Apostolicæ sumptibus anno 1511. & 1521. Gallis ereptum, imperio accessit. Quare non solum ex tot tantisque rationibus certissima evincitur Sedis Apostolicæ in Parmam Placentiamque atque in utriusque agros dominatio usque ad annum 1545. quemadmodum dictum est; sed etiam ex tributo quotannis palam a Farnesiis exhibito, ac etiam ex publicis legationibus actisque aliis celeberrimis, nemine unquam reclamante usque ad memoriam nostram confectis, validissime statuitur, neminem præter unam Apostolicam Sedem in hunc Ducatum aliquid juris unquam habuisse; sique habuisset, illud omne prorsus amissum. Etenim, ex Hugonis Grotii sententia, *qui rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, is* (*nisi* CAUSSA ALIA MANIFESTE APPAREAT) *non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet*. Nulla sane alia *manifesta* caussa apparet, quamobrem tot actis reclamatum non fuerit, nisi quia pro magno numero jurium Romano Pontificatui faventium, pro tot pactionibus, fœderum capitibus, atque Imperatorum promissionibus, quæ, docente Besoldo, jurisjurandi vim obtinent, nemo unquam potuit rei tam certæ & vulgatæ *manifesto* reclamare. Viri enim Principes Dei majestatem imitantur, cujus verba *juramenta sunt, legesque divinæ & sacratissima jura: cujus argumento est, quod effectu non caret quicquid ille dixerit, id quod est proprium jurisjurandi*. Ideo summa hæc Romanæ Sedis potestas nulla vi, nullisque oppugnationibus, per Caussidicum Mediolanensem aut alios productis aut producendis, infirmari aut concuti unquam poterit: qui quidem Caussidicus cæco studio abreptus quoquo modo tuendæ caussæ, ab se præter rationem æquitatemque omnem susceptæ, ut damnum Sedi Apostolicæ inferat, nec tempora, nec facta morari videtur, certissimis quibusque & gravissimis actis factisque fidem audacissi-

De Iure belli & pacis lib. 2. cap. 4. §. 5.

De Fœderum jure cap. 6. §. 5. pag. 77.

LIBER III. cissime denegans, res antiquas & recentes dissimulatione & mero contemptu præteriens, æquales scriptores, Francos, Langobardos, totque alios, Bibliothecarium, Codicem Carolinum, unde quæ ad supremum Sedis Apostolicæ imperium adstruendum pertinent, præcipue ab hominibus sanæ mentis petuntur, etiam ignorans. Insuper rerum ab ipso Carolo V. gestarum, quibus probationes suas infeliciter fulcire conatur, rudem se omnino atque imperitum ostendit. Præterquamquod puerilem vulgi errorem credulus sequitur, dum ex vulgari opinione de veteri illo Romano Imperio ipse de hoc nostro Occidentali miserrime disputat, quod, tamquam esset a Deo institutum, universas mundi regiones complecti sibi facillime persuadet, adeout quod ad vetus illud Imperium olim pertinuit, id omne quasi *ex jure divino* ad hoc pertinere atque immutabile haberi deberet: quo ipso jure vir bonus Christi Ecclesiam defraudat, cum contra omnibus pateat, ut alibi dictum est atque hic repeti potest, Imperium æque ac cetera Regna, nullo negocio in id periculum adduci posse, ut de suis regionibus dimicet aut *jure belli* aut *pactionibus*, aut *derelictione*, si quidem rationem ipsam & auctoritatem Jurisconsultorum apud Grotium attendimus, qui nos ita docet: *ne in omnia quidem, quæ olim fuere Populi Romani, Imperator Romanus jus nunc habet. Multa enim ut bello quæsita, ita bello amissa sunt. Alia* PACTIONIBUS, *alia* DERELICTIONE *in aliarum gentium aut Regum jus transierunt. Quædam etiam civitates olim plane subditæ, postea tantum ex parte subditæ, aut tantum inæqualiter fœderatæ esse cœperunt. Nam* OMNES *hi* MODI *aut* AMITTENDI *aut* MUTANDI JURIS *non minus* ADVERSUS *Romanorum Imperatorem*, *quam* ADVERSUS *alios valent*. Profecto si hæc cum veritate minus consentirent, terras omnes miscere & usque ad Adami tempora remeare oporteret: quod fortasse multorum rationibus parum conduceret.

De Iure belli & pacis lib. 2. cap. 22. §. 13. & in notis.

Tot

LIBER III.

XXXIII.

Acta Summi Pontificis CLEMENTIS XI. cum aliis Innocentii XII. conferuntur & comprobantur, Imperatorque Leopoldus defenditur.

Tot & tam valida argumenta, ut sunt restitutiones, donationes, Carolinæ pactiones, summa potestate acta, Imperatoriæ declarationes, fœderum capita, possessiones, dominia, annua tributa, jurejuranda, publice gesta, & celeberrimæ legationes, hoc perficiunt, ut dum CLEMENS XI. Pont. Max. Parmam Placentiamque *Sedis Apostolicæ beneficium* appellavit, cum maxime proprie locutum fuisse, omnes consentiant. Quod vero admiratione longe maxima dignum est, nondum patefecimus. Ejusmodi certe hoc putamus, dum aliæ caussæ apprime recentes minime desunt, ob quas a nobis percipi nequit, cur Clementinæ declarationis verba, quamvis verissime pronunciata, tamquam ingenti novitate plena, excipi unquam potuerint. Anno 1691. Antonius Carafa Leopoldi Augusti exercitus in Italia imperator hiberna militibus, quos in variis Langobardiæ locis collocaverat, necessario quærens, eorum partem ad hiemandum in Ducis Parmæ ac Placentiæ regiones transmisit.. De his Innocentius XII. Pont. Max. sibi mature nunciatis cum Cæsareis ministris in Urbe morantibus, & mox cum eodem Carafa, cumque ipso Imperatore Leopoldo graviter conquestus, vehementissime postulavit, ut a Ducatu illo, ad Sedem Apostolicam pertinente, ejusmodi incommoda averterentur. Dux quoque Raynutius II. Imperatori ejusque consiliario Comiti Stratmanno significavit, in suo Ducatu Cæsareis militibus hibernas stationes non esse adsignandas, quas nunquam antea adsignasset, cum inter suam aliorumque Italorum Principum ditionem maxime interesset, ideoque tali onere eximendum. Si vero quidpiam in montibus ei esset, unde vectigal pendere cogeretur, *hoc præruptis jugis situm hiberna nullis copiis suppeditare posse ob loci sterilitatem, egestatemque populorum, quibus cum vitæ alendæ ratio non suppeteret, hieme quotannis ad victum sibi quæritandum alio recederent, itaut anno præterito fame absumpti fuissent, nisi*

1691.

V. in fine num. LXVII.

LIBER III. *nisi eos Dux ipse alimento ex horreis suis deprompto sustinuisset*. Leopoldus Augustus, qui non sine magna injuria, Imperii sui, in quo tot annos vixerat, vetera ac recentia jura sua ignoravisse dicendus est, ad Parmæ Placentiæque Ducis scripta respondens, ut ejus principatus suo imperio subjectos appellaret, nunquam cogitavit. Humaniter tantum, si id necessitas postularet, aliquid subsidii propterea se petere testatus est, quod publico bono copiæ Germanorum in Italia versarentur. Eoque rem conclusit, certo sciret Raynutius, Carafæ se imperavisse, ut ejus Principatus potissimam rationem haberet, neque amplius hiberna, sed unum militum sine ullo damno transitum, vel solum in extrema necessitate parum pecuniæ flagitaret. Ipsa Imperatoris verba huc afferre optimum factu existimamus, quamquam Cæsaream totam epistolam in fine adducemus: *Prænominato nostro Plenipotentiario in mandatis dedimus, ut* SINGULAREM *dilectionis vestræ* PROVINCIARUM CURAM *&* RATIONEM HABEAT; *& non tantum* TRANSITUM, *siquem forte per eas facere contingat, quoad fieri poterit*, OMNINO INNOXIUM *præstet, sed etiam nisi extrema & insuperabilis necessitas impendeat*, MODICIS *aut subsidiis pecuniariis, aut annona contentus, eas hospitationibus militaribus eximat*. Si tota ergo Leopoldi responsio perpendatur, de Farnesio semper loquitur, tamquam de Principe ex Imperii Germanici juribus prorsus excluso. Porro Leopoldum, rerum cognitione, litteratura, ac providentia supra ceteros instructissimum, anno Imperii sui quadragesimo in suis juribus dignoscendis se adeo ignarum manifestasse, ut ea etiam, quæ publice essent explorata & *plena historiarum fide* cognita ignoraret, quod Edicti post ejus mortem vulgati concinnator putavit, certe non sine summa tanti Imperatoris memoriæ offensione affirmari poterit. Neque dicendum, a Leopoldo eam epistolam ad Raynutium inconsiderate scriptam, si hæc eadem Innocentio XII. Pontifi-

V. in fine num. LXX.

tifici maximo & Mediolani Præsidi significavit, sique Carafa ex Cæsaris jussu ad Cardinalem Vicecomitem, & ad Parmæ Ducem ejusdem argumenti litteras misit. Quod ad Pontificem attinet, cum hic litteris ad Leopoldum datis conquestus esset, quod ad hibernandum in Parmæ, Placentiæque Principatus, qui *ditionis ejusdem Sedis feudum sunt*, milites transiissent, Imperator id ægre non tulit, quasi quæ minime essent, ea *Sedis Apostolicæ beneficia* nuncupasset: sed rationibus ab extrema necessitate petitis factum illud purgandum sibi esse censuit, testatus, se citra maximam egestatem, Principi Farnesio Apostolicæ Sedis vectigali nunquam incommodaturum fuisse: *persuasos*, inquit, *nos tamen esse oportet, eum* (Carafam) *nisi summa necessitate coactum, a Principis & nobis tam arcte conjuncti* & SANCTÆ SEDIS VASSALLAGIO ADSTRICTI, *ditionibus*, CERTO FUISSE ABSTENTURUM: Ubi hæc, Leopoldi ore pronunciata, Parmæ Ducem Sedi Apostolicæ subjectum clare non ostendunt, quid clarius in medium adduci possit, plane ignoramus. Mox Leopoldus incommodum extremæ necessitati tribuens, Carafæ se committere profitetur, ne a Duce Parmensi quidquam exigat ultra mediocrem pecuniam propter ea sola beneficia, *quæ ab Imperio recognoscit*, quæque *pauca tantum* appellat. Hujusmodi esse creditur *Bardum* & *Complanum*: quæ tamen intra *Æmiliam* & *Galliam Cispadanam*, & in montis Bardonis regione posita sunt. Imperatoris autem jura universa hæc duo tantum beneficia respexisse, non solum ex hactenus productis monumentis constat, sed etiam ex sententia Joannis Baptistæ Vici, historici atque in regia Neapolis Academia publici eloquentiæ professoris, Vitæque Carafæ scriptoris: qui Parmæ Ducem *beneficiis Bardo & Complano* Imperatori *obnoxium* appellat. Hæc eadem litteris ad finem hujus operis appositis, Carafa ipse demonstravit. Cum ab anno 1691. ad 1693. hæ vexationes productæ fuissent, rursus Impera-

LIBER III.

V. in fine num. LXXII.

1691.

De Rebus gestis Antonii Carafæ lib. 4. cap. 10. pag. 481.

LIBER III. ratori Leopoldo suas querelas Dux Farnesius significare coactus est, palam professus, gentem suam *nulli, præterquam uni Ecclesiæ Romanæ*, Principatus suos acceptos unquam retulisse: non Imperio, sed summæ Sedis Apostolicæ dominationi subesse; idcirco *singulis annis in pontificium ærarium magnum vectigal conferre, quod in harum urbium possessionem Farnesia domus ab Apostolica Sede missa fuerit*: idque in alia epistola Leopoldo his verbis a me quoque latine redditis memorat: *Farnesiam gentem a Sancta Sede in suarum regionum possessionem duobus abhinc sæculis inductam, Majestas tua non ignorat. Tibi pariter constat „Principes meos præcessores* OMNIA *semper* ECCLESIÆ ROMANÆ, NULLA *Imperio fidei & clientelæ argumenta edidisse: me* QUOTANNIS *Pontifici* TRIBUTUM *pendere, vereque posse dicere, hoc anno propter commeatus militibus alendis suppeditatos in magna egestate me ita versatum, ut mea fide obligata, Mediolano, Venetiis, atque aliunde triticum avehendum curaverim, ne hoc Ducatu moverer, qui, unico die census solutione retardata, ad alios migrat. Præterea tibi* NOTISSIMUM *est, hac de caussa, nunquam antea, quamvis res ejusmodi toties contigerit, Cæsarianis militibus in Italiam proficiscentibus, hanc* PONTIFICIAM *ditionem ejusmodi onera subire coactam*. Ut Farnesiam gentem uni Sedis Apostolicæ dominationi subjectam ostendamus, dicta his significantiora & majori auctoritate instructa excogitari vix possunt. Cum tamen adhuc Principatibus Farnesiorum molestiam inferre Cæsaris exercitus pergeret,

1697.

& Dux Franciscus, qui Raynutio successerat, Comitem Philippum Mariam Scotum Viennam Austriæ ad querelas hac de re effundendas, debitamque pro damnis sibi illatis mercedem ante promissam, enixe petendam misisset, Leopoldus decreto Augustali rerum suarum angustias rursus commemorans, se a Duce subsidium flagitasse profitetur, *non ex mero vasallagii debito (nam* PAUCA TANTUM *Serenissimus Dux a sacra Cæsarea Ma-*

V. in fine num LXXXI.

Majestate, & a sacro Romano Imperio FEUDA *recognoscit) sed pro spectato suo erga sacram Cæsaream Majestatem observantiæ studio collatum*. Ut hæc omnia undequaque probatissima sint, litteras ipsas a Pontifice, a Cæsare, a Parmæ Duce, & a Carafa ea de re scriptas in fine proferemus: ex quibus sane constabit, non sine ingenti Imperatoris dedecore & contumelia ullum contra sentire posse, quasi vero Leopoldus, vir tantus, ad quadragesimum jam annum regnans, semper in ea rerum suarum ignoratione versatus fuisset, ut neque ex publica fama, neque ex librorum lectione, cui operam dabat, neque ex consiliariis suis, summa prudentia & rerum usu præstantissimis, tantam tamque exploratam veritatem ne fando quidem audivisset, qualis, quantaque hæc prædicatur, amplissimum hoc nempe, celeberrimumque beneficium *Parmæ Placentiæque Ducatus*, non ad Apostolicam Sedem, sed ad Imperium *plena historiarum fide* spectare; quando tamen contra nisi rem tam perspicuam & omnibus notam aliunde Leopoldus percepisset, hunc saltem Raynutius II. anno 1680. in libro ejusdem Leopoldi nomini inscripto, & ex Vindobonensis Academiæ typographia vulgato, cujus auctoritate in toto hoc opere sæpe usi sumus, de re omni undequaque docere poterat. At vero hujusmodi documentorum subsidiis Leopoldus minime eguit, singulari perspicacia, prudentia, ingenioque instructissimus, quippe qui semper atque optime novit quod omnes norunt, Ducatum scilicet Parmæ & Placentiæ ad Sedem Apostolicam pertinere: idque scriptis suis consignavit, actisque Augustalibus, ad Summum Pontificem, Parmæque Ducem missis consignari jussit. Idque non fortuito, ex improviso, aut temere egisse putandus est, sed tot annorum matura consideratione, quot ab anno 1691. ad annum 1698. effluxerunt, quorum spacio rei summa in longam consultationem adducta est. Quod cum ita se habeat, ab hac sententia discrepare nemi-

LIBER III. nem posse putamus, quin veritati ac justitiæ manifeste adversetur, de cujus securitate ab omnibus quidem certe, maxime vero a Principibus, laborandum est.

XXXIV.

Clemens XI. in pontificiis actis vulgandis præcessorum suorum regulis utitur.

Ex tot tantisque argumentis rerum veterum ac recentium, quas perpetua documentorum auctoritate firmavimus, consequens fit, summum Pontificem CLEMENTEM XI. in iis, quæ de regionibus Sedis Apostolicæ imperio subjectis constituit, se æquissimum præbuisse & a quacunque cogitatione alienissimum, ut non suis rationibus damnum, etiam minimum, inferre vellet; quandoquidem iis unice institit, quæ in hujusmodi tempestatibus a decessoribus suis acta fuerunt, & præcipue ab Hadriano I. cui, per Desiderium Langobardorum Regem, rebus Sancti Petri occupatis, nullum salubrius remedium animo occurrit, quam, ut alibi diximus, per Eustrathium Albanensem, Andream Prænestinum, ac Theodosium Tiburtinum Episcopos illi canonicas pœnas ex tradita sibi divinitus potestate denunciare. Atque hæc pauca sufficiant, ut verbosam, ineptam, omnique prorsus ratione imparatam & male sartam Caussidici Mediolanensis theologicam rhapsodiam, qua Pontificis auctoritatem convellere studet, eversam & confutatam putemus. Nunc monendum superest, si in hoc libro pro juribus Sedis Apostolicæ necessario patefaciendis & defendendis, de urbibus, opidisque Ecclesiæ Romanæ patrimonio olim adjunctis institui mentionem oportuit, nos historice tantum locutos, ut omnes intelligant, quam parum ferendæ illorum voces sint, qui Romanam Ecclesiam rebus suis per tot sæcula amplissimo jure possessis spoliandam minantur, tot juribus antiquis & recentioribus contra clamantibus, dum Adversarii nihil omnino adducere possunt, quo acta sua, minima etiam ex parte, tueri possint, nisi forte quæ sub *Advocatiæ* speciem, aut odio in Summos Pontifices, ob prava aliorum consilia suscepto, quibus privato pu-

Defensio II. pag. 161.

publicoque damno optimi etiam Principes sæpissime falluntur; aut nisi denique in patrimonia Sancti Petri olim violenter gesta nunc tandem pro veris juribus accipiantur. De hujusmodi actis & diplomatibus fraudulenter extortis, nulloque jure concessis, melius me verba facere posse non video, quam si ea ipsa, quæ Dux Raynutius Leopoldum Imperatorem alloquens ex Arnisæi sententia usurpavit, ego quoque usurpavero: *Tandem nullum* (ait Raynutius) *in his investituris faciendum est fundamentum; nam in cruentissimis Italiæ motibus, quibus per tot sæcula fuit hæc regio dilacerata, erat illorum temporum aut genius aut necessitas, ut feuda a præpotentibus recognoscerentur aut spe defensionis aut metu violentiæ, nulla justitiæ aut juris superioris domini consideratione habita.* Itaque, ut de aliis actis in Sedis Apostolicæ regiones sileam, sub Ottone IV. præsertim id contigit: qui tamen morti proximus injurias omnes Sedi Apostolicæ illatas reprobavit, easdemque reprobando argumentum certissimum edidit, quo illarum injustitiam agnovit. Recens hujus Ottonianæ palinodiæ documentum, coram multis prolatæ quo tempore nullus fingendi locus, ac simul ejus Testamentum, nuper vulgavit Edmundus Martene vir clarus, qui non Romæ, sed in Gallia libros suos in publicum emittit. Hoc vero propter illa, quæ alibi diximus, addendum censemus.

Remonstratio §. CLI.

Defensio I. pag. 234.

Defensio II. in præfatione pag. IV. & 163.

Thesaurus anecdotorum tom. 3. pag. 1375.

XXXV.

Quæ antiquitus in patrimonia Sancti Petri acta, irrita ac nulla fuerunt. Ecclesia Romana multa amisit.

Quod ad ea pertinet, quæ antiquitus in regionibus Sedi Apostolicæ subjectis acta fuerunt, quæque per se ipsa irrita ac nulla fuisse alibi demonstravimus, sicut etiam in libro toties a nobis adducto Dux Raynutius egregie demonstravit, iisdem hoc in loco repetendis tempus diutius non teram; neque ipsa Apostolica Sedes in urbes atque opida, olim vere sua, concessa diplomata in medium producit. Hujus generis fuit *Allodium*, seu bona atque opida universa a Comitissa Mathilde Sancto Petro legata, quæ, tamquam ipsius propria, Imperatores omnes agnoverunt.

Baronius A. D. 1133. §. 3.

In

LIBER III. In hujus *Allodii* possessionem ab Innocentio II. Pontifice in Basilica Lateranensi Imperator Lotharius II. una cum Agnete uxore *ex Apostolicæ Sedis dispensatione per annulum* inductus est, non clam, sed publice, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, aliisque majorum gentium viris spectantibus, onere imposito, ut *centum libras argenti* Sedi Apostolicæ *quotannis* exsolveret, ac post ejus obitum *proprietas & jus ad* DOMINIUM *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum* INTEGRITATE *absque diminutione & molestia* reverteretur, utque arcium, opidorumque præfecti, Summo Pontifici fidem ac jusjurandum darent. Præterea ut hic honor ad Henricum quoque Bavariæ Ducem ejusque uxorem Lotharii filiam perveniret, Innocentius indulsit. Hæc Mathildis bona, *allodii* nomine significata, quemadmodum alio in loco demonstravimus, magnam *Parmensis*, *Placentini*que agri partem complectebantur. Reliquiæ pontis, mirabili arte facti, quem ipsa Trebiæ fluvio imponi jusserat, adhuc supersunt. Imperatoribus Lothario II. & Conrado III. elatis, Mathildis *allodium*, simulque alia Ecclesiæ patrimonia usurpata fuisse compertum est. Idcirco per Hadrianum IV. Friderico I. duo Legati ad ea repetenda missi, quemadmodum in Poemate historico de Friderici rebus gestis scripsit Germanus Poeta Guntherus, tunc florens: quod Poema, sicut alibi diximus, Jacobus Spiegelius Imperatori Ferdinando I. commentariis ab se illustratum inscripsit. *Allodio* Ecclesiæ Romanæ restituto, nonnulla ejusdem loca Salinguerræ Taurello ab Innocentio III. possidenda sic tradita sunt, ut singulis annis Sedi Apostolicæ *quadraginta argenti pondo* persolveret, ejusdemque ditionem tueretur. Per Salinguerram VIII. Idus Septembres anno 1215. Pontifici Carpis data fides. Deinde Honorius III. XV. Cal. Majas anno 1217. Salinguerræ innovato diplomate multa sibi reservavit opida, de quibus longiorem narrationem instituere non vacat, ne actum agere videamur.

Defensio I. Dominii pag. 165.

Defensio I. Dominii pag. 96.

Hæc

LIBER III.

XXXVI.

Christiani omnes in partem bonorum Sancti Petri vocati, quibus Ecclesiæ Romanæ hostes tantopere invident.

Hæc a nobis hactenus dicta sunt, ut omnes intelligant, Summos Pontifices nunquam in aliena irruisse, quomodo eorum hostes passim dictitant, ut tam malis artibus Romanam Ecclesiam patrimonio suo, quasi injuste parto, exuant. Omnes omnium temporum Christiani Ecclesiæ Romanæ ditionem, ***patrimonia, res, & Sancti Petri justitias*** appellaverunt: atque hæ voces: ***res Sancti Petri, patrimonia Sanctorum Principum Apostolorum, ac Justitiæ Beati Petri*** in veterum scriptorum monumentis sæpe leguntur. Præterea hæc bona, regionesque, populorum religione & acclamatione, ac pariter Christianorum Principum pietate in Sancti Petri honorem Deo devotas, pro rebus sacris atque ***holocaustis*** Christiani omnes perpetuo consensu agnoverunt: quæ quidem gloriosissimis Principum consiliis, Deoque semper gratissimis, cum ad divinæ Majestatis cultum, illustriore celebritate amplificandum, oblata fuerint; qui tantæ laudi obtrectantes, perperam Sedi Apostolicæ ea donata dicere audent, longe certe falluntur. Nam ex omnium Annalium monumentis, ære perennioribus, atque ex certissimis scriptorum veterum & recentiorum testimoniis constat, semperque constabit, præstantissimam Francorum Principum gloriam in his erga Sedem Apostolicam magni animi significationibus fuisse positam: quarum memoriam nunc summo odio, summaque eorumdem decoris ac pietatis injuria, parique Romanæ Ecclesiæ offensione atque contemptu, penitus tollere quidam homines, certe minime probi, nituntur; caussam sane novam adducentes, de ***profanis bonis***, non vero ***contra fidem*** agi, quasi vero impia ac nefaria ea dumtaxat essent, quæ recta ad ***fidem*** perdendam aguntur, aut ***fidei*** prodesset Summos Pontifices, tamquam direptores alienorum bonorum ac latrones, per hominum ora impie traducere, atque in Ecclesiæ Romanæ patrimonia & fortunas invadere. Age vero, fructus ex his bonis, Ecclesiam Sancti Petri in tantam in-

Dominium pag. 9.
Defensio I. pag. 350.
Defensio II. pag. 17.

invidiam trahentibus, percepti, quibusnam in rebus per Summos Pontifices collocantur? Cujusnam sumptibus ad fines veræ Fidei protendendos tot virorum religiosissimorum coloniæ in ultima terrarum loca mittuntur? Porro illud latet neminem, strenuos & magnos viros, in rebus adversis constantia claros, & pro religione tuenda durissima passos, non alio tutius ac facilius, præterquam in hujus matris amplexus, accurrere. Innumeros captivos, apud Christiani nominis hostes asperam servitutem servientes, pecunia ex Sancti Petri *justitiis* collecta in libertatem asseri nunquid sæpe non videmus? His proventibus stant tot Romæ collegia, tot gymnasia: totque sacri cœtus ex variis gentibus, ac potissimum trans montes ac maria omnia positis, aluntur; summusque Pontifex certa Præsulis opera usus ad *centena aureorum millia* de suo in singulos annos egenis privatim distribuit, ut silentio prætercam ingentem auri, argentique vim, a Cardinalibus, Præsulibus, Principibus viris atque dynastis, aut omnino aut ex parte uni Ecclesiæ Romanæ sortis suæ amplitudinem acceptam referentibus, in ejusmodi pios usus erogatam. Quanta pecunia insumitur in alendos creberrimos advenas cujusvis generis, Romam confluentes, & non raro fortasse quosdam cum ipsis Sedis Apostolicæ calumniatoribus & obtrectatoribus conjunctissimos: quibus certe alibi hæc desunt? Illi insuper, in quos Ecclesiæ & Aulæ Romanæ præclara munera conferuntur, quot publica opera pie munificeque excitant, atque in his xenodochia, Christianorum omnium bono in quodvis tempus patefacta? Undenam Romanorum Magistratuum ac præcipue illius omnium spectatissimi, quem *Rotam* vocant, judices, nisi ex aliis Christianorum Principum regionibus eliguntur? Nequaquam certe ex unis provinciis Romano pontificatui subjectis. Sancti Petri ditio plerumque illis, qui externis Principibus parent, administranda, regendaque traditur. Idem de Apo-sto-

ſtolicis legationibus dicendum videtur. Romanam Aulam, contra quam, nulla prorſus veri & recti ratione habita, tot libelli vulgantur, flos gentium omnium ex univerſis terris lectiſſimus efficit atque conſtituit. Si vero ad unum illi omnes, ex quibus conſtat, ea ſemper non eminent vitæ innocentia, quæ viros ſanctos decet, quaque eminere deberent, & qua certe minime præditi ſunt qui in Sedem Apoſtolicam irruunt, hoc propterea fit, quod hæc noſtra non ſit Eccleſia triumphans, quam ſolum ſanctiſſimi quique componant. Nunc ergo jure optimo affirmandum eſt, in communionem partemque Sancti Petri patrimoniorum, in quæ hoc præſertim tempore torvi oculi intenduntur, Chriſtianos univerſos adſciſci: quæque ſingulis Pontificibus debentur, quod pro certis quibuſdam nationibus, ob Turcarum irruptiones, aliaſque calamitates in graviſſimum rerum diſcrimen adductis, Sancti Petri opes large profuderint, ea in tanti beneficii loco ponenda eſſe, ut ſemper debeantur, ac perpetua ſit oporteat & conſtans erga Sedem Apoſtolicam obſervantia, dum illa, ubi ita Catholicæ Eccleſiæ incommoda ſæpiſſime poſtulant, per ſummos rectores ſuos, ex ſuis patrimoniis collectos fructus longe lateque diſſeminat. Quare hoc a nobis vere pronunciari poteſt, populos pontificio imperio ſubjectos Eccleſiæ Romanæ proventibus fortaſſe parcius frui, quam alios, nullumque in terris Principatum haberi præter unum hunc pontificium, qui univerſis gentibus ad bonorum ſuorum & munerum ſocietatem, & ad dignitates aditum patefaciat, quique majorem omnium virtuti indiſcriminatim honorem habeat, quam hic habet, in quem hodie filii ipſi conjurant, quaſi Eccleſiam Romanam eo adducere vellent, ubi Hieroſolymæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Theſſalonicæ, Carthaginis, Magdeburgi, Bremæ, aliarumque regionum Eccleſias eſſe videmus; quamquam nos in fide ac ſpe certa ſumus, eandem a tanto periculo Dei providentia ſervatum

LIBER III.

iri, quicquid hostes ejus contra nitantur. Tandem vero hujus Religionis Christianæ metropoleos bona, in quæ tanta invidia conflatur, quæque nunc uno Ducatu Romano atque Exarchatu, neque eo toto atque integro, sed maxime imminuto, circumscribuntur, cum magnis, uberrimisque redditibus, qui huc antiquitus confluebant, comparata, profecto vilescunt. Pontificalis historia scatet exemplis donorum, quæ admiranda, innumera ac pretiosissima, Catholica fide ac religione florentibus, ad Sanctum Petrum a Principibus viris perpetuo mittebantur, ita ut valvæ ipsæ Basilicæ Vaticanæ argenteis, non quidem certe, quomodo hodie, æneis laminis, tegerentur. Ubinam sunt patrimonia, quibus ubique terrarum, ac in Galliis potissimum, in Illyrico, in Oriente Sedes Apostolica potiebatur, ut nihil interim dicam de Sicilia, Sardinia & Corsica? Non ex Anglia, Scotia, Hibernia, non ex Saxonia, Dania, Polonia, Svecia, non ex Pomerania, Bohemia, Hungaria, Croatia, Dalmatia; non amplius ex Aragonia, Lusitania, aliisque regnis, & provinciis Europæ uberrimi census in Apostolicum ærarium importantur: quorum jactura censuum quamvis vel ab invitis lacrymas exprimat, nuper tamen fuit qui sententiis, a consuetudine veterum bonorumque Christianorum omnino abhorrentibus, ex tanta calamitate sibi materiam Ecclesiæ Romanæ detrahendi atque irridendi suppeditatam putavit. Quamobrem Jacobus Gretserus, vir religiosissimus & clarissimus, ut antiquam veramque majorum nostrorum pietatem pravis gentis suæ a Catholica Religione aberrantis, opinionibus opponeret, dona atque alia Sancto Petro munifice oblata, Commentario complexa sigillatim descripsit atque defendit: cujus libri Appendicem cum *Arnaldo Brixiensi in Goldasto redivivo* postea vulgavit. His atque aliis gravissimis operibus in *Defensionibus summi imperii Sedis Apostolicæ* elucubrandis nos uti necesse fuit, ut optimi insignisque Theologi & Tra-

Raymundus Rufus in Molinæum pag. 651. 652.

Defensio II. pag. 78.

Gregorii VII. lib. 2. epist. 7. 13.

—Lib. 8. epist. 10.

Vita S. Gregorii Magni to. 4. operum edit. nova pag. 271. §. 6.

Observationes pag. 94. 95

Defensio II. pag. 28. 29. 79. 80.

Gretseri Comment. de Principum munificentia in Sedem Apostolicam pag. 49 58. 72. 74.

Defensio I. pag. 71. 73. 360. 365. 368. 382. 383.

LIBER III.

& Tractatoris argumentis malesanam Goldasti doctrinam refelleremus, aliorumque de eadem schola, qui in Sancti Petri *justitias*, in donationum documenta, ipsasque donationes, per Francos Reges, omnibus approbantibus ac plaudentibus, pro Romanæ Ecclesiæ utilitate, Deo antiquitus factas, bacchari non erubescunt. Sed contra eos, qui in his rebus, Sedem Apostolicam aggressuri, immortalibus Catholicorum Principum laudibus ignominiæ notam affingere nisi sunt, satis fortasse alibi disputavimus.

Defensio II. pag. 16. 29. 34. 40. 49. 81. 84 87 95. 116. 142. 152. 164. 176.

Defensio I. pag. 70.

XXXVII.
Opus clauditur.

Nobis hactenus res fuit cum Italis externisque scriptoribus ita natura comparatis, ut duplici via, falsitatum altera, altera contumeliarum in Sedem Apostolicam irruere non dubitaverint. Quare in nostris defensionibus argumentorum pondere atque evidentia illæ repellendæ fuerunt; hæ autem sincero ac simplici dicendi genere, quod veritatem justitiamque perpetuo comitatur, a me comprimendæ fuerunt: in quo quidem ordine Sancti Thomæ Aquinatis doctrinam absolutissimam nobis præsto esse comperimus. Et sane studium illud ardentissimum tuendæ veritatis, quo Sancti Patres, omnium post Apostolos magistri, flagrarunt contra errores & mendacia, hanc viam pariter instituit, quemadmodum Antonius Arnaldus in libro, quem de hoc argumento conscripsit, fuse demonstrat. Interea ne in aliis rebus persequendis longior sim, huic Historiæ finem imponam verbis non quidem scriptoris cujuspiam, *a Sede Apostolica mercede conducti, aut barbarorum temporum de plebe caussidici*, sed Duckii Britanni, perinsignis, sincerissimique Jurisconsulti, qui de Ecclesiæ Romanæ Principatibus sermone habito, deque ejusdem juribus sibi probe cognitis atque perspectis, hæc miro candore animi scripta reliquit: OMNES JURISCONSULTI *affirmant*, PONTIFICEM *Romanum esse* DOMINUM SUPREMUM *in suis dominiis temporalibus: omnia posse facere, quæ Reges in Regnis suis & Imperator in Imperio possunt:*

Parte secunda secundæ partis quæst. 72. artic. 3. in corpore.

De Usu & Auctoritate juris civilis Romanorum lib. 2. cap. 3. § 3.

LIBER III. *non habere in suis dominiis aut superiorem aut parem: posse leges generales condere: posse Duces, Marchiones & Comites creare, feudaque regalia concedere, sicut Principes supremi: habere intentionem fundatam, quoad jurisdictionem, in dominiis suis, sicut alius quilibet Princeps supremus. E diverso etiam Imperatoris Romani* POTESTATEM *adeo esse* EXTINCTAM *in* DOMINIIS PONTIFICIS, *ut in iis habendus sit pro privato; non possit* ROMÆ, *aut in* DOMINIIS PONTIFICIS *existens legitimare, nec alium* QUEMVIS ACTUM JURISDICTIONIS *exercere, nec legem aut constitutionem generalem promulgare, neque citationem verbalem exequi mandare.* Hæc, quæ prudentissime, sapientissimeque Duckius litteris prodidit, quemadmodum omnium juris interpretum decretis sanciuntur, *omnes jurisconsulti affirmant*, majorem certe fidem sibi promerentur, quam quæ omnino absurda & spissis cavillationibus plena volumina, per manus hominum nudius tertius volitare conspeximus. Verba ab eodem Duckio Britanno de Duce Parmensi pronunciata, totam hujus generis orationem concludant: *Sedis etiam Romanæ* FEUDATARII *sunt* DUCES PARMÆ, *habentque potestatem supremam in subditos suos, quam in* CONCESSIONIBUS & INVESTITURIS SUIS *acceperunt.* Nunc reliquum est, ut varia diplomata atque Acta, jam inde a sæculo XIV. ad finem XVII. edita, legentium oculis subjiciamus: quæ præter cetera, a Scriptoribus per me laudatis passim indicata vel omnino descripta, ut maxime omnium necessaria & præcipua consideratione dignissima, ab æquitatis & justitiæ æstimatoribus perpendenda esse videntur. Etenim incorrupto justissimorum hominum judicio Petri Sedes, veritate, totque juribus præclare munita, unice alacriterque confidit, erecta pariter ad optime sperandum gravi hac Theodoreti sententia: *veritate nihil est potentius. Potest enim illa etiam cum paucis vincere.*

Lib. 2. cap. 3. §. 14.

Epist. 88.

Finis Libri III.

AP-

APPENDIX
ACTORUM
A SÆCULO XIV. AD XVIII.

QUÆ LAUDANTUR

IN HISTORIA

SUMMI IMPERII

APOSTOLICÆ SEDIS

IN DUCATUM

PARMÆ ET PLACENTIÆ

I.

Placentia Apostolicæ Sedi per Verzusium Landum recuperata, Joannes XXII. Summus Pontifex Cardinali Bertrando Legato Apostolico mandat, ut Civitatis administrationi Landum præficiat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

Salutem & Apostolicam benedictionem.



Udita nuper Civitatis Placentiæ RECUPERATIONE votiva, in qua per dilectum filium nobilem Virum Verzusium de Lando impensa strenuæ militiæ studia in Domino plurimum commendamus, discretioni tuæ præsentium tenore COMMITTIMUS & MANDAMUS, quatenus ejusdem Civitatis STATU ET CONDITIONE pensatis, COMMITTAS AD TEMPUS præfato Verzusio REGIMEN CIVITATIS ipsius, prout videris expedire: de quo literarum tuarum commoda series curet nos reddere certiores.

Ad lib. 2. cap. 9. pag. 84.

1322.

Ex tabulario Vaticano.

Datum Avenione x. Kal. Novemb. Pontificatus anno VII.

N O T A.

Bertrandi Cardinalis Legati auctoritate, Lando, postquam *de manibus & captivitate Galeatii Vicecomitis, tyranni, inimici, & rebellis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Placentiam eripuisset, veterique Sedis Apostolicæ imperio reddidisset, Placentini decem millium librarum summam, in *feudi* seu beneficii emptionem convertendam, adsignarunt, *jurante dicto Verzusio, prout juravit, quod tenebit semper partem* SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, *eritque ei* FIDELIS *sub pœna* PRIVATIONIS *dicti* FEUDI. Hæc in tabulis per Campum editis.

Histor. Placentiæ to. 3. pag. 282. § 23.

Joan-

I I.

Joannes XXII. monet Rubeorum gentem, ut Placentinorum exemplum imitata, Parmæ urbem ad antiquum Sedis Apostolicæ imperium redire satagat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo, Rolando & Andreasio de Rubeis Parmensibus Civibus

Spiritum consilii sanioris.

Ad lib. 2. cap 11. pag. 90.

1322.

Ex tabulario Vaticano.

NOveritis, nos recepisse noviter literas, per quas a NON ADMISSIS EXHORTATIONIS nostræ sollicitis monitis, TYRANNICA PRÆTENSA FORMIDINE, vos plurimum excusatis. Sane cum jacere fundæ saltem unum percutiat, multos terrens, ne longe quærantur exempla, ex felici RECUPERATIONE CIVITATIS PLACENTIÆ, in qua opprimens vos & concives vestros TYRANNUS ille succubuit: cujus vires unius casus ingruentia subjicit obstupescunt, nec per effectum evidentissimi operis tollitur vestra constantia ipsius causa formidinis, nec metus omnis excutitur, dum porrigitur securitatis materia invictæ fidei vestræ votis, ut ABIICIATIS MOLESTÆ SERVITUTIS OBNOXIA, & resumatis LIBERTATIS PRISTINÆ ornamenta. Oh acceptabile tempus ad prospera sub aliqua pretii æstimatione non cadens! Oh via recto parata consilio! O felix consilium rebus aptum! Quando & qualiter, viri probi, vestris affectibus, similia istis facta contingent? Ubi & quomodo, viri fortes, sic vobis auspicia facultatis proximæ arridebunt? Profecto, nisi dum habetis lucem, protensis passibus ambuletis, superveniente noctis caligine, qua oportet subsistere ambulantes, & agendarum proposita protelantur, arguetis votiva celeritate desideria; medelam ulceratis ex jugo cervicibus, increpabitis retardatam. Quocirca discretionem vestram rogamus, & per viscera Domini Nostri Jesu Christi in remissionem peccaminum obsecramus; qua

quatenus vicina consilia propinquis effectibus maturantes, AD INSTAR dilectorum filiorum PLACENTINORUM FIDELIUM, qui VIGENT IN GREMIO Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam notabili probitate, moræ sublatis obstaculis, ita prudenter & ita viriliter vestro animarum & corporum salubri statui consulatis, quod ipsa Romana Mater DURIS TYRANNORUM SAUCIATA DOLORIBUS super vos & dictos concives vestros, peculiares ejus utique filios, præcipitio deditos, amaris fletibus ingemiscens, de utrorumque salute suscipiat pro gemitu gaudium, nosque de gratis successibus placatæ ipsius Romanæ Matris Ecclesiæ dignas actiones reddamus Altissimo gratiarum.

Datum Avenione tertio Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno VII.

III.

Pontifex Joannes XXII. Corrigiæ dynastis Placentinorum exemplum proponit, ut per eos antiquæ Sedis Apostolicæ dominationi Parma adjiciatur.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis nobilibus viris Symoni, Guidoni & Azoni natis quondam Giberti de Corrigia Militis

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1322.
Ibidem.
Ex tabulario Vaticano.

PArmenses Cives erga devotionem Apostolicæ Sedis nescimus quo spiritu seducente, parentum vestigia non sequentes, quamvis in hac parte cognoscant lubricum labentis eorum pedis in devium, a quo REDIRE IPSOS pridem NOSTRA EXHORTATIONE MONUIMUS, & REDITUM eorum ad tramitem SOLITÆ DEVOTIONIS in desiderio gerere, per suas responsales literas fateantur. Pro eo tamen executione prætensa, id se non posse perficere asserunt, quod timendam scilicet VICINAM TYRANNICÆ MALIGNITATIS POTENTIAM metuebant. Verum

 quia

quia divina provisio, sicut ex alto disposuit, ad DEVOTIONEM dictæ Sedis, ut nostis, CIVITATEM PLACENTIÆ jam REDUXIT, cujus eventu cessavit pristini metus causa, ecce dictis Parmensibus Civibus, ut causa qualibet excusationis omissa, desiderium suum hujusmodi effectibus exprimant, EXHORTATORIA MONITA INCULCAMUS. Propter quod, reditu vestro ad civitatem Parmæ lætanter audito, cujus Rectoribus fiduciose jungimini glutino caritatis, nobilitatem vestram, de qua plene confidimus, exhortamur attente, quatenus tam apud eosdem Rectores, quam præfatos Parmenses Cives, de quibus expedire videritis, quod nostris salutaribus monitis annuant tam opera, quam operosis studiis pro reverentia nostri & prædictæ Apostolicæ Sedis, efficaciter insistatis, ita quod, sicut diligentiam inde vestram grata relatione noverimus, sic devotionis & promptitudinis vestræ solertiam tam laude, quam præmio commendemus.

Datum Avenione tertio Nonas Novembris, Pontificatus anno VII.

I V.

Pontifex Joannes XXII. Bertrando Cardinali Placentiæ Legato caussam Francisci Scoti Placentini apud se oratoris, commendat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 9. pag. 86.

1325.

Regesta Jo. XXII. *anno* X *to.* XXIV. *Par.* II. *fol.* 145.

Ex tabulario pontificio Avenionensi.

Exposuit nobis dilectus filius Franciscus Scotus Civis Placentinus, AMBAXIATOR dilectorum filiorum COMMUNIS CIVITATIS PLACENTIÆ, quod Manfredus de Lando concivis suus, ut fautor filiorum damnatæ memoriæ Matthæi Vicecomitis de Mediolano de hæresi condemnati, castrum Zavatarelli cum pertinentiis suis,

ſuis, ad ipſum Franciſcum pertinens, Bobienſis diœceſis, per viginti annos vel circa detinuit & adhuc detinet occupatum, ac reſidet in eodem, & proventus uſque ad valorem trecentorum quinquaginta florenorum auri annuatim ex illo percepit. Quare dictus Franciſcus nobis humiliter SUPPLICAVIT, ut ſibi PROVIDERE ſuper iis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui ſumus omnibus in juſtitia debitores, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta COMMITTIMUS & MANDAMUS, quatenus PARTIBUS CONVOCATIS, per te vel alium ſeu alios de præmiſſis ſimpliciter & de plano & ſine ſtrepitu & figura judicii plenarie te informans, facias ſuper iis AUCTORITATE NOSTRA JUSTITIÆ COMPLEMENTUM, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere, non obſtantibus, ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Avenione XV. Kal. Julii, anno decimo.

NOTA.

Pontifex Cardinali Bertrando eodem die mandavit, ut oratori Scoto ex reipublicæ Placentinæ vectigalibus ſex & decem millia nummum collecta reddenda curaret: quæ pater ejus Albertus, eamdem urbem defendens, pro bono publico impendiſſet. Hac de re conſulatur Campus. *Tom. 3. pag. 285.*

V.

Pontifex Joannes XXII. mandat Cardinali Bertrando, ut filiabus Maxoni Ferrabovis in iis, quæ illi a Placentinis adsignata fuerant, satisfaciat, propterea quod cum Apostolicæ Sedis militibus recuperandæ Placentiæ operam dederit.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1325.
Ibidem.

SIgnificavit nobis dilectus filius Franciscus Scotus Civis Placentinus, AMBAXIATOR dilectorum filiorum COMMUNIS CIVITATIS PLACENTIÆ, quod cum quondam Maxonus Ferrabos Civis Placentinus jam sunt tres anni elapsi perforasset MURUM CIVITATIS ejusdem, mortis periculo se exponens, quando dilectus filius nobilis vir Verzusius de Lando de Placentia CUM MILITIBUS ECCLESIÆ CIVITATEM CEPIT eandem, Commune prædicti constituerunt eidem Maxono dare quingentos florenos auri, solemni super hoc deliberatione secuta: quam florenorum summam nondum solverunt eidem. Quare dictus Franciscus nobis humiliter SUPPLICAVIT, ut cum præfati Maxoni remanserint duæ superstites filiæ inopes & innuptæ, eisdem filiabus de prædicta summa SATISFIERI FACEREMUS. Nos igitur, qui sumus omnibus, præsertim pauperibus & orphanis in justitia debitores, discretioni tuæ per Apostolica scripta COMMITTIMUS & MANDAMUS, quatenus partibus convocatis, per te vel alium seu alios de præmissis simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura judicii plenarie te informans, facias super iis AUCTORITATE NOSTRA JUSTITIÆ COMPLEMENTUM, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timo-

timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Avenione XV. Kal. Julii, anno decimo.

VI.

Pontifex Joannes XXII. a Parmensibus rogatus, ut nonnulla Manfredini ac Thomæ Pallavicinorum proscripta beneficia Luporum genti concedat, Cardinali Bertrando in illis regionibus Legato Apostolico mandat, ut ea de re omnino cognoscat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 9. pag. 86.

1335.

Regesta Jo. XXII. anno X. &. XXIII. Par. I. fol. 494. Ex tabulario Avenionensi.

Dilecti filii Populus & Commune Civitatis Parmensis nuper nobis humiliter SUPPLICARUNT, ut POSSESSIONES, HONORES, JURISDICTIONES & JURA, quæ quondam Manfredinus & Thomas Pelavicini, qui, sicut asserunt, fuerunt de hæresi condemnati, tenuerunt & possederunt in Curiis Soraneæ, Parolæ, & Curiæ Redaldi Parmensis & Cremonensis diœcesium, quæve, ut dicitur, propterea fuerunt ROMANÆ ECCLESIÆ CONFISCATA, dilectis filiis Nobilibus viris Montino, Hugoloto, Guidoni, Bonifacio, Antonio, & Raymundino de Lupis Civibus Parmensibus, qui pro eminenti briga ab INDEVOTIS ROMANÆ ECCLESIÆ damna gravia incurrisse dicuntur, concedere dignaremur. Quia igitur de præmissis notitiam non habemus, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam

ciam gerimus, præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus de præmissis & eorum conditionibus & circumstantiis in talibus attendendis diligentius te informes, & quæcumque super iis inveneris, & quid in hac parte faciendum tibi videatur expediens, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures.

Datum Avenione IX. Kal. Februarii, anno decimo.

VII.

Pontifex Joannes XXII. Cardinali Bertrando imperat, ut Franciscæ Scotæ Gerardi Claponi uxori bona ac domus, Placentiæ, tyranni Galeatii Vicecomitis tempore, diruta atque occupata refici & restitui satagat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1326.

Regesta Jo XXII. *tom.* XXIV. *Par.* I. *fol.* 114.

Ex tabulario Avenionensi.

EXposuit nobis dilecta in Christo filia Francisca, nata quondam Alberti Scoti ac relicta quondam Gerardi Claponi civium Placentinorum, vidua Placentina, quod dudum Galeacio de Vicecomitibus de Mediolano de hæresi condemnato CIVITATI & DISTRICTUI PLACENTINIS per OPPRESSIONEM TYRANNICAM DOMINANTE, dictus Albertus una cum nonnullis nobilibus Placentinis per gentes ipsius Galeacii captus & Mediolanum ductus, filius Antoniolus ejusdem Franciscæ natus, tunc in tertio vel quarto ætatis suæ anno constitutus, per easdem gentes Placentiæ captus extitit & detentus: deinde vero dicta Francisca una cum eodem Antoniolo nato suo de manibus prædictorum gentium liberato, persecutionem dicti Galeacii fugiens, ad CASTRUM ARQUATUM Placentinæ diœcesis, tunc eidem Galeacio contrarium & rebelle, se transtulit, ipsis-

ipsisque in eodem castro manentibus, gentes prædictæ, ac cum eis etiam cives aliqui Placentini, tunc eidem Galeacio adhærentes, DOMOS Franciscæ & Antonioli prædictorum, quas habebant in CIVITATE prædicta, diruerunt, & nonnulla eorum BONA MOBILIA & IMMOBILIA exquisitis variis coloribus & dolosis commentis, ac fraudulentius machinationibus invaserunt, diripuerunt, ac etiam occuparunt, ipsaque OCCUPATA DETINENT INDEBITE & INJUSTE. Quare eadem Francisca nobis humiliter SUPPLICAVIT, ut sibi & eidem Antoniolo PROVIDERE SUPER iis de OPPORTUNO REMEDIO dignaremur. Nos igitur, qui sumus omnibus, præsertim viduis & orphanis, in JUSTITIA DEBITORES, de præmissis notitiam non habentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus per te vel alium seu alios vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propositis, super præmissis summarie & de plano sine strepitu & figura judicii facias AUCTORITATE NOSTRA JUSTITIÆ COMPLEMENTUM, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum Avenione VIII. Idus Octobris, anno undecimo.

Pon-

VIII.

Pontifex Joannes XXII. Hugolinum Parmæ Episcopum totamque Rubeorum familiam laudibus extollit, quod urbs ad Ecclesiæ Romanæ dominationem illorum opera reversa fuerit, eumque hortatur, ut in fide erga Apostolicam Sedem constanter persistat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Hugolino Episcopo Parmensi

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib.2. cap.9. pag. 86.

1326.

Ex tabulario Vaticano.

LÆtanter audivimus, quod te, frater, ac dilectis nobilibus viris Rolando & Marsilio de Rubeis familiaribus nostris, germanis tuis, VOLENTIBUS & PROCURANTIBUS, Parmensis civitas nuper SUB NOSTRO SPECIALI REGIMINE SPONTE & LIBERALITER SE SUBMISIT. Et licet civitatem ipsam dum per germanos regeretur eosdem, IN MANIBUS NOSTRIS EXISTERE, reputare merito valeremus; ex tua tamen, quam super his adhibere studuisti principaliter, sicut pro certo didicimus, opera efficaci, ac dictorum germanorum tuorum FIDELITATE, quam in hoc casu operis exhibitione cognovimus, læti quamplurimum efficimur & jucundi, fraternitatem tuam attentius exhortantes, quatenus ut eadem civitas ERGA NOS & ROMANAM ECCLESIAM in DEVOTIONIS & FIDELITATIS SOLIDITATE PERSISTAT, sic studeas operosam sollicitudinem adhibere, dilecto filio Bertrando Tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato & ALIIS FIDELIBUS, opportunis auxiliis & consiliis assistendo, quod exinde nostram & Apostolicæ Sedis benedictionem & GRATIAM uberius valeas de bono semper in melius PROMERERI.

Datum Avenione IX. Novembris, anno XI.

Pon-

IX.

Pontifex Joannes XXII. Parmæ Magistratus laudat, quod cum urbe & agris ad Sanctæ Sedis imperium redierint.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Regiminibus, Consilio & Communi Parmensibus, nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelibus

Salutem & Apostolicam benedictionem.

LÆtanter audivimus, quod vos, qui tanquam benedictionis & gratiæ filii, Romanam Ecclesiam matrem vestram studuistis in omnibus hactenus venerari, nunc DEVOTIONEM vestram, qua clarere non cessatis, jugiter erga eam in lucem clariorem deducere, ut FIDES lucidius comprobetur OPERIBUS, procurantes, civitatem Parmensem cum suo COMITATU & TERRITORIO in NOSTRO & IPSIUS ECCLESIÆ SPECIALI REGIMINE REALITER POSUISTIS: super quo VESTRÆ DEVOTIONIS PROMPTITUDINEM cum gratiarum actionibus plurimum in Domino commendantes, vestram prudentiam attentius exhortamur, quatenus in DEVOTIONE ac FIDELITATE hujusmodi, pro quibus in conspectu Sedis Apostolicæ locum præcipui favoris & gratiæ vobis & vestris posteris vindicastis, sic CONTINUATIONE SOLIDA PERSISTERE, dilecto filio nostro Bertrando Tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, aliisque FIDELIBUS ASSISTENDO auxiliis & opportunis favoribus procuretis, quod proinde nostram & ejusdem Sedis UBERIOREM GRATIAM valeatis semper de bono in melius PROMERERI.

1326.

Ibidem.

Datum Avenione IX. Novembris, anno XI.

X.

Pontifex Joannes XXII. Rubeorum gentem laudat, quod veteri Sedis Apostolicæ dominationi Parmam subjecerit: eamdem hortatur, ut Cardinali Bertrando Legato Apostolico adsit, efficiatque, ut urbs illa in fide erga Romanam Ecclesiam perseveret.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis nobilibus viris Rolando & Marxilio de Rubeis, familiaribus nostris

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1326. *Ibidem.*

QUamvis FIDELITATE vestra, qua erga nos & Romanam Ecclesiam vigere noscimini, diligenter attenta, civitatem Parmensem, dum esset in vestris manibus, NOSTRAM & in NOSTRIS MANIBUS EXISTERE merito reputare possemus; lætanter tamen admodum audivimus, quod vobis VOLENTIBUS & PROCURANTIBUS, nunc se SUB NOSTRO CONSTITUIT REGIMINE SPECIALI: super quo DEVOTIONIS vestræ promptitudinem cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, nobilitatem vestram attentius exhortamur, quatenus, ut dicta civitas erga nos & prædictam Ecclesiam in suæ FIDELITATIS & DEVOTIONIS SOLIDITATE PERSISTAT, adhibere velitis opem & operam efficaces, dilecto filio nostro Bertrando Tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato auxiliis & opportunis consiliis sic PROMPTE & FIDELITER ASSISTENDO, quod nostram & Apostolicæ Sedis GRATIAM vobis uberius de bono semper in melius ACQUIRATIS.

Datum Avenione IX. Novembris, anno XI.

Pon-

X I.

Pontifex Joannes XXII. Octobonum de Salimbenis Placentinum in Plani prætura confirmat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1327.

Regesta Io. XXII. ann. XII. to. XXIX. Par. II. fol. 430.

Ex tabulario Avenionensi.

SInceræ DEVOTIONIS studia, qua dilectum filium Octobonum natum dilecti filii Jannatii de Salimbenis Civis Placentini & suos erga nos & Apostolicam Sedem vigere percepimus, nos inducunt, ut ipsum gratiosis favoribus prosequamur, Sane petitio pro parte dicti Octoboni nuper nobis exhibita, continebat, quod in DISTRICTV PLACENTINO est & fuit ab antiquo quoddam officium, quod POTESTARIA PLANI dicitur, ad custodiam ruralium villarum & hominum provide & salubriter introductum, consuetum singulis sex mensibus per aliquem Nobilem de Placentia gubernari; quodque tu officii prædicti necessitatem considerans ac attendens fructum, quem idem Octobonus inibi contra REBELLES & quoscumque damnificantes seu damnificare volentes gentes infra dicti Plani limites constitutas, jugiter afferebat & afferre poterat, eidem Octobono interpolatim tribus vicibus ipsius officii regimen & exercitium, cujus proventus officii summam viginti quinque florenorum auri quolibet eorumdem sex mensium spatio non excedunt, liberaliter & provide commisisti. Cum autem, sicut asseritur, gentes infra dictos limites existentes præfati Octoboni, utpote habentis in medio earum majorem partem bonorum suorum, & ex aliis multis causis rationabilibus, speciales amici existant, & aliorum Potestatum regimina, extorsiones, quas eis inferunt, si inibi deputantur, interdum eorum minus benivoli, formidantes, habeant minus grata, pro parte dicti Octoboni nobis extitit SVPPLICATVM, ut INDEMNITATI earumdem gentium salubriter CONSV-

LENTES, concessionem sive commissionem prædicti officii per te factas Octobono præfato, RATAS & GRATAS HABERE, dictumque OFFICIVM usque ad quinquennium, a fine sibi per te commissi præsentis regiminis computandum, CONCEDERE DIGNAREMVR. Nos itaque consideratione præmissorum inducti, cupientes quantum cum Deo possumus, in hac parte & ipsius Octoboni annuere precibus, & prædictarum gentium providere quieti, concessionem sive commissionem prædicti officii per te factas, ut prædicitur, Octobono præfato, ratas & gratas habentes, Fraternitati tuæ, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, concedendi dicto Octobono prædictum OFFICIVM usque ad tempus dicti quinquennii vel minus, si, & prout videris expedire, PLENARIAM tenore præsentium COMMITTIMVS potestatem.

Datum Avenione VII. Idus Maji, anno duodecimo.

X I I.

Pontifex Joannes XXII. de quodam vectigali, bonisque rebellium Sedis Apostolicæ a se proscriptis, deque mœnium Placentiæ reparatione, petentibus Leonardo de Arcellis & Jannatio de Salimbenis Placentinis legatis, Cardinali Bertrando judicium committit.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1327.

Ex tabulario Vaticano.

IN nostra pridem constituti præsentia dilecti filii Leonardus de Arcellis & Jannatius de Salimbenis, civitatis Placentinæ Ambaxiatores & nuncii, verba exponere curaverunt, quod si NAVLVM per te ORDINATVM, sicut dicunt, in Placentia COMPLEATVR, erit honor & commodum Ecclesiæ DEVOTIS, & FIDELIBVS securitas, & HO-

HOSTIBUS & REBELLIBUS oppressio manifesta: & hoc idem asseruerunt de hominibus armigeris, equitibus & peditibus, si magna pars illorum in Placentia, quæ ad locum multum aptum existere dignoscitur, teneatur; præterea subjungentes, quod licet Venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filii Clerus Placentinus pro REPARATIONE MVRORVM Civitatis Placentinæ per te inducti, super hoc certum duxerint subsidium offerendum; illud tamen, attentis ONERIBVS Communi civitatis ejusdem pro REPARATIONE prædicta incumbentibus, nequaquam debet, ut asserunt, sufficiens reputari. Quare PETIERVNT Ambaxiatores prædicti, ut pro tam utili tam ipsis Episcopo & Clero, quam aliis, opere consummando, ad exhibendum pinguius subsidium inducantur. Asseruerunt insuper, multipliciter expedire, quod circa factum Gobii vigilanter & sedulo intendatur, supplicantes, ut mandare super hoc, quod nobis videretur expediens, curaremus. Rursus PETIERVNT, ut super CONCESSIONE BONORVM CONFISCATORVM REBELLIVM, facienda FIDELIBVS, præsertim ipsis supplicantibus, qui propter honorem Ecclesiæ & adhæsionem fidelium se dicunt damna perpessos plurima, procedere, sicut alias nobis supplicatum exstitit, dignaremur. Nos autem præmissis diligentius intellectis, fraternitati tuæ præsentium tenore mandamus, quatenus ad perfectionem NAVLI, per dilectos filios Bertrandum Præpositum Sistaricensis, & Aymericum Canonicum Lingonensis, Ecclesiarum, Apostolicæ Sedis nuncios, faciens, prout expedire videris, diligenter illam partem armatorum equitum & peditum Ecclesiæ, teneri ordines in Placentia, de qua cognoveris opportunum; providendo nihilominus, quod circa factum prædicti Gobii adhibeatur quæ poterit opportuna diligentia, & negligentia relegetur, cum mala plurima & innumera dispendia inde dicantur FIDELIBVS provenisse. Circa inductionem vero dictorum Episcopi & Cleri ad contribuendum uberius dictæ reparationi & constructioni murorum, te reddere volumus sollicitum & attentum. Porro super CONCESSIONE dictorum BONORVM CONFISCATORVM REBELLIVM, nunc & alias postulata, tibi direxisse dudum meminimus scripta nostra. Quare volumus, ut juxta literarum nostrarum alias tibi directarum seriem super hoc procedere non postponas, nobis quicquid super præmissis egeris, rescripturus.

Datum Avenione Id. Junii, anno XII. Lu-

XIII.

Lupi Cives Parmenses, tamquam Sedi Apostolicæ subjecti, in singulos annos aureum florenum pro Soranea aliisque beneficiis eidem persolvunt.

Anno a Nativitate Domini MCCCXXVIII. die XIV. mensis Junii.

Ad lib.2. cap.9 pag.86.

1328.

Regesta Io. XXII. anno XIII. to. XXXIII. fol. 403.

Ex tabulario Avenionensi.

NObiles Viri Hugolotus filius quondam Domini Bonifacii, & Bonifacius, Guido, Moncinus, Antonius & Raynaldus filii quondam Domini Rolandini Militum de Lupis de Soranea, cives Parmenses pro CENSV VNIVS FLORENI AVRI, in quo pro possessionibus, honoribus & bonis, quorum medietatem idem Hugolotus, & alii Nobiles supradicti, reliquam medietatem in Curiis Soraneæ, Parolæ, & Redaldi Parmensis diœcesis in feudum a Romana tenent Ecclesia, cum ostensione instrumenti super dicto censu confecti, assignarunt Cameræ per manus Magistri Manfredini de Baratis Domini Papæ Scriptoris pro censu duorum annorum terminandorum in festo Beatorum Petri & Pauli proxime venturo, duos florenos auri.

N O T A.

In multis hujus Historiæ locis de Soraneæ beneficio satis superque dictum est, ut lib.1. cap.12. pag.25. lib.2. cap.9. pag.86. lib.3. cap.8. pag.134.

Ma-

XIV.

Magistratus, populus, universique Placentini simul conjuncti palam declarant, Placentiam cum toto suo principatu agrisque ad Sedem Apostolicam olim pertinuisse, ac revera nunc pertinere, ad quam suos legatos perpetuæ fidei testes mittunt.

In nomine Domini Amen.

ANno ab Incarnatione Domini MCCCXXXI. Indictione XV. secundum cursum Placentinorum, die Lunæ ultima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri, Domini Johannis Papæ XXII. anno XVI.

Ad lib. 2 cap. 11. pag. 88.

1331.

Ex tabulario molis Hadrianæ.

Placentiæ in palatio Communis coram Reverendis in Christo Patribus, Dominis fratre Aycardo Dei gratia Archiepiscopo Mediolanensi, Bernardo Dei gratia Episcopo Placentino, & Comite Stephano Sancti Savini, Thoma Sancti Sepulcri, monasteriorum dictæ Civitatis Abbatibus, Bosone Abbate monasterii Sancti Pauli de Mezano diœcesis Placentinæ, Domino Petro de Castris Jurisperito de Nerbona, Domino Arnaldo de Russilione, milite Locumtenente mareschalli pro S. R. E. in dicta Civitate Placentiæ, & Dominis Guillelmo de Carrubio, Bartholomæo de Prevedino, Benincasa Marcelli, Paganello & Antonio de Peregrinis, Obertino de Perdomis, omnibus de Mutina Jurisperitis, & Bonamico de Bonamicis, Venerio de Veneriis, & Marco de Albicinis de Mutina, assessoribus & sociis infrascripti Domini Rectoris, & multis aliis testibus rogatis.

Nobilis vir Dominus Rodulfus de Grassonibus miles, RECTOR CIVITATIS PLACENTIÆ & DISTRICTUS pro SANCTA ROMANA ECCLESIA, & Domini Philippus de Presbytero de Fulgoxiis Jurisperitus Prior Antianorum, & Bonjohannes de Vicino notarius, Franciscus de Staforte notarius, Jacobus Vicedominus Modius, Franciscus Maximus, Jacobus de Porta notarius, Bernardus Brachifortis, Johannes de Pizardo notarii, Petrus de Spectinis, Obertus

de

de Cario, Petrus de Vidalta, & Petrus de Banchis Bazolellus, Antiani dictæ Civitatis, fecerunt generale Consilium & Universitatem Communis & hominum dictæ Civitatis sono tubarum, voceque præconum & campanarum sonitu dicti Communis, more solito, in palatio ipsius Communis simul radunari, & solemniter congregari pro infrascriptis syndicis constituendis ad exequenda infrascripta & omnia alia, eisdem specialiter & generaliter committenda; & pro infrascriptis aliis ipsius Communis & Universitatis negociis peragendis. In quo quidem Consilio, & Universitate prædicta interfuerunt satis ultra quam duæ partes hominum dicti Consilii Universitatis prædictæ, quorum nomina inferius sunt inserta, & qui totum dictum Consilium & Universitatem dictæ Civitatis repræsentant & repræsentare consueverunt. Ibidemque prædicti Domini RECTOR, PRIOR ANTIANORVM & ANTIANI de CONSENSV & VOLVNTATE HOMINVM dicti CONSILII & VNIVERSITATIS jam dictæ, ibidem congregatorum, & ipsi homines de dicto Consilio & Universitate ibidem existentes, de consensu & mandato & auctoritate prædictorum Dominorum Rectoris, Antianorum, & ipsorum Antianorum, & simul omnes, tanquam generale Consilium & Universitas, ac Commune dictæ Civitatis pro se ipsis & eorum successoribus quibuscumque, scientes & recognoscentes, se FIDELES & SVBDITOS Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimi in Christo Patris, Domini nostri, Domini Johannis divina providentia ipsius Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Papæ XXII. & ipsam Civitatem cum toto districtu SVO ESSE & FVISSE, & ESSE DEBERE SVPPOSITAM, & IMMEDIATE SVBJECTAM DOMINIO & REGIMINI TEMPORALI dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsum dominium & regimen ad ipsam Ecclesiam DVMTAXAT PERTINERE, & PERTINVISSE HACTENVS & PERTINERE DEBERE, & cives dictæ Civitatis & quoscumque habitatores districtus ejusdem dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in TOTVM & IMMEDIATE ESSE & FVISSE SVBDITOS & SVBJECTOS, unanimiter & concorditer fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt dominos Jacobum de Strictis Jurisperitum & militem, & Obertinum de Arcellis Jurisperitum cives Civitatis prædictæ ibidem præsentes, & mandatum sponte suscipientes, ipsorum & dicti Communis & Universitatis Syndi-

dicos & nuncios speciales, utrumque eorum in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, & quod unus ipsorum inceperit, alter valeat prosequi & finire, specialiter ad eundum & se dicto nomine personaliter præsentandum coram Sanctissimo Patre, Domino Johanne Papa prædicto, & ad standum & parendum mandatis ipsius Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & se dicto nomine, & Universitatem & cives & districtuales dictæ Civitatis ac Civitatem & districtum ejusdem TEMPORALITER SVBMITTENDVM, & se SVBMISSOS & SVBJECTOS ESSE confitendum dicto Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & canonice succedentibus in eadem, VNIVERSAM POTESTATEM & JVRISDICTIONEM dictæ Civitatis, Consilii, & Universitatis ejusdem, a se, dicto nomine, & ab ipsa Civitate & Universitate ABDICANDO, & EAM in IPSVM DOMINVM PAPAM & ROMANAM ECCLESIAM, & SVCCEDENTES, ut supra, VNIVERSALITER, PERPETVO, & IRREVOCABILITER TRANSFERENDO: & specialiter ad promittendum & se obligandum nomine antedicto dicto Sanctissimo Patri Domino Papæ, dicto nomine recipienti, de standi & PERPETVO PARENDO MANDATIS ipsius & Romanæ Ecclesiæ & succedentium prædictorum & de recipiendo & generaliter retinendo, habendo, & reputando in suum verum & generalem Rectorem illum & illos, quem & quos ipse Dominus Papa vel qui eidem, ut supra, successerit vel commiserit, elegerit seu miserit, in Rectorem & pro Rectore generali civitatis prædictæ & districtus ejusdem cum familia, salario, jurisdictione, arbitrio, ac pro tempore solitis vel aliis ordinandis: & quod eidem Rectori, vel ejus familiaribus parebunt in his omnibus, quæ committentur eidem, & aliis quibuscumque nunciis & officialibus eligendis seu transmittendis, ut supra, & quod INIMICOS & REBELLES Sanctæ Matris Ecclesiæ, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, habebunt & tenebunt pro suis inimicis & rebellibus, ipsosque quomodolibet persequentur: & FIDELES & DEVOTOS dictæ Sanctæ Matris Ecclesiæ pro amicis & sociis habebunt & reputabunt, & ipsos totis viribus juvabunt, & ipsorum statum defendent & augmentabunt, & generaliter honores, dignitates, & jurisdictiones dicti Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & succedentium prædictorum defendent, augebunt, & quibuscumque favoribus

bus profequentur, nec aliquibus infidelibus adhærebunt, & a POTESTATE & JURISDICTIONE dicti Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ & succedentium in eadem, ut supra, PERPETUO NON DISCEDENT. Ac etiam ad petendum, & humiliter dicto nomine impetrandum & obtinendum a prædicto Sanctissimo Patre Domino Papa & Romana Ecclesia, quod ipsam Civitatem & districtum & Cives!, & districtuales ejusdem debeat de ipsius solita clementia recipere & TENERE PERPETVO sub SUA JURISDICTIONE & protectione, itaquod PERPETUO TEMPORALITER SVBESSE NON POSSINT vel DEBEANT ALTERI, quam IPSI DOMINO PAPÆ ET ROMANÆ ECCLESIÆ, &, ut supra, succedentibus in eadem, & ipsius Legatis vel aliis, quibus ipse Dominus Papa & Romana Ecclesia vel succedentes, ut supra, suo nomine, committeret supradicta, nomine ipsius Romanæ Ecclesiæ, & pro ea, exercenda, habenda, & retinenda; ita tamen quod EXCEPTIS Apostolicæ Sedis Legatis, qui sunt de latere, ipsius Civitatis & districtus, regimen committi NON DEBEAT ALICUI habenti in LOMBARDIA ALICUJUS CIVITATIS DOMINIUM vel REGIMEN: & ad cetera omnia impetranda & obtinenda ab ipso Domino Papa & Romana Ecclesia, quæ in prædictis necessaria viderentur, vel quæ videbuntur ejusdem Syndicis quomodolibet expediri; & etiam ad promittendum, & se, dicto nomine, obligandum dicto Domino Papæ de firmis & ratis habendis, tenendis & observandis omnibus & singulis supradictis, & aliis quibuscumque, de quibus convenerint cum eodem, & quæ in Instrumentis de prædictis fiendis, apponentur & fient vel quomodolibet inserentur: & de non veniendo vel non faciendo contra prædicta, vel aliquod prædictorum, eaque omnia observando sub pœna decem millium marcharum argenti, toties committenda & exigenda, & Romanæ Ecclesiæ applicanda, quoties in singulis & pro singulis capitulis & membris fuerit contrafactum vel non fuerit observatum: & ea commissa vel non, nihilominus firma maneant omnia supradicta, & sub pœna generalis interdicti dictæ Civitatis & districtus, in quam incidant ipso facto: & ad obligandum pro prædictis omnibus prædicto Domino Papæ dicto nomine omnia bona dicti Communis & Universitatis & singularum personarum, in quibuscumque locis existant: quæ si contrafient,

fient, vel non obferventur prædicta, dictæ Sacrofanctæ Romanæ Ecclefiæ ipfo facto CONFISCENTUR & applicentur. Ac etiam ad renunciandum in prædictis omnibus privilegio fori, feriis quibufcumque, & alii cuicumque juris auxilio. Et ad SUBMITTENDUM SE dicto nomine in prædictis & pro prædictis omnibus JURISDICTIONI, COGNITIONI & DEFINITIONI DICTÆ SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, & dicti Domini Papæ & fuccedentium prædictorum.

Item ad jurandum in animabus & fuper animabus ipforum & cujuslibet de ipfo Confilio & Univerfitate, ac de dicta Civitate & diftrictu ejufdem, de ftando & parendo mandatis prædictis, de faciendo & obfervando omnia & fingula fupradicta, & de non contrafaciendo vel veniendo per viam reftitutionis in integrum vel alia quacumque via vel modo ex caufa damni modici vel enormis, vi metus, feu alia quacumque ratione vel caufa: ita quod hæc generalis claufula tantum valeat & perinde habeatur, ac fi de omnibus cafibus, qui dici poffent, vel excogitari, hic fieret mentio fpecialis: & generaliter ad omnes & fingulas promiffiones, conventiones, obligationes reales & perfonales, renunciationes, pœnarum adjectiones cujufcumque quantitatis, pacta & juramenta dicto nomine faciendas & facienda feu præftanda in animabus & fuper animabus prædictorum, quas & quæ in prædictis & circa prædicta vel ipforum occafione fieri expediret, vel de quibus convenerint cum ipfo Domino Papa, vel quæ per ipfos Syndicos agentur & fient, & quæ in Inftrumento, de prædictis fiendo opponentur feu inferentur de jure, confuetudine vel de facto, dantes & concedentes in prædictis, & circa prædicta & ipforum occafione dictis eorum Syndicis & cuilibet eorum in folidum, ut fupra, putum, merum, liberum, abfolutum & generale arbitrium, & mandatum cum pura, mera, libera & generali adminiftratione, ac etiam fpeciali in cafibus, in quibus fpeciale requireretur. Necnon compromittentes dictis Syndicis & mihi notario infrafcripto, utpote publicæ perfonæ, ftipulanti & recipienti vice & nomine dictæ Sacrofanctæ Romanæ Ecclefiæ & dicti Domini Papæ & omnium & fingulorum, quorum intereft vel intererit, perpetuo firma & rata habere omnia & fingula gerenda, adminiftranda feu fienda per ipfos Syndicos in prædictis & circa prædicta vel ipforum

occasione, & contra ea vel eorum aliquod perpetuo non facere vel venire per se vel per alios in judicio vel extra; de jure vel de facto, directe vel per obliquum, seu alio quoquomodo, sub pœnis prædictis & obligatione omnium bonorum dicti Communis, ac singularum quarumlibet personarum, ubicumque extiterint: quæ in casu prædicto dictæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ confiscentur & applicentur.

Quæ omnia acta & facta fuerunt in præsentia Venerabilis viri Domini Armandi de Fargis Archidiaconi Billioni in Ecclesia Claramontensi Camerarii Reverendi in Christo Patris Domini Bertrandi Dei gratia Ostiensis & Velletrensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, & in ipsa Civitate pro ipso Domino Legato residentis.

Hæc sunt nomina eorum, qui in dicto Consilio interfuerunt.

D O M I N I.

Jacobus de Strictis miles.
Johannes de Lando.
Obertinus Vicedominus.
Franciscus Gislandus.
Petracius Gislandus.
Bergondius Rondana.
Lanfrancus Tenaldus.
Bertolinus Dulzanus.
Rufinus de Stabile.
10. Nicolinus Bagarottus.
Aymericus Casolus.
Ægidius Crosus.
Carnelevarius Cupalatus.
Thomasius Rondana.
Fridericus de la Rocchetta.
Johannes Palmanus.
Albertonus de Adamis.
Guillelmus de Fornicibus.
Rebusus de Rebusis.
20. Johannes Codepons.
Jacobus de Magnano.
Johannes Transpadinus.
Manfredus Surdus.
Obertus de Pasquali.
Michael Cappellus.
Martinus de Musso.
Petrus Fanxellus.
Bernardus de Maltonso.
Obertus Malanca calderarius.
30. Johannes de Alexandria.
Gerardus Rondana Speciarius.
Jacobus de Oltre.
Petrus Transilerius.
Johannes Malauricula.
Rufinus Marusus.
Paganus de Complano.
Jacobus de Ugiano.
Vicedominus de Amico.
Antoniolus Pictor.
40. Grimerius de Unicha.
Paulus Vicedominus.
Raymundus Rebotus.

An-

Andriolus de Montebexago.
Guillelmus Rubeus.
Johannes Malcoldus.
Obertinus Gattus.
Petrus Castignolus.
Nicolaus Malexia.
Gerardus Malexia.
50. Obertus de Porta.
Obertus Antonulfus.
Cavalca Cupalata.
Petrus Bonus olearius.
Franciscus de Runco.
Oddo Palmanus.
Obertus de Pontino.
Petrinus Barberius.
Philippus Palmanus.
Jacobus de Renzo.
60. Obertus de Costa.
Franciscus de Ecclesia.
Laurentius de Montecchо.
Robertus Anguixola.
Raymundus Vegius.
Lanfrancus Bagarottus.
Obertus de Cogno.
Obertus Marcellinus.
Petrus Pegoletus.
Guillelmus de Parma.
70. Johannes Guastalavezus.
Galutius de Fulgosiis.
Laurentius de Rustigasio.
Albericus Coxadoca.
Gerardus de Curtibus.
Thomasius Mancasola.
Rogerius de Ripalta.
Joseph de Fornicibus.
Johannes de Puteo.
Opizo Ferrarius.
80. Franciscus Milius.
Guillelmus Lecafarina.
Johannes Coxadoca.
Franciscus de Celoris.
Michael Vicedominus.
Johannes Bellettus.
Jacobus Marencus.
Lariotus de Castellis.
Obertinus de Noveliano.
Jacobinus de Sarturano.
90. Raymondellus de Casoli.
Jacobus Mazola.
Obertinus de Podio.
Johannes de Communalia.
Robertus Seccamilica.
Petrus de Communalia.
Obertinus de Roncalia.
Janninus de Monte Dondono.
Rolandus de Gropallo.
Philippus Gastaldus.
100. Bonvenutus de Bubiano.
Jacobus de Pentremulo.
Fachinus Clavarius.
Johannes Lecacorvus.
Armannus de Vigoleno.
Janninus de Zoncatis.
Thomasius Concarius.
Obertus de Lazarello.
Thomasius de Argine.
Obertus Gambasia.
110. Johannes de Corneliano.
Gregorius Paganus.
Thomasius Torcellus.
Jacobus de Casino.
Gratiolus Bonetus.
Gerardus Clericus de Vicedominis.
Petrus Faxatus.
Petrus de Rocchetta.
Daniel de Gropoduganio.
Jacobus Lecacorvus.
120. Gabriel Malpes.
Franciscus Lecacorvus.
Janninus Antaria.

An-

Antoninus Goroprius.
Lanfrancus Ferrarius de Gropo Vicedominorum.
Jacobus Papa.
Lanza Rex.
Franciscus de Scotis miles.
Jacobus de Confanoneriis miles.
Fredenzonnus Poysius.
130. Franciscus Malcalzatus.
Andreas de Cornu.
Franciscus Aginonus.
Petrus Mastrusius.
Castellus de Burla.
Janonus Raynus.
Albericus de Porta.
Aldrinus de Prata.
Jacobus de Vidore.
Opizo Villanus de Porta.
140. Jacobus Balbus.
Rolandus de Ripalta.
Albertonus Olearius.
Albertacius Poysius.
Franciscus Canrarellus.
Petrus Barattetius.
Raymundus de Andreis.
Gregorius de Porta Judex.
Jacobus Maxaferratus.
Fulco Bigulus.
150. Simon Cappellus.
Thomasius Terronus.
Nicolinus de Bubiano.
Rebecus de Porta.
Guido de Suzo.
Guido de Groppo.
Guillelmus Brachus.
Jacobinus Ratus.
Obertus Fenarolus.
Petrus Bugiolus.
160. Johannes Malpes.
Paganus Cixerellus.
Johannes de Dominico.
Janinus Quatrosius.
Obertus de Rezano.
Salvus Mariginus.
Jacobus Cavallinus.
Fulco de Pecoraria.
Albertus de Romario notarius.
Vidiganus de Valle.
170. Johannes Semenza de Arcellis.
Nicolinus de Ripalta.
Mascarinus de Mascaro.
Johannes Prevedonus.
Villanus de Roccha.
Petrus de Acerbo.
Petrus Aliarius.
Zerbinus Confector.
Dalay Marescalcus.
Petrus Monachus.
180. Franciscus de Ancarano.
Johannes Soldanus.
Gregorius de Parente.
Raynaldus Lanzulfus.
Johannes de Treviano.
Albertus Rubeus.
Johannes de Centenario.
Johannes Valsinus.
Petrus de Breno.
Rolandus de Olubria.
190. Petrus de Breno.
Rolandus de Olubria.
Petrus de Centenario.
Jacobus Mallonus.
Johannes Terronus.
Johannes de Monteregio.
Gerardus Ravaxius.
Rufinus Carosius.
Johannes de Montemarino.
Rufinus Mocolarius.
200. Raynaldus Barberius.

Ni-

Nigronus Bonixanus.
Gerardus de Costa.
Marchisius Olearius.
Obertus Ginarius.
Fava Beccarius.
Johannes de Occaxio.
Manfredus Campana.
Johannes de Corano.
Jacobus Ferrabos.
210. Olivetus Mancasola.
Jacobinus Pectenarius.
Petrus de Rivalgano.
Nicolinus Commalis.
Leonardus Malpes.
Leonardus de Arcellis miles.
Albertacius de Vicedominis miles.
Johannes de Fontana Judex.
Ubertinus de Arcellis Judex.
Guizardus Brachifortis.
220. Obertus Scalionus.
Thomasius Seneca.
Bertolinus Scotus.
Gabriel Scalferius.
Gabriel Dianus.
Petrus Bruxavillanus.
Bertolinus Franchifortis, filius Domini Jacobini.
Francischinus de Fontana.
Guillelmus de Brutilio.
Bertolinus Severa.
230. Johannes Aygarius.
Gerardus Scalferius.
Blaxius Malchiellus.
Palmerius de Alfiano.
Bernardus de Rizolo.
Leonardus Bigulus,
Jacobus Vaquera.
Johannes Berardus.
Gabriel de Bocho.
Johannes de Sille.
240. Petracius Buccadaxina.
Franciscus de Roccha.
Tomaynus de Fontana.
Gabriel Gandagabena.
Johannes Gabellus.
Jacobus Rexegator.
Franciscus de Ziliano.
Jacobus de Campinaldo.
Raynaldus Rubeus.
Leonardus de Rozo.
250. Nicolaus Belixius.
Petrus de Vicedominis.
Ainricus Marabotus.
Rogerius de Ripalta major.
Bonjohannes de la Nova.
Petrus de Besco.
Antoninus Brachifortis.
Gasparrus de Fontana.
Baldassarus de Fontana.
Jacobatus de Fontana.
260. Aldricus de Muzeso.
Jacobus de Arcellis.
Bertolinus Brachifortis de Ronco.
Raynaldus Altacana.
Obertus de Paguliago.
Stephanus de Vicellis.
Stephanus Boracius.
Johannes Grandis.
Johannes de Tranano.
Francischinus Cremonensis notarius.
270. Leonardus de la Cazana.
Jacobinus Sellarius.
Fridericus Bacarinus.
Petrus de Albatia.
Johannes Villanus.
Gerardus Mosus.
Jacobus Sellarius.
Gabriel de Caverzago notarius.

Phi-

Philippinus de Laude.
Rogerius de Carali.
280. Jacobus Giroldus.
Johannes Sellarius.
Petrus de Pecudibus.
Johannes de Spectinis.
Nigrinus Buccadaxina.
Jacobinus Brachifortis.
Bertoldus de Arcellis.
Paulus Brachifortis.
Gabriel de Corona.
Gabriel de Monteregio.
290. Johannes Surdus.
Jacobus Cantarellus.
Andriolus Sellarius.
Obertus de Mezano.
Janninus Rubeus.
Conradus de Cario Judex.
Nicolaus de Bubiano.
Boso de Spectinis.
Magister Obertus de spectinis.
300. Grimerius de Arcellis.
Zancellus Agimonus.
Raymundus Ferracanis.
Palmerius de Rizolo.
Gabriel Bozonus.
Boso Bosonus.
Petrus Marinus.
Obertus Speronus.
Matthæus de Rizolo.
Ugo Zocula.
310. Tampeus de Vitalibus.
Lanfrancus Zocula.
Johannes Pelatus.
Johannes Zovencupa.
Obertinus Spinazarius.
Anricus Scalionus.
Franciscus de Vicovistino.
Petrus Bigulus.
Guillelmus de Porta.
Philippus de Porta.
320. Jannotus Gryllus.
Philippinus de Verano.
Francischinus Fugacia.
Simon Tenerellus.
Petrus Cavagnus.
Fridericus de Rizolo.
Tedixius de Rizolo.
Jacobus de Caxano.
Johannes Marinus notarius.
Simon de Celoris.
330. Jacobus de Torsello.
Guillelmus Porrus.
Ainricus de Cario.
Daniel de Cario.
Conradus de Landriano.
Jacobus de Rocchetta.
Armannus Fauxellus.
Nicolaus Ventrilius.
Petrus de Romano.
Bertolinus Todischus.
340. Janninus Todischus.
Bonjaninus de Lavernasco.
Nicolaus Brexanus.
Nicolaus Orzellus.
Johannes Belmarius.
Lanfrancus Pellizarius.
Raynaldus Pellizarius.
Petrus Polzagallus.
Rolandus de Albericis.
Palmerius Confanonerius.
350. Bernardus Chiapellinus.
Obertus de Suzano tabernarius.
Petrus de Parietibus.
Petrus Lorius.
Antolotus de Urso trombetta.
Rolandus de Ambrosio.
Petrus de Antonio.
Jacobus de Benegocio.
Ber-

Bernardus de Pelli.
Johannes Comes.
360. Gerardus de Villa.
Obertinus de Montacuto.
Nicolaus Garugionus.
Jacobinus Bonizonus.
Baldasarus Dionus.
Nicolinus Zocula.
Gerardus de Gropallo.
Gerardinus Pectenarius.
Petrus Montenarius.
Palmerius Porrus.
370. Franciſchinus Porrus.
Opizarius Porrus.
Johannes de Antonio.
Daniel Rondana.
Gerardus Zapetonus.
Johannes de Eccleſia.
Guillelmus de Roncho.
Albericus Gropallus.
Jacobus de Roxato.
Guillelmus Vallonga.
380. Jacominus Tornarius.
Franciſcus Penutus.
Janninus de Bagnolo.
Guido de Macinaſio.
Paganus Picius.
Obertollus de Pomario.
Philippus Botinus.
Janninus Ocellus.
Obertus Tranſiverſus.
Obertellus de Gerardis.
390. Johannes de Turre.
Obertinus Dezo.
Janninus de Tinia.
Guido Ferrarius.
Armannus Calegarius.
Bernardus Parmexanus.
396. Autolonus Stagnarius.

Et de prædictis ſupradictus Dominus Rector rogavit me Aldericum de Prata, & Jannonum Raynum, Leonardum Malpedem, & Petrum Taculam Notarios publicos Placentinos præſentes unum & plura unius tenoris conficere publica Inſtrumenta.

Ego Aldericus de Prata, Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius publicus Placentinus ſupradictis omnibus & ſingulis una cum prænominatis Janono, Leonardo, & Petro Notariis interfui, & per jamdictum dominum Rectorem rogatus hæc ſcripſi, & ad majorem cautelam ſignum meum appoſui conſuetum.

N O T A.

Rei celebritas ac numerus illorum, qui Acta hæc ediderunt & confirmaverunt, aperte ſignificant *Placentinos* acclamantes, ultroque ſe dedentes *vetus* Sedis Apoſtolicæ *imperium* agnoviſſe.

X V.

Placentinorum, agrique totius incolarum legatio Avenionem missa ad Joannem XXII. qua declarant, se in perpetuum summo Sedis Apostolicæ imperio fore subjectos.

In nomine Domini Amen.

Ad lib. 2. cap. XI. pag. 87.

1331.

Ex tabulario melis Habiana.

ANno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo trigesimo primo, Indictione XIV. die vigesima quinta mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri, domini Johannis divina providentia Papæ XXII. anno XVI.

Avenione in palatio papali existentes nobiles & discreti viri Domini Jacobus de Strictis miles, & Aubertinus de Arcellis Jurisperiti, cives Placentini, ac Syndici Communis ipsius civitatis, adinstar plenam & liberam potestatem habentes, prout de eorum syndicatu & potestate, ac ratificatione quorumdam Nobilium & Consulum artium constat per duo publica instrumenta, quorum tenores inferius inseruntur; in præsentia dicti Domini nostri Summi Pontificis, assistentibus ibidem Reverendis in Christo patribus, dominis Petro Prænestinensi, & Gauscelino Albanensi Episcopis, Petro Tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte presbytero, ac Bertrando Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono, Cardinalibus, cum debita reverentia & devotione proposuerunt, quod cum CIVITAS PLACENTIÆ CUM SUO DISTRICTU IMMEDIATE SUBJECTA SIT ET FUERIT AB ANTIQUO Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & cives ac habitatores ipsius FIDELES ET SUBDITI SINT, ET FUERINT Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino Nostro prædicto, ac UNIVERSALIS POTESTAS & JURISDICTIO, Rectorum positio & depositio ac regimen dictæ Civitatis & ejus districtus, Consilii & Universitatis ejusdem ad Romanam Ecclesiam PERTINEAT; dictæque CIVITAS ET UNIVERSITAS CUM SUO DISTRICTU IN OMNIBUS ET PER OMNIA Romanæ Ecclesiæ TEMPORALITER SINT SUBJECTÆ, quatenus Sanctitati Suæ dictam Civitatem & districtum, cives & di-

& districtuales ejusdem, sicut FIDELES SUBJECTOS & DEVOTOS, de ipsius solita clementia recipere, fovere & tenere PERPETUO sub sua jurisdictione & protectione Romanæ Ecclesiæ, & necessariam recognitionem dictæ civitatis & districtus, ad quam faciendam Romanæ Ecclesiæ, tenentur, ac oblationem mixti aut meri imperii, seu cujuscumque alterius jurisdictionis, si quam dicta Civitas habeat ex privilegio, consuetudine aut alia quacumque causa, ab ipsis Syndicis nomine dictæ Civitatis benigne recipere & admittere, ad prædicta dicti Syndici se obtulerunt, & se tam proprio, quam Universitatis & constituentium nomine, prædicta per ipsos proposita, supplicata & oblata, facere observari sub pœnis & confiscationibus in eorum syndicatu contentis.

Quibus sic propositis, supplicatis & petitis per dictos Syndicos in præsentia Domini nostri Papæ, ac diligenter auditis & intellectis, protestato & retento primitus per Dominum nostrum Papam, quod in casu, in quo sibi vel ejus successoribus pro utilitate incolarum partium Lombardiæ in ipsis vel aliqua parte ipsius, Principem aliquem sub quovis nomine constituere fidelem & devotum Ecclesiæ ad tempus vel perpetuo pro bono regimine partium earundem expediens videatur, quod tunc de dicta Civitate, Universitate & districtu plene ordinare possint, sicut de terris aliis ipsarum partium ordinabunt. Dicti vero Syndici eisdem protestationi & retentioni expresse consentientes, & prædicta omnia & singula grata & rata habentes, dictam Civitatem, Universitatem, & ejus districtum nomine, quo supra, RECOGNOVERUNT, SE HACTENUS TENUISSE ET NUNC ET IN PERPETUUM TENERE DEBERE AB ECCLESIA ROMANA, & a Domino nostro Papa & ejus successoribus, & fidelitatem sibi & suis successoribus PERPETUO SERVATUROS. Nihilominus, si quam jurisdictionem, aut mixtum aut merum imperium Civitas & Universitas prædicta haberet, ex nunc totum illud in Romanam Ecclesiam & Dominum nostrum Papam & ejus successores PERPETVO TRANSTVLERVNT & transportarunt, & a dicta civitate & a se ipsis totaliter abdicarunt: & prædicta omnia superius expressa, recognita, donata & oblata, ac alia quæcumque in eorum Syndicatu contenta, Sacrosanctis Dei Evangeliis positis coram eis, ac per eos corporaliter tactis, in animam suam & omnium illorum, quorum Syndici & procuratores

existunt, animas, juraverunt attendere & complere; & in nullo contravenire sub pœnis & confiscationibus, in dicto syndicatu contentis.

Quibus sic petitis, supplicatis, recognitis, oblatis, donatis & juratis, dictus Dominus Noster Papa attendens & recognoscens, dictas CIVITATEM PLACENTIÆ, VNIVERSITATEM & DISTRICTVM IPSIVS, ut præmittitur, AD ROMANAM ECCLESIAM HACTENVS PERTINVISSE ET PERTINERE DEBERE, dictas petitionem, supplicationem, recognitionem, oblationem, donationem & juramenti præstationem devotorum civium Civitatis prædictæ & fidelitatem, quam ad eum & Sanctam Romanam Ecclesiam, quam his & aliis ostendunt & ostenderunt, QVAMDIV EXTRA REGIMEN TYRANNORVM FVERVNT, multipliciter recommendans, libere cum gratiarum actione admisit. JVRE ROMANÆ ECCLESIÆ SEMPER SALVO: de quibus omnibus mandavit nobis notariis infrascriptis conficere publica Instrumenta.

Tenor Syndicatus prædicti sequitur in hunc modum:

In nomine Domini Amen.

Anno &c. *ut supra pag.* 271. *num.XIV.*

Tenor vero ratificationis, de qua superius est facta mentio, dicitur esse talis.

In nomine Domini Amen.

1331. ANno ab Incarnatione millesimo trecentesimo trigesimo primo, Indictione XV. secundum cursum civitatis Placentiæ, pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri Johannis divina providentia Papæ XXII. anno XVI. die Martis XV. mensis Octobris. Placentiæ in aula episcopali coram dominis Petro de Castris Jurisperito de Nerbona, Guillelmo de Carrubio Jurisperito, Bonamico de Bonamicis, Marco de Albicinis, familiaribus infrascripti domini Rectoris, testibus rogatis, convocatis & congregatis infrascriptis hominibus atque Consulibus artium sive Paraticorum dictæ civitatis Placentiæ, videlicet singulis cum pluribus

ex

ex illis artis suæ, solemni requisitione nuncii sive currerii ejusdem Communis de mandato nobilis viri domini Rodulphi de Grassonibus militis Rectoris civitatis & districtus Placentiæ pro Sancta Romana Ecclesia, atque domini Pugnani de Fontana Jurisperiti, Prioris Antianorum populi, ac etiam ipsorum Antianorum in aula episcopali, ubi habitat Venerabilis & discretus vir Dominus Armandus de Fargis Archidiaconus Billioni in Ecclesia Claramontensi, Camerarius Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Bertrandi Ostiensis & Velletrensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati pro ipso Domino Legato locumtenens in civitate prædicta, & existentibus ibi suprascriptis dominis Camerario, Rectore, Priore & Antianis, lecto ibi prius in ipsorum omnium hominum & Consulum præsentia vulgariter per me Aldericum de Prata notarium publicum Placentinum de mandato dictorum Dominorum, tenore cujusdam Instrumenti Syndicatus, per ipsos Dominos Rectorem, Priorem, Antianos, & Consilium generale dicti Communis nomine ipsius Universitatis, facti in Dominos Jacobum de Strictis jurisperitum & militem, & Aubertinum de Arcellis jurisperitum, specialiter ad eundum, & se dicto nomine personaliter præsentandum coram Sanctissimo Patre & Domino nostro, Domino Johanne Papa XXII. & ad standum & parendnm mandatis ipsius Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & se dicto nomine & Universitatem & cives & districtuales dictæ civitatis, ac CIVITATEM & DISTRICTUM ejusdem TEMPORALITER SUBMITTENDUM, & SUBMISSOS & SUBJECTOS esse CONFITENDUM dicto Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & canonice succedentibus in eadem, universam potestatem & jurisdictionem dictæ Civitatis, Consilii & Universitatis ejusdem a se dicto nomine, & ab ipsa Civitate & Universitate abdicando, & eam in ipsum Dominum papam & Romanam Ecclesiam, & succedentes, ut supra, universaliter, perpetuo & irrevocabiliter transferendo, prout in ipso Instrumento plenius continetur, scripto per me Aldericum de Prata, notarium publicum, & alios notarios infrascriptos, die Lunæ, ultima mensis Septembris proximi præteriti, quod prædicti homines & Consules, quorum nomina inferius describuntur, nomine ac vice eorum, & eorum, qui sunt de Artibus ipsorum, supradictum Instrumentum Syndicatus in eorum præsentia solemniter vulgarizatum, & per eos diligenter intellectum, ratifi-

tificaverunt, & approbaverunt in totum & per totum, prout in eo plenius continetur, approbantes & ratificantes ex nunc, prout ex tunc, omni modo & jure, quibus melius potuerunt, omnia & singula, quæ per dictos Syndicos vel alterum ipsorum, sicut in iis & circa hæc, quæ sibi commissa sunt, & dependentibus ab eis sub pœnis & obligationibus generaliter & specialiter in dicto Instrumento Syndicatus appositis & contentis, & de prædictis supradictus Dominus Rector rogavit me notarium, & Jannonum Raynum, Leonardum Malpedem, & Petrum Taculam notarios publicos Placentinos præsentes, unum & plura unius tenoris conficere publica Instrumenta.

Nomina ratificantium sunt hæc.

I.
Nobiles Domini.

GVillelmus de Vicedominis miles.
Thedaldus, Johannes,
Grimerius fratres de Vicecomitibus.

II.
Consules Judicum.
Domini

Gerardus de Ziliano.
Albertonus de Cassellis, Jurisperiti.

III.
Consules Mercatorum.
Domini

Carnelevarius Cupalatus.
Albertacius Poysius.
Armannus Farixellus.

IV.
Consules Notariorum.
Domini

Laurentius de Rustigasio.
Petrus de Lacu.
Bonjohannes de Vicino.

V.
Consules Tabernariorum.

Gerardus de Curtibus.
Gregorius de Parente.
Johannes Zovencupa.

VI.
Consules Beccariorum.

Albertonus Olearius.
Raynaldus Pellizarius.

VII.
Consules Ferrariorum.

Bernardus de Alberono.
Obertinus de Pigugiano.

Con-

VIII.
Consules Pellizariorum.

Thomasius Torsellus.
Jacobus Turbidus.

IX.
Consules Magistrorum lignaminis & muratorum.

Nicolaus Orzolus.
Jacobus Mellonus.
Nicolas Viterigus.
Guillelmus de Silva.

X.
Consules Cordovaneriorum.

Martinus de Musso.
Fulco Pavarus,
Johannes Grassellus.

XI.
Consules Sartorum.

Obertus Juanus.
Jacobus de Caxino.
Obertus de Vixirano.

XII.
Consules Paraticorum.

Francifcus Zuperius.
Gerardus de Gropallo.
Oddo de Spectinis.

XIII.
Consules Furnariorum.

Johannes de Berardo.
Obertus Bruzus.
Johannes de Attonibus.
Lanfrancus Justus.

XIV.
Consules Molinariorum.

Gerardus de Villa.
Johannes Grandis.
Jordanus Cazarellus.

XV.
Consules Barberiorum.

Janninus de Vicomarino.
Janninus Orcellus.

XVI.
Consules Pistatorum.

Nicolaus Quirus.
Baxanus de Nova.

XVII.
Consules Bubulcorum.

Rolandus Ferrarius.
Ugo Zocula.

XVIII.
Consules Tornariorum.

Albertacius Tornarius.
Rufinus de Colli.

XIX.
Consules Calegariorum.

Johannes Codepons.
Franciscus de Runco.

Ego

Ego Aldericus de Prata, Apoſtolica & Imperiali auctoritate notarius publicus Placentinus ſuprafcriptis omnibus & ſingulis una cum ſupradictis Jannono, Leonardo & Petro notariis interfui, & per jamdictum dominum Rectorem rogatus hæc ita ſcripſi, meoque conſueto ſigno ſignavi in teſtimonium præmiſſorum.

Acta fuerunt hæc Avenione, anno, Indictione, die, menſe, loco & Pontificatu prædictis, præſentibus Venerabili in Chriſto Patre Domino Gasberto Arelatenſi Archiepiſcopo, Domini noſtri Papæ prædicti Camerario, Domino Petro Marini Canonico Xanctonenſi, & magiſtro Alderico de Prata, notario Placentino, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & requiſitis.

Et ego Guillelmus de Peyrelha Caturcenſis diœceſis, cameræ Domini noſtri Papæ Clericus, auctoritate Apoſtolica publicus notarius dictis petitioni, recognitioni, oblationi, donationi, juramenti præſtationi, proteſtationi & omnibus aliis ſupradictis una cum dictis teſtibus ac magiſtro Bernardo infraſcripto notario præſens fui, & huic publico Inſtrumento, manu Arnaldi Jandonis Clerici dictæ Caturcenſis diœceſis auctoritate Apoſtolica publici notarii vice noſtra ſcripto me ſubſcripſi, & ipſum meo ſigno ſolito conſignavi requiſitus.

Et ego Bernardus de Pereto Bituricenſis diœceſis, Cameræ Domini Papæ Clericus, auctoritate Apoſtolica notarius, dictis petitioni, recognitioni, oblationi, donationi, juramenti præſtationi, proteſtationi & omnibus aliis ſupradictis una cum dictis teſtibus ac magiſtro Guillelmo de Peyrelha ſupraſcripto notario præſens fui, & huic publico inſtrumento manu Arnaldi Jandonis Clerici dictæ Caturcenſis diœceſis, auctoritate Apoſtolica publici notarii vice noſtra ſcripto me ſubſcripſi, & ſigno meo ſolito ſignavi requiſitus.

Ag-

XVI.

Aggeres Florentiolæ, in Placentino agro positæ, reparandos jubet Joannes XXII. per Cardinalem Bertrandum.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato.

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 3. cap 8. pag. 134.

1331.

Ex tabulario Vaticano.

DIlecti filii Commune civitatis Placentiæ nobis FECERUNT EXPONI, quod fossata Terræ FLORENTIOLÆ Placentinæ diœcesis, quæ per ordinationem & mandatum Communis prædictorum reparari, cum opus erat, consueverunt hactenus & mundari, nunc reparatione ac mundatione necessario indigere noscuntur. Nobis igitur pro parte ipsorum humiliter supplicato, ut OMNES & singulos HABITATORES VILLARVM, CASTRORVM & LOCORVM prædictæ diœcesis ad CONTRIBVENDVM pro reparatione ac mundatione prædictis MANDAREMVS COMPELLI, ad hoc idoneis EXECVTORIBVS DEPVTATIS, nos de præmissis notitiam non habentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quid in hac parte decet & expedit, diligenter attendens, si ea, quæ per eosdem Commune petuntur super his, ut præfertur, sine alicujus injuria fieri valeant & concedi, ad ea per te vel alium seu alios PROCEDERE NON POSTPONAS; ipsos, si forsan ad præmissa ex debito non reperirentur teneri, ad illa curialiter viis & modis, quibus expedire videris, inducendo, & ad hoc dilectum filium nobilem virum Jacobellum de Nicolais, habitatorem dictæ Terræ, si expedire cognoveris, deputando.

Datum Avenione VI. Idus Januarii, anno XVI.

XVII.

Pontifex Joannes XXII. Cardinali Bertrando imperat, ne Manfredum Landum in Placentinam urbem admittat.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. XI. pag. 88.

1331.

Ex tabulario Vaticano.

MIramur admodum, quod licet quid de introductis Terdonam, & per te dudum Bononiam, acciderit, nequaquam excidisse memoria, sed esse potius continue debeat ante oculos mentis tuæ, tu tamen Manfredum de Lando, qui contra civitatem NOSTRAM Placentiam ac cives ipsius & alios NOSTROS & Ecclesiæ Romanæ FIDELES & DEVOTOS, personamque tuam, horrenda scelera fuisse dicitur machinatus, & excessus alios execrabiles commisisse, ad tractatum reintroductionis in civitatem Placentiam, sicut percepimus displicenter, admittas. Quare volumus, ut præmissis diligenter attentis, a tractatu hujusmodi discedas omnino, eum ad illam de cetero nullatenus admissurus. Sed si de non inferendo damnum civitati, civibus & FIDELIBUS antedictis, idoneas tibi præstiterit cautiones, eidem concedere, sicut tibi expedire videbitur, poteris, quod extra civitatem prædictam existens, gaudere valeat bonis suis.

Datum Avenione XVII. Kal. Februarii, anno XVI.

Pon-

XVIII.

Pontifex Joannes XXII. ſciſcitatur ex Cardinali Bertrando quis reditus Borgognono Fontanæ Placentino ob fidelem Sedi Apoſtolicæ navatam operam, & ubi aſſignari poſſit.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Epiſcopo Oſtienſi Apoſtolicæ Sedis Legato

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

ILlos libenter Sedis Apoſtolicæ benignitas gratioſa favoribus & auxiliis proſequitur opportunis, quos ipſorum ſincera devotio apud nos & Sedem eandem gratos reddit pariter & acceptos. Petitio ſiquidem dilecti filii Borgognoni de Fontana Civis Placentini, nuper nobis exhibita, continebat, quod tam ipſe, quam nonnulli de domo & genere ſuis propter DEVOTIONEM SINCERAM, quam ad nos & ad Romanam hactenus GESSERUNT & continue GERUNT eccleſiam, in perſonis & rebus labores & damna maxima incurrerunt. Quare nobis idem Borgognonus humiliter SUPPLICAVIT, ut de aliquo REDDITU vel PROVENTU aut penſione annua, per eum, quoad vixerit, percipienda, in loco & quantitate, de quibus tibi expediens videretur, vel aliqua penſione tenenda per eum, ut exinde ipſe & ſui in aliquo a dictis damnis & laboribus relevari valeant, per te ſibi provideri de benignitate Apoſtolica mandaremus. Nos itaque ipſius Borgognoni ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de hujuſmodi quantitate, & ubi poterit ASSIGNARI, te diligenter informes, & quod per hujuſmodi informationem inveneris, nobis per tuas literas harum ſeriem continentes referre procures, ut tua hujuſmodi relatione inſtructi poſſimus ſuper his conſultius ORDINARE.

Datum Avenione II. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

1331.

Regeſta Jo. XXII. to. XI. Par. II. fol. 184. pag. 2.

Ex tabulario Avenionenſi.

XIX.

Pontifex Joannes XXII. Leonardo de Arcellis equestris militiæ viro concedit, ut in Burgonovo in agro Placentino quinto decimo quoque dic nundinas fieri curet.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Bertrando Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1331.

Regesta Jo. XXII. tom. XLI. Par. III. fol. 227. pag. 2.

Ex tabulario Avenionensi.

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Leonardus de Arcellis Miles Placentinus, quod in loco de Burgonovo districtus Placentini, in quo ipse possessiones & patrimonium sua habere dignoscitur, qui quidem locus ob FIDELITATEM, quam incolæ ipsius ad nos & Romanam Ecclesiam GEREBANT, per damnatæ memoriæ Galeatium de Vicecomitibus de Mediolano dudum destructus extitit, a viginti annis citra, præterquam tempore, quo dictus locus destructus extitit, quoddam mercatum semel infra quoslibet quindecim dies cujuslibet mensis successive est fieri consuetum. Quare nobis humiliter SVPPLICAVIT, ut dictis filiis Communi & hominibus dicti loci, quod in ipso FIAT MERCATVM semel infra quindecim dies cujuslibet mensis futuris temporibus, sicut est inibi a dicto tempore citra consuetum fieri, ut præfertur, per nostras literas CONCEDERE dignaremur. Nos igitur de circumspectione tua, qui in præmissis plenius informari poteris, gerentes in Domino fiduciam pleniorem, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictis Communi & hominibus præmissa postulata, AVCTORITATE NOSTRA CONCEDAS.

Datum Avenione VI. Idus Decembris, anno XVI.

Pon-

XX.

Pontifex Joannes XXII. vicarios Placentiæ, ceterisque locis summo imperio præficit.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Magistris Raymundo Bernardi de Sancta Artemia, Bononiensis, & Petro Marini, Pergamensis, Ecclesiarum Archidiaconis, civitatis Placentiæ ejusque comitatus & districtus Vicariis

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cupientes civitatem Placentiam, quæ SUB TEMPORALI DOMINIO NOSTRO & Ecclesiæ Romanæ TENETUR, status pacifici tranquillitate lætari, libenter personas, per quas confidimus promoveri & confoveri statum hujusmodi, ad ipsius directionem & regimen deputamus. Hinc est, quod vos & quemlibet vestrum in solidum, quos ad statum civitatis ejusdem & civium incolarum ipsius prosperum, affici supponimus & speramus, civitatis ejusdem ac comitatus, districtus & PERTINENTIARUM ipsius VICARIOS USQUE AD NOSTRUM BENEPLACITUM tenore præsentium deputamus, officiales & ministros in eisdem civitate, comitatu & districtu opportunos constituendi, & destituendi, prout & quoties cognoveritis expedire, necnon mandandi, præcipiendi, statuendi, ordinandi, gerendi, & faciendi omnia & singula, quæ ad hujusmodi VICARIATUS officium ac bonum statum & regimen civitatis, comitatus, & districtus prædictorum pertinent, & insuper spiritualem jurisdictionem ibidem in fulcimentum TEMPORALIS dumtaxat, in casibus necessariis exercendi, vobis & vestrum cuilibet in solidum POTESTATEM PLENARIAM CONCEDENTES.

Ad lib. 2. cap. 12. pag. 92.

1333.

Ex tabulario Vaticano.

Datum Avenione XIV. Kal. Septembris, anno XVIII.

Pon-

X X I.

Pontifex Joannes XXII. Placentinos hortatur, ut in fide erga Apostolicam Sedem persistant, utque Berengarii de Carisiaco, quem Cardinalis Bertrandus ducem creaverat, imperata faciant.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Communi civitatis Placentiæ

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 12. pag. 92.

1333.

Ex tabulario Vaticano.

CONstantia puræ DEVOTIONIS & FIDEI, quibus erga nos & Romanam Ecclesiam CLARERE STUDUISTIS HACTENUS, & præfulgere CONTINUE NON CESSATIS, a nostra & Apostolicæ Sedis memoria non excidit, quinimmo ad perennem conscripta in tabulis cordis nostri memoriam perseverat indelebiliter, vobis & vestris posteris locum amplioris favoris & gratiæ vindicando. Sane cum inter virtutes currentis ad bravium perseverantia coronetur, vestram prudentiam attentius in Domino exhortamur, quatenus hoc considerantes attente, ac eidem virtuti perseverantiæ adhærentes, in FIDE ac DEVOTIONE SOLITIS sic immobiliter persistatis, quod divinam & ejusdem Sedis ac nostram valeatis propter hoc benedictionem & gratiam uberius promereri. Et ut quovis obscuritatis repulso nubilo FIDELITAS vestra CLARIOR SEMPER EMINEAT, circa solertem CIVITATIS NOSTRÆ CUSTODIAM, prout dilectus filius Berengarius de Carisiaco canonicus Ecclesiæ Sancti Pauli Narbonensis, CAPITANEUS per Venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostiensem Apostolicæ Sedis Legatum ibidem deputatus, ORDINAVERIT, INVIGILARE taliter STUDEATIS, quod ÆMULIS NOSTRIS ET HOSTIBUS, præsertim vigente præsentis temporis malitia, NULLO MODO PATERE VALEAT ADITUS ad eandem.

Datum Avenione VI. Novembris, anno XVIII.

Pon-

XXII.

Pontifex Benedictus XII. Placentinos hortatur, ut in fide erga Apostolicam Sedem perseverent, eisque nunciat, se Azoni Vicecomiti & Alberto Mastinoque Scaligeris scribere, ne eorum agrum invadant.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Communi civitatis Placentiæ

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib.2. cap.12. pag.93.

1334.

Ex tabulario Vaticano.

NOn miremini, nec moleste feratis, quæsumus, filii, si VESTROS AMBAXIATORES & nuncios, quos dudum ad Sedem Apostolicam destinastis, diutius in curia retinuimus, & adhuc retinemus. Licet enim ipsi super expeditione sua diligenter apud nos sæpius duxerint insistendum, nos tamen variis & arduis occupati negociis, eos adhuc commode nequivimus expedire: Sed breviter circa eorum expeditionem intendere, opportunitate captata, proponimus, Domino concedente. Vos vero FIDELITATIS VESTRÆ, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam GESSISTIS HACTENUS & GERITIS, continuantes constantiam, & persistentes invicem in vinculo unitatis & pacis conjuncti circa CUSTODIAM CIVITATIS Placentiæ, ipsiusque COMITATUS & DISTRICTUS solerter, more solito, vigiletis. Et ecce quod dilectis filiis nobilibus viris Azoni de Vicecomitibus & Alberto & Mastino de la Scala, quod territorium vestrum non invadant, per literas scribimus opportunas.

Datum apud Pontem Sorgiæ Avenionensis diœcesis VIII. Kalendas Augusti, anno primo.

Pon-

XXIII.

Pontifex Benedictus XII. Azonem Vicecomitem monet, nequid novi contra Placentinos Apostolicæ Sedi subjectos moliatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio nobili viro Azoni de Vicecomitibus

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1334. *Ibidem.*

CUm, sicut tua nobilitas plene novit, civitas Placentia cum suo comitatu & districtu SUB MANU NOSTRA ET ECCLESIÆ ROMANÆ GUBERNETUR, ET TENEATUR ad præsens, sicut etiam DIUTIUS SUB DOMINIO ejusdem Ecclesiæ FUISSE NOSCITUR GUBERNATA, nobilitatem eandem requirimus attentius & rogamus, quatenus consideranter attendens, quod eadem civitas seu pars aliqua comitatus & districtus ejusdem offendi non posset ab aliquo, nobis & eadem Ecclesia remanentibus inoffensis, nullam inibi novitatem inferas, nec ab aliquo vel aliquibus, quantum in te fuerit, permittas inferri, cum hoc etiam esset, si attemptaretur, quod absit, contra promissiones ac PACTA, per te, sicut nosti, JURATA. Datum, *ut supra*.

XXIV.

Scaligeris.

Dilectis filiis nobilibus viris Alberto & Mastino de la Scala.

1334.

CUm, sicut vestra nobilitas, *&c. ut supra, verbis competenter mutatis, excepta ultima clausula*: cum hoc &c. *quæ non ponatur*.
Datum, *ut supra*.

Pon-

XXV.

Pontifex Benedictus XII. Episcopo Mantuano, Abbatique Vallis Serenæ, ac Sancti Domnini Præposito quædam committit de monte Casterignano, quem Azo Corrigiensis in perpetuum beneficium ab Apostolica Sede postulaverat.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Episcopo Mantuano & dilectis filiis Abbati monasterii Sanctæ Mariæ Vallis Serenæ, ac Præposito Ecclesiæ Sancti Dunini de Burgo, Parmensis diœcesis

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib.2. cap.13. pag.96.

1336.

Regesta Benedicti XII. *tom.*VI. *anno V. fol.*131.

Ex tabulario Avenionensi.

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Azo de Corrigia civis Parmensis, quod quidam MONS est in quadam villa, quæ vocatur CASTERIGNANUM Parmensis diœcesis, qui mons non extenditur per summitatem in aliqua parte sui per dimidiam balistratam: in quo Parmensis Ecclesia non habet in solidum omnia, sed in eo habere dicitur certa jura, & quod idem Azo juxta dictum montem & in contratis & locis circumstantibus dicto monti habet magnas possessiones & homines suos vassallos & fideles ultra octingentos, & quod idem mons aptus fore dignoscitur ad munitionem construendam ad modum arcis: de quo vel ex quo dicta Parmensis Ecclesia nullam jamdudum ab annis præteritis, qui in memoria hominum esse possint, utilitatem habuit, neque habet. Quare idem Azo pro TUITIONE & DEFENSIONE dictorum vassallorum, & illarum vicinarum partium securitate desiderans in dicto monte munitionem construere prælibatam, NOBIS HUMILITER SUPPLICAVIT, ut PRÆDICTUM MONTEM SIBI & HEREDIBUS SUIS IN PERPETUUM FEUDUM CONCEDERE DIGNAREMUR. Quia igitur de facto hujusmodi &

Pp ejus

ejus circumſtantiis notitiam non habemus, nihilque in hac parte intendimus agere, quod vergat in PRÆJUDICIUM ALIORUM, diſcretioni veſtræ, de qua ſpecialem in Domino fiduciam gerimus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus VOCATIS qui FVERINT EVOCANDI, de jure ejuſdem Eccleſiæ & OMNIBVS CIRCVMSTANTIIS in talibus attendendis per vos & alios curetis diligentius informari: & quæcumque ſuper his inveneritis, nobis per veſtras literas, harum ſeriem continentes, fideliter referatis, ut per RELATIONEM VESTRAM de præmiſſis PLENARIE INFORMATI, quod ſuper his agendum fuerit, auctore Domino, ſecurius agere valeamus. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, tu, frater Epiſcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris.

Datum Avenione V. Idus Octobris, anno quinto.

XXVI.

Pontifex Gregorius XI. Placentinos atque univerſam illorum rempublicam laudat de conſtanti erga Apoſtolicam Sedem obſervantia, eoſque excitat, ut ſe ex Vicecomitum tyrannide eximant.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei

Dilectis filiis populo civitatis Placentiæ ac univerſis & ſingulis nobilibus & univerſitatibus terrarum, caſtrorum, & villarum diſtrictus civitatis ejuſdem, ad quos præſentes literæ pervenerint

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 14. pag. 97.

1327.

Ex tabulario Vaticano.

ANTIQVAM DEVOTIONEM, quam vos ad Romanam Eccleſiam inter omnes Lombardos ſpecialius habuiſſe cognovimus, jam eſt diu ad noſtram memoriam revocantes, vobis de tot & tantis miſeriis & anguſtiis, quibus TYRANNICA SÆVITIA Vicecomitum de Me-

Mediolano, TYRANNORVM CRVDELIVM, & inimicorum Dei & dictæ Ecclesiæ, vos crudeliter OPPRESSIT DIVTIVS, & opprimere crudelius non desistit, paterno compatientes affectu, ad liberationem vestram cum spe divini auxilii per ECCLESIÆ PRÆFATÆ ET SVORVM DEVOTORVM POTENTIAM, quæ est Dei, cujus, licet indigni, vices in terris gerimus, qui filios suos propter peccata ipsorum flagellat ad tempus, sed non in perpetuum irascitur, nec in æternum comminatur, intendendum providimus, sicut jam experientia didicistis, & ad alios quoque Lombardos, subjectos tyrannis eisdem, hujusmodi nostræ compassionis habentes affectum, ejus operam intendimus extendere juxta posse. De felicibus autem successibus RECUPERATIONIS & OBEDIENTIÆ multorum castrorum & villarum PLACENTINI DISTRICTUS, quæ MANUS TYRANNICA detinebat, lætantes quamplurimum, Deo, cujus dextera facit virtutem & operatur mirabiliter, gratias referentes, & illos vestrum, qui in iis operati sunt, proinde dignis laudibus commendantes, vos attentius deprecamur, ut ad eripiendum de dicta manu tyrannica CIVITATEM PLACENTIAM & ALIA LOCA DISTRICTUS EJUSDEM, ac etiam partium vicinarum & ad obtinendum libertatem, præfatorumque Tyrannorum exterminium, ad quæ ex misericordia Dei adesse festinant tempora, concordibus & promptis animis exsurgatis, per hoc vestro perpetuo providentes statui & vicinis vestris, sub simili pressura laborantibus, exemplum faciendi similiter tribuentes. Nos enim ad confortandum vos & vicinos vestros, ac vobis assistendum consiliis, directionibus & favoribus opportunis dilectum filium Ubertum Abbatem monasterii Sancti Johannis Evangelistæ Ravennatensis, Ordinis Sancti Benedicti, latorem præsentium, Apostolicæ Sedis nuncium, vestrum origine concivem, vestrorumque libertatis & status prosperi zelatorem, de quo merito debetis confidere & sperare, præsentialiter destinamus: cujus relatibus, consiliis & persuasionibus, utique fidelibus & providis, curetis fidem plenariam adhibere.

Datum Avenione VII. Idus Decembris, anno secundo.

XXVII.

Rustigasiis.

1372. *Eodem modo* Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Rustigasio, Civibus Placentinis salutem &c. *Sed non ponatur illa clausula*: Nos enim ad confortandum &c.

Datum, *ut supra*.

XXVIII.

Scotis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Scotis, Civibus Placentinis salutem &c.

Datum, *ut supra*.

XXIX.

Confaloneriis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Confaloneriis, Civibus Placentinis salutem &c.

Datum, *ut supra*.

XXX.

Arcellis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Arcellis, Civibus Placentinis salutem &c.

Datum, *ut supra*.

Ful-

XXXI.

Fulgosiis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Fulgosiis, Civibus Placentinis, & eorum cuilibet salutem &c. 1372.
Datum, *ut supra*.

XXXII.

Landis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Lando, Civibus Placentinis salutem &c.
Datum, *ut supra*.

XXXIII.

Cariis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Cario, Civibus Placentinis salutem &c.
Datum, *ut supra*.

XXXIV.

Palastulis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Palastulis, Civibus Placentinis salutem &c.
Datum, *ut supra*.

XXXV.

Rizolis.

Dilectis filiis, universis & singulis Nobilibus Domus de Rizolo Civibus Placentinis salutem &c.
Datum, *ut supra*.

Pon-

XXXVI.

Pontifex Gregorius XI. Danielem de Canreto Hierosolymitani Ordinis equitem & Rectorem Campaniæ, summum copiarum ducem in agro Placentino constituit.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Danieli de Canreto Priori Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani in Lombardia, Rectori provinciarum Campaniæ & maritimæ, ac Capitaneo totius territorii Placentini ac circumvicinarum partium pro NOBIS & ROMANA ECCLESIÁ.

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 11. pag. 97.

1374.

Ex tabulario Vaticano.

EX fideli & sollicita ac diligenti providentia & probitate, prudentia quoque circumspecta, aliisque virtutibus pluribus, quibus, prout familiari experientia cognovimus, & sæpius in arduis Ecclesiæ Romanæ negociis comprobatum est, te Dominus insignivit, præsumimus evidenter, quod ea, quæ tibi peragenda commiserimus, solerti ac salubri studio fideliter adimplebis. Hinc est, quod nos de hujusmodi probitate & virtutibus plurimum in Domino confidentes, te, de cujus circumspectionis industria in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, CAPITANEUM GENERALEM in toto TERRITORIO PLACENTINO & CIRCUMVICINIS PARTIBUS PRO NOBIS & ROMANA ECCLESIA, sub OBEDIENTIA tamen dilecti filii nostri Guillelmi Sancti Angeli Diaconi Cardinalis in NONNULLIS TERRIS Italiæ Romanæ Ecclesiæ IMMEDIATE SUBJECTIS nostri & pro eadem Ecclesia in TEMPORALIBUS VICARII GENERALIS, tenore præsentium constituimus, facimus, ordinamus, & etiam DEPUTAMUS, tibi hujusmodi Capitaneatus officium usque ad Apostolicæ Sedis BENEPLACITUM committentes. Quocirca

ca discretionem tuam rogamus & hortamur attente, tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus hujusmodi CAPITANEATUS OFFICIUM recipias DEVOTE, ipsumque juxta datam tibi a Domino gratiam exercere studeas diligenter, ita quod utilitati publicæ consulatur, tuque omnipotentem Dominum tibi constituas propitium, ac nobis & Apostolicæ Sedi dignis in Domino laudibus commendandus occurras.

Datum Avenione VIII. Kal. Martii, anno IV.

NOTA.

Tyrannorum Vicecomitum maxima potentia, fœdumque Occidentis Schisma his rebus cum supervenisset, *Parma* & *Placentia*, aliaque Apostolicæ Sedis opida in alienam potestatem transierunt. Neque vero ideo, sicut in Historia demonstratum est, pontificia in easdem civitates jura plane extincta fuerunt. Medio circiter quinto decimo sæculo *Parma* cum libertatem suam recuperasset, se instar reipublicæ rexit. *Placentia* vero cum in variorum Principum ditionem venisset, tandem in Venetorum, a quibus præsidia accepit, fidem confugit, teste Petro Spino in Vita Bartholomæi Bergomatis: postea una cum *Parma* Sfortiadum Gallorumque imperio subjacuit. Tandem Apostolica Sedes antiquis suis juribus semper vivis, ac Cæsarum jurejurando confirmatis, utramque ex fœderibus & populorum acclamationibus ultro deditam suæ dominationi restituit.

Lib. 4, pag. 98.

Pon-

XXXVII.

Pontifex Joannes XXIII. alias Balthassar Cossa appellatus, in possessionem Burgi Vallis Tari, quod beneficium intra Æmiliam jacens ad Sedem Apostolicam pertinet, mittit Fliscorum gentem, onere imposito, ut fidem & jusjurandum præstent, atque Accipitrem, annui census loco, persolvant.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Ludovico Sancti Hadriani Diacono Cardinali, & nobili viro Lucæ de Flisco Militi Januensi & Comiti Lavaniæ.

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 2. cap. 15. pag. 201.

1414.

Regesta Ioan. XXIII. lib. VII. Bullarum de Curia fol. 134. vel 124.

Ex tabulario Vaticano.

SEdis Apostolicæ gratiosa benignitas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos, quasi præcipuas & sublimes columnas in ipsa Ecclesia Dominus stabilivit honoris, propter eorum excellentiam virtutum etiam ipsi arctius idemptitate conjunctos, præsertim ejusdem Ecclesiæ fideles & devotos, amplis favoribus & gratiis prosequi consuevit, prout ipsorum statui conspicit expedire. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad vestram aut alicujus alterius pro vobis super hoc nobis oblatam supplicationem, TERRAM BURGI VALLIS TARI nuncupatam Placentinæ diœcesis, ad NOS & PRÆDICTAM ECCLESIAM PLENO JURE PERTINENTEM, & ut asseritur, per vos aliquandiu communiter possessam, cum ejus vassallis, hominibus, fortalitiis, jurisdictionibus, juribus & pertinentiis universis ac mero & etiam mixto imperio, necnon omnimoda jurisdictione ac gladii potestate vobis ac heredibus & successoribus vestris sub CENSU UNIUS ACCIPITRIS, ANNUATIM in festo Beatorum Petri & Pauli Apostolorum de mense Junii in Romana Curia Cameræ Apostolicæ aut Collectori fructuum & proventuum in Januensi seu Placentina ci-

civitatibus & diœcesibus EIDEM CAMERÆ DEBITORUM, pro tempore deputato, per vos aut heredes vel successores vestros EFFICACITER PERSOLVENDI, in GENTILE seu NOBILE FEUDUM, ac JURE GENTILIS & NOBILIS FEUDI, auctoritate Apostolica tenore præsentium in PERPETUUM, de ipsius Sedis MUNIFICENTIA SPECIALI, DAMUS, CONCEDIMUS & DONAMUS, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod tu, fili Luca, ratione dicti FEUDI nobis & eidem Ecclesiæ in manibus ejusdem Collectoris præstare tenearis in forma solita FIDELITATIS DEBITÆ JURAMENTUM. Super quo volumus confici publicum instrumentum, & dictus Collector quantocius ad dictam Cameram illud mittere teneatur. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ dationis, concessionis, donationis, & voluntatis chartam infringere. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Bononiæ VII. Kal. Maji, pontificatus nostri anno IV.

B. de Monte.

NOTA.

Burgus Vallis Tari, tamquam vetus agri Placentini membrum in Æmilia seu Gallia Cispadana ad montem Bardonis, fuit reipublicæ urbis Placentinæ, illarum regionum dominæ & principis. Ideo in antiquis ejus civitatis legum municipalium codicibus, quinto decimo exeunte seculo vulgatis, statutum legimus, ut quinque Prætores, atque ex his unus pro *Burgo Vallis Tari*, crearentur. In lib.1. cap.55. scribas Prætorum, ac nominatim pro *Valle Tari*, eligendi ratio præscribitur. In lib.4. cap.36. dum imperatur, ut pro singulis agri Placentini Vallibus unus eligatur, *Camparus* vulgo dictus, qui ante urbanum rerum capitalium quæsitorem sacramento promittat, se recte suum munus impleturum, nonnullæ Valles, ac præcipue *Vallis Tari*, hoc onere eximuntur. Lib. 6. capite 26. gravissimis pœnis cavetur, nequis ex locis agri Placentini, inter quæ *Vallis Tari* recensetur, alio commeatus exportet. Hæc omnia in illis decretis statuuntur, quibus *Vallem Tari* reipublicæ Placentinæ antiquitus subjectam fuisse liquido evincitur. Hæc vero ab anno 1141. usque ad 1184. ab illius populo fidem ac sacramentum acceperat. Ergo *Vallis Tari* illis iisdem rationibus, quibus Placentia, Sedis Apostolicæ juris est.

Campus tom.I. pag.412. col.2.

Tom.2. pag.61. col.1.

XXXVIII.

Pontifex Joannes XXIII. ex vi diplomatis, antea recitati, Bituntinum ac Brugnatensem Episcopos & Odoricum de Glemona Genuæ Canonicum deligit, qui Fliscos in *Vallis Tari*, Sedis Romanæ beneficii, possessionem mittant.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus Botontino & Brugnatensi Episcopis, ac dilecto filio Odorico de Glemona Canonico Januensi

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1414. *Ibidem.*

SEdis Apostolicæ gratiosa benignitas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos quasi præcipuas & sublimes columnas in ipsa Ecclesia Dominus stabilivit honoris, propter eorum excellentiam virtutum etiam ipsi arctius idemptitate conjunctos, præsertim ejusdem Ecclesiæ fideles & devotos, amplis favoribus & gratiis prosequi consuevit, prout ipsorum statui conspicit expedire. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad dilectorum filiorum nostrorum Ludovici Sancti Hadriani Diaconi Cardinalis, & nobilis viri Lucæ de Flisco Militis Januensis & Comitis Lavaniæ, vel alicujus alterius pro eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate TERRAM BVRGI VALLIS TARI nuncupatam, Placentinæ diœcesis, AD NOS & PRÆDICTAM ECCLESIAM PLENO JVRE PERTINENTEM, &, ut asseritur, per eosdem Cardinalem & Militem ALIQVANDIV POSSESSAM, cum ejus VASSALLIS, HOMINIBVS, FORTALITIIS, JVRISDICTIONIBVS, JVRIBVS, & PERTINENTIIS VNIVERSIS, ac MERO & MIXTO IMPERIO, necnon OMNIMODA JURISDICTIONE ac GLADII POTESTATE, eidem Cardinali & Militi ac heredibus, & successoribus ipsorum sub CENSV VNIUS ACCIPITRIS, ANNVATIM in festo Beatorum Petri & Pauli

Pauli Apostolorum de mense Junii, in Romana Curia Cameræ Apostolicæ aut Collectori fructuum & proventuum in Januensi aut Placentina civitatibus & diœcesibus, per Ludovicum Cardinalem & Lucam Militem aut heredes & successores ipsorum EFFICACITER PERSOLVENDI, in GENTILE & NOBILE FEVDVM DE JVRE GENTILIS & NOBILIS FEVDI, AVCTORITATE APOSTOLICA, tenore nostrarum literarum in PERPETVVM, de ipsius Sedis MVNIFICENTIA SPECIALI DEDIMVS, CONCESSIMVS & DONAVIMVS, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod prædictus Miles ratione dicti FEVDI nobis & eidem Ecclesiæ in manibus ejusdem Collectoris PRÆSTARE TENEATVR in forma solita FIDELITATIS DEBITÆ JVRAMENTVM, super quo confici volumus publicum instrumentum, quod dictus Collector quantocius ad dictam Cameram mittere teneatur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eosdem Cardinalem & Militem vel procuratorem suum, ipsorum nominibus in CORPORALEM POSSESSIONEM TERRÆ, JVRIUMQVE & PERTINENTIARVM prædictorum inducatis AVCTORITATE NOSTRA, & DEFENDATIS INDVCTOS, amoto exinde QVOLIBET DETENTORE, ipsosque de prædictæ terræ fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre respondere, non obstantibus supradictis, aut si aliquibus a Sede Apostolica communiter vel divisim sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo.

Datum Bononiæ VII. Kal. Maji, pontificatus nostri anno IV.

Gratis pro Domino Cardinali & ejus nepote.

Registrata in Camera Apostolica.

B. de Monte.

NOTA.

1. Flisci Burgum Vallis Tari & Calestanum Sedi Apostolicæ acceptum tulerunt: cumque Petrus Aloysius Farnesius Dux Parmæ & Placentiæ creatus fuisset, Comes Joannes Aloysius de Flisco *ipsius beneficiarius ob loca Calestani ac Vallis Tari Placentiam se contulit, ut illi obsequium redderet, illique de nova ditione parta gratularetur*, quemadmodum ait (a) Laurentius Capellonus in Vita Andreæ ab Auria, cujus verba latine reddidimus. Mox Joanne Aloysio in Genuensi conjuratione e vivis sublato, *cum Cæsar imperavisset Ferdinando Gonzagæ, ut rebellis Comitis rebus potiretur, quæ in Imperatoris jura, ejus morte, redierant, Gonzaga omnia in suam potestatem redegit præter Vallem Tari & Calestanum, quæ, veluti ad suum Ducatum pertinentia, Petrus Aloysius Farnesius cepit*. Hæc habet (b) Capellonus, Historicus tunc florens. Cum eruditissimus Præsul Dominicus Passioneus, magnus rariorum voluminum indagator atque æstimator, Vitam Auriæ a Capellono scriptam serius mihi suppeditaverit, de illa hoc loco mentionem facere volui. Per Gonzagam *Placentia* occupata, idem factum de *Burgo Vallis Tari*, quemadmodum (c) a Josepho Horologio in Camilli Ursini Vita, atque in Historia Parmensi (d) a Bonaventura Angelo narratur. Eundem locum postmodum Augustinus Landus interfectorum Petri Aloysii dux, sibi usurpavit.

2. Apud (e) Lucam Vvaddingum in Annalibus Minorum diploma Martini V. ad Odoricum, de quo supra, scriptum invenitur. Is Glemonæ in Forojuliensi Ducatu intra Aquilejensem diœcesim ex familia Francischinorum de Villa ortus fuit.

a Pag. 112.

b Pag. 137.

c Pag. 61.

d *Lib.* 5. *pag.* 536.

e *Tom.V. in Regesto pag.* 144. *§.CLXXII.*

Fœ-

XXXIX.

Fœdus inter Pontificem Leonem X. & Imperatorem Carolum V. ad Parmam & Placentiam e Francisci I. Galliarum Regis dominatu recuperandas.

Capitula novæ confœderationis inter Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam X. & Serenissimum Cæsarem Carolum Romanorum Regem electum.

Quoniam recta regnorum & rerum publicarum gubernatio duabus maxime rebus efficitur, cum & voluntas Principum intenta ad bonum, communem spectat salutem, & cum eorum talis est potentia, quæ possit reprimere & coercere pacis ac justitiæ turbatores; idcirco decet, eos, qui & auctoritate & potentia maxime excellunt, inter se concordes & uniros esse, quoniam sicut eorum discordiæ bellorum & tumultuum causa sunt, sic concordia atque amicitia pacem conservat, bonis fiduciam, malis injicit timorem, publicam omnium tuetur salutem. Quod si ulla in alia natione & gente hæc pax populorum, Principum concordia curanda & elaboranda fuit, certe hoc maxime fieri decet in Christiana, quæ tanto ceteris nobilior est, quanto hæc divino numine constituta est, ceteræ humanis consiliis ordinatæ fuerunt. Et tamen (quod magno cum dolore dicendum est) ubi potissimum pax & concordia & Dei respectus, & universalis boni procuratio vigere debuit, in Christiana Republica videlicet, in ea tot cædes, rapinæ, urbium direptiones, populorum èversiones, sanguinis effusiones factæ sunt, ut omni humano & divino jure polluto, nihil relictum fuerit ad majorem crudelitatem, præsertimque in hac misera & afflicta Italia, in qua omnium cupiditates & odia sævierunt: quæ cum per se acerba & intoleranda, tum hoc etiam periculosiora ac perniciosiora fuerunt, quod imminente cervicibus totius Christianitatis atque ejusdem miseræ in primis Italiæ potentissimo atque immanissimo hoste Chri-

Ad lib. 3. cap. 10. pag. 141.

1521.

Ex tabulario molis Hadriana.

Christiani nominis Reges Turcarum quæ arma ad defensionem tanti periculi parata esse debuerunt, ea a nonnullis Principibus Christianis, tanquam conspiratione cum ipsis Infidelibus facta, ad augendum periculum, damnumque Christianitatis male conversa fuerunt. Et quidem non defuere illi, quorum auctoritas valere debuit in admonendo, cohortando & obsecrando, ut, iis privatis odiis omissis, generali Christianitatis saluti & sanctæ fidei Catholicæ consuleretur: nec ullus labor aut cura prætermissa est, ut sancta inter Christianos Principes pax constitueretur. Sed tantum potuit quorundam effrænata cupiditas & privati emolumenti non tam amor, sed rabies, ut clausis ad bona & salutaria consilia auribus atque animis, vice Turcarum atque Infidelium, in ipsos Dei populos hucusque fuerit sævitum. Multa fuerunt dicta, scripta, tractata, ut sancta expeditio contra Turcas sumeretur: multa hinc inde recepta & promissa: decimæ ecclesiasticæ Principibus concessæ, Cruciatæ datæ, maximæque ex his rebus pecuniæ coactæ: & tamen unius adhuc solius Serenissimi Cæsaris Caroli Regis Romanorum electi fides & virtus in hoc præclarissimo opere spectata est, qui magna classe Gerbas insulam Maurorum, receptaculum piratarum, valde opportunam rebus Christianis, sub ditionem suam redegit.

Ceterorum aliquis, qui pro nomine & meritis erga hanc Sanctam Sedem potissimum tenebatur, his diebus requisitus, ut auxilium Rhodo insulæ atque Italiæ ac Siciliæ ferre vellet, quas Turcæ invasuri credebantur, respondit, hanc curam eorum esse debere, quorum interesset: se remotum ab his periculis, sua cum opus esset, defensurum esse, hoc modo suum auxilium Deo & Christianæ fidei negans contra promissiones etiam suas, manu propria conscriptas: quas pravas voluntates, mala, detrimentaque totius Christianitatis cum inde processisse & aucta fuisse manifestum sit, quod aliqui Principum suis propriis cupiditatibus frena laxantes, ad veros & primarios Principes Christianitatis, Romanum videlicet Pontificem & Serenissimum Imperatorem respectum non habuerunt propterea quod ad hunc diem alter auctoritate sola regere insolentias illorum non poterat, alter debitum ad coercendam potentiam non habebat; visus est omnipotens Deus suo divino consilio his tantis malis providere voluisse, vocato ad Imperium Serenissimo Carolo

Ca-

Catholico, qui opibus & potentia multis jam sæculis parem non habuerit, ex cujus magnitudine animi, pietate erga Christi fidem, observantia in Sanctam Sedem Apostolicam sit præditus, ut summa & certissima in eo spes felicium temporum & liberandæ ab omni Infidelium & eorum, qui Infidelibus quandoque deteriores sunt, periculo, Christianitatis, possit constitui. Qua occasione oblata, quoniam utrasque has potestates, Pontificalem & Imperialem, supremas omnium constituit Deus, & ab ipsis, Romano Pontifice & Imperatore, ratio Deo reddenda est gubernationis & administrationis totius Reipublicæ Christianæ, idcirco ad emendandos Christianitatis errores, pacemque universalem constituendam, bellum generale contra Turcas suscipiendum, omniaque in meliorem statum & formam redigenda, decreta est, Deo inspirante, eodemque adjuvante, inter Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam X. & Serenissimum Cæsarem Carolum prædictos perpetuæ pacis, amicitiæque & inviolabilis fœderis conjunctio, quæ signum attollat, & spem confirmet omnibus Deum vere colentibus & fidem Catholicam salvam volentibus, meliora deinceps tempora a Deo optimo maximo suis fidelibus præparari.

Sed quia corpus graviter ægrotum sine alicujus partis detrimento sæpe non potest sanari, necessarioque pravum aliquod membrum aut secandum aut inurendum est, idcirco si armis necessario utendum fuerit ad auctores tantorum malorum a sua injuria & insolentia repellendos, conveniet hoc justitiæ. Non enim potest effectus optatæ pacis consequi, nisi causæ bellorum sublatæ sint: quæ omnes ab ipsa Italia & propter ipsam ut plurimum exortæ sunt. Patet enim duas res fuisse & esse omnis tumultus semper & perturbationis causas: unam anxiam illam cupiditatem Francorum obtinendi Ducatum Mediolanensem & Civitatem Genuæ, ac ab his, tanquam arcibus, toti Italiæ dominandi: alteram damna & injurias huic Sanctissimæ Sedi Apostolicæ sæpe illatas, quas ut propulsare & evitare posset, suaque detrimenta sarcire, erepta recuperare, auxilium ab aliquo Principum petere coacta est, & adversus impie contra se venientes arma implorare. Quibus malis omnibus providere omnino cogitans Serenissimus Cæsar Carolus, SEDEMQUE APOSTOLICAM, ut BONUM EJUS ADVOCATUM & PROTECTOREM DECET, in OMNI SUA DIGNITATE INCOLUMEM CON-

CONSERVARE, Italiam vero, cujus corrector ipse est, Statumque Mediolani & Civitatem Genuæ, ad se jure omni pertinentes, a tyrannide & violentia ad æquius imperium & legitimam gubernationem redigere, subditosque & commendatitios suos per vim atque injuriam pulsos restituere, rebusque publicis meliorem formam reddere; Sanctissimus vero Dominus Noster Leo X. ad quietem, pacemque stabilem totius Christianitatis, & bellum contra Infideles, ut semper, anhelans, huncque ducem sacræ expeditionis a Deo sibi oblatum judicans, & quemadmodum socii in summa auctoritate ac potestate a Deo facti, ut sic animis, amore, amicitia & fœdere perpetuo socientur ambo, quod Deo gratum & acceptum, Reipublicæ Christianæ felix faustumque sit, utrisque ipsis utile ac honorificum fœdus indissolubile, pacemque perpetuam sub Capitulis infrascriptis, per magnificum Dominum Johannem Emmanuelem Cæsareæ Majestatis Oratorem ad Cæsarem mittendis, ab ipsa deinde Cæsarea Majestate ratificandis manu propria & approbandis, inierunt, fecerunt, confirmaverunt.

I.

Et primo prædicti duo Principes; Sanctissimus Papa Leo X. & Serenissimus Cæsar Carolus Hispaniarum ac utriusque Siciliæ citra & ultra Pharum Rex, faciunt ligam atque amicitiam, junguntque se fœdere perpetuo & indissolubili, ita ut eosdem habeant amicos, eosdem hostes sine exceptione, ut una atque eadem amborum sit fortuna, idem velle & nolle ad offensionem quorumcumque & defensionem a quibuscumque opus fuerit, alter semper cum altero copulati atque conjuncti, obligantes se invicem, uterque alterius statum, dignitatem, res omnes tam publice, quam privatim possessas, nunc & in posterum vigore præsentis fœderis possidendas, tueri, conservare, defendere, ut qui alterutrum læserit aut lædere attentaverit, alterius continuo sit hostis.

II.

Item quod omnia alia fœdera & colligationes, & obligationes alias inter eosdem Pontificem & Cæsarem facta, permaneant in suo robore, neque illis per hoc præsens fœdus in-

intelligatur ullo modo derogatum, ſed nova hæc conjunctio ſuperiorum fœderum inter eos potius ſit major confirmatio. Verum aliæ quidem omnes ſocietates, amicitiæ, confœderationes, quas alteruter eorum cum alio quovis Principe aut Potentatu habeat, intelligantur ſuſpenſæ & abrogatæ, quatenus contra præſentem veniant conventionem. Hinc vero inter dictos duos Principes fœderi præſenti per alias nullas conventiones cum quovis alio Principe aut Potentatu factas ſeu faciendas, intelligatur unquam derogatum, neque poſſit derogari. Nec vero alter ſine altero duorum dictorum Principum pacem ſive inducias aut conventionem aliquam cum aliis quibuſcumque facere debeat.

III.

Item cum deliberaverit Sereniſſimus Cæſar ob rationes ſupra allegatas redigere in eam formam Statum Mediolani & Genuæ, quæ cum voluntate ſuorum majorum & quiete ac pace Italiæ olim fuit ſervata, ut ipſe tanquam verus eorum Princeps pro Imperiali ſua dignitate recognoſcatur, id quod nunc non fit, Sanctiſſimus Dominus Noſter contentus eſt & paratus accedere ad voluntatem Cæſaris, & contribuere pro ſua parte omne auxilium ad hoc opus. Et quoniam plurimum conferet, in hanc expeditionem uti viribus & manu Helvetiorum, quæ fortiſſima natio hujus Sanctæ Sedis devotiſſima, & Cæſareæ Majeſtatis amantiſſima eſt, conventum eſt & decretum inter dictum Sanctiſſimum Dominum noſtrum & Cæſarem conducere ſexdecim millia Helvetiorum, & pro ſtipendio eorum, tempore, quo militaverint, deputare ducenta millia ducatorum, centum per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum providenda, alia centum millia per Sereniſſimum Cæſarem.

IV.

Item quod hanc ſummam ducentorum millium ducatorum uterque pro ſua parte paratam & in promptu habere debeat in Civitate Auguſtæ primo die Septembris proxime futuri, & uterque ibidem hominem ſuum, in quo confidat: qui homines uno animo atque conſilio dictas pecunias exponant, militibus ſtipendium dent, omniaque concorditer

tractent atque gerant, quæ ad commodum & voluntatem suorum Principum exequendam fuerint opportuna.

V.

Item quod dictus numerus Helvetiorum debeat stipendiari citra diem XV. Septembris, & quamcelerrime & occultissime fieri poterit, Illustrissimo Domino Francisco Sfortiæ Barri Duci, Mediolanum versus præmitti, eodemque tempore Cæsarea Majestas ordinet, ut Classis sua cum omni copia militum, qui nunc sunt ad Favilinam, Adurnos Genuam deducat, atque ut expeditius utraque civitas recuperetur, Mediolanum & Genuam videlicet, jam nunc statuatur, ut utra manus celerius commissionem suam peregerit, cum altera statim conjungatur ad opus celerius perficiendum, Gallosque extra Italiam penitus submovendos.

VI.

Item cum Cæsarea Majestas intentionem firmam habeat habueritque reponere dictum Franciscum Sfortiam in Statum Mediolanensem, prout frater & pater ejus fuerunt, teneatur illum creare Ducem Mediolani, sicut a claræ memoriæ Maximiliano avo suo pater dicti Francisci creatus fuit, itemque Antoniottum Adurnum Ducem Genuæ juxta morem & leges illius Civitatis, a quibus tamen, tanquam obedientissimis suæ Majestatis servitoribus, Serenissimus Cæsar pro vero & supremo Domino cum omni reverentia recognoscatur.

VII.

Item quod Franciscus Sfortia prædictus teneatur, recepto Ducatu Mediolani & Gallis expulsis, etiamsi nondum arces recuperatæ fuerint, curare, ut præfatis Papæ & Cæsari restituantur septuaginta quinque millia ducatorum in termino duorum mensium, & in alio aliorum duorum mensium termino alia septuaginta quinque pro tanto accepto beneficio & pro tantis expensis, ab ipsis Pontifice & Cæsare in ejus commodum atque honorem factis: quæ in totum centum quinquaginta millia ducatorum Pontifex & Cæsar pro rata parte impensæ, in Helvetios factæ, inter se dividant.

Item

VIII.

Item quod prædictus Adurnus & Hieronymus ejus frater, recepta Genua, teneantur intra dies XV. curare, ut militibus Classis Cæsareæ stipendium solvatur unius statim mensis, deinde etiam alterius in recognitionem tanti beneficii & propter stabilimentum Status sui: quod beneficio Cæsaris assequentur, & sub ejusdem patrocinio retinebunt.

IX.

Item quo tempore Helvetii Mediolanum versus, Classis maritima Genuam jussu & auspiciis Cæsaris, contendent, eodem tempore ordinare debeat Cæsar, ut ex Regno Neapolitano quingenti equites cataphracti ad eandem properent expeditionem: qui quidem jam nunc sub alio colore & prætextu (quod facile erit) in unum cogendi sunt, Bononiam suo tempore celeriter mittendi: quibus per statum Sanctæ Ecclesiæ transeuntibus totidem ex suis aut etiam plures adjungat Summus Pontifex: qui omnes conjuncti & uniti, quo opus fuerit, tempestive ducantur.

X.

Item quod Cæsarea Majestas ordinare debeat, ut in sua Classe vis magna sit tormentorum cum omni munitione navatia, quibus, ubi res postulaverit, in terram expositis, arces, quæ ab hostibus tenebuntur, expugnari possint: idemque Sanctissimus Dominus Papa facere teneatur, copiamque tormentorum Bononiæ & in Romandiola paratam habere, quæ duci possint quo expedierit.

XI.

Item cum Serenissimus Cæsar CONSTITUTUM HABEAT REINTEGRARE Sanctam ROMANAM ECCLESIAM & Sedem Apostolicam AD EAS RES OMNES, quæ AD EAM JURE SPECTANT, ut optimi PROTECTORIS ejus & ADVOCATI nomen OFFICIUMque adimpleat, ex nunc promittit Serenitas sua quamprimum Galli e Mediolanensi Statu fuerint expulsi, etiamsi arces nondum recuperatæ

ratæ fuerint, RESTITUENDAS se curaturum PARMAM atque PLACENTIAM Sanctissimo Domino Nostro & Sedi Apostolicæ, prout a felicis recordationis Julio II. & a Sanctitate Sua POSSESSÆ atque OBTENTÆ fuerunt, deque eis eundem Sanctissimum Dominum Nostrum & Sedem Apostolicam investiturum, RENUNCIANDO, & in eam OMNE JUS, ACTIONEMQUE, quam ipse FORSITAN ad eas jure Imperiali PRÆTENDERET se habere, TRANSFERENDO, itemque EFFICIENDO, ut Franciscus Sfortia eisdem CEDAT eidem Apostolicæ Sedi, OMNEQUE JUS, quod, tanquam Dux Mediolani in eas habet, in Apostolicam Sedem TRANSFERAT. Quas etiam Civitates supradicto casu Sanctissimus Dominus Noster RECIPERE & RECUPERARE SIBI IPSE POSSIT, & ILLI INTELLIGANTUR CONCESSÆ & DATÆ.

XII.

Item promittit Serenissimus Cæsar, se effecturum, ut a prædicto Francisco Sfortia eædem conventiones, pacta, & capitula salis, a Sede Apostolica accipiendi, serventur, quæ cum Rege Francisco fuerunt facta, idest ut toti Statui Mediolanensi non aliud sal, quam a Sede Apostolica acceptum, in usu sit, cum eisdem conditionibus & pactis, ut dictum est, quæ cum Francisco Rege convenerunt, promittendo etiam se effecturum, ut in his capitulis partes illæ, quæ ad Franciscum Sfortiam & Dominos Adurnos spectant & pertinent, per eos ipsos acceptabuntur & ratificabuntur.

XIII.

Item, ut omnibus in rebus appareat Cæsareæ Majestatis erga Sanctam Sedem Apostolicam amor & observantia, utque EA IN OMNE JUS SIBI DEBITUM RESTITUATUR PLENARIE, cum clarius luce sit, Ferrariam ad ipsam Sedem omni ratione & causa pertinere, promittit Serenissimus Cæsar omnem vim, omnem potentiam suam, atque auxilium, ut ea eidem Sedi Apostolicæ recuperetur. Modus autem eam obtinendi sic futurus est facilis, ut apparet, & expeditus, & non magnæ impensæ. Ut primum invadentes Statum Mediolanensem Helvetii Gallos expulerint, & nondum

dum receptis arcibus, subito Ferrariam deducantur: itemque maritimæ copiæ, recepta Genua, itinere terrestri ad eandem civitatem Ferrariæ continuo mittantur, ac simul cum his quingenti equites supradicti sub auspicio Cæsaris, totidemque vel etiam plures Summi Pontificis uniantur cum tormentis & Classe Cæsarea, & iis, quæ per Sanctissimum Dominum Nostrum Bononiæ & circum fuerint parata: quo præpotente exercitu, tormentis & apparationibus, de celeri expeditione dictæ Civitatis dubium futurum non est, præsertim re & celeriter & secrete tractata; tanta enim erit obsidionis vis & celeritas, ut locus non videatur dari, illam Civitatem, ut opus foret, fortificandi, etsi etiam bene munita esset, terrorem tamen tanti exercitus ferre non possit. Quod si tamen præter omnem rationem difficilior esset & tardior Ferrariæ expugnatio, tunc idem Serenissimus Cæsar promittit Sanctissimo Domino Nostro, se prosecuturum expugnationem cum idoneo exercitu ad eam expugnandam per sex integros menses, medietatemque totius impensæ, in hoc bellum faciendæ, se contributurum.

XIV.

Item promittit Serenissimus Cæsar, se accepturum, prout ex nunc accipit, patrocinium & protectionem ac defensionem quascunque sine ulla prorsus exceptione personæ, Sanctissimi Domini Nostri & totius Illustrissimæ Domus & familiæ de Medicis, ac in specie & præcipue Reverendissimi Domini Cardinalis de Medicis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, necnon statuum, bonorum, rerum, jurium, privilegiorum, & prærogativarum omnium, quæ dicta familia possidet, tam a Sede Apostolica dependentium, quam propriorum & privatorum.

XV.

Item promittit idem Cæsar, in eadem se protectione habiturum omnes confœderatos & colligatos cum Sanctissimo Domino Nostro, & specialiter Florentinos cum omni statu & rebus, quas in præsens possident. Et quia in ipsis confœderatis Sena civitas est cum eo, quo nunc gubernatur, regimine, in quam plenum jus est Cæsaris, cui nulla in

in parte detrahere, sed potius semper favere intendit Sanctissimus Dominus Noster; ideo declaratur, Cæsarem ex sua benignitate velle, & concedere, ut Sena sub protectione ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, & in eo, in quo nunc est, statu, gubernante Reverendissimo Cardinali de Petrucciis, manere permittatur; propterea quod ad ceterum Statum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri vehementer commoda & opportuna est, & Cardinalis Petruccius Senæ ejusdem factura est. Sed hæc ita sint tamen, ut dicta civitas, & ejus regimen recognoscant Cæsarem supremum suum Principem, & illi omni observantia, servitio & fide subjecti sint, quantum commode & honeste fieri poterit.

XVI.

Item quoniam Sanctissimo Domino Nostro cura est aliquanto etiam major rerum spiritualium & pastoralis officii, quam temporalium, dignitatem Sanctæ Apostolicæ Sedis supra omnia carissimam habet; multi autem exorti sunt, qui & de fide Catholica male sentire, & dictam Sedem sua malignitate & maledicentia lacerare non dubitant, promittit Serenissimus Cæsar, se CONTRA EOS, qui SEDEM APOSTOLICAM VERBO & FACTO LÆDERE PRÆSUMUNT, aut FIDEM CATHOLICAM PERTURBARE CONANTUR, ut JUSTISSIMUM & CHRISTIANISSIMUM IMPERATOREM DECET, omnem vim suæ potestatis districturum, eosque persecuturum, omnesque INJURIAS EIDEM SEDI ILLATAS, tanquam sibi factas, vindicaturum.

XVII.

Item promittit idem Cæsar, se non accepturum in protectionem QUEMQUE SANCTÆ ECCLESIÆ SUBJECTUM MEDIATE seu IMMEDIATE, sed eos omnes relicturum sub CORRECTIONE & PLENO ARBITRIO Sanctissimi Domini Nostri. Et si forsan aliquorum hujusmodi protectionem susceptam jam haberet, se eam DIMISSURUM & adversus contumaces se eidem Sanctissimo Domino Nostro OMNI AUXILIO AFFUTURUM, ut PUNIANTUR: quæ omnia vicissim promittit Sanctissimus Dominus Noster Cæ-

Cæsari de ejus subditis: & quod de iis, qui ex utraque parte deliquerint, stabunt, & fidem habebunt inter se, alter dicto & assertioni alterius. Item promittit Sanctissimus Dominus Noster Serenissimo Cæsari quoties opus sit, in defensionem Regni Neapolitani a Cæsare possessi contra quoscumque omnia auxilia sua, tam terrestria, quam maritima, quantum suæ & hujus Sanctæ Sedis vires se extendent, armaque omnia, tam temporalia, quam spiritualia.

XVIII.

Item quod adventum Cæsaris ad Italiam & ad accipiendam coronam Imperii omni sua gratia & liberalitate Sanctissimus Dominus Noster excipiet, & in omnibus eum, tanquam carissimum & amantissimum filium, tractabit.

XIX.

Item promittit Sanctissimus Dominus Noster, se omni auxilio affuturum Serenissimo Cæsari, quotiescumque ille bellum contra Venetos sit suscepturus, omnibus viribus suis temporalibus & spiritualibus: necnon in omnibus aliis rebus, negotiis, bello & pace, se cum eadem Majestate Cæsarea semper conjunctissimum futurum, ut res ipsius Cæsaris eodem habeat loco, quo suas, in omnibus & per omnia. Quoniam autem fortissima Helvetiorum natio cum hac Sancta Sede conjunctissima semper fuit, multaque præclara gessit facinora ad ecclesiasticam libertatem defendendam, ac præsertim contra eosdem Gallos, unde illustribus titulis meruit decorari, eamque Sanctissimus Dominus Noster secum omni tempore vult esse conjunctam, quam eandem fore non dubitat observantissimam Majestatis Cæsareæ; idcirco in hoc fœdere vult esse comprehensam, prout Sanctitas Sua eam comprehendit & nominat.

XX.

Item cum Serenissimus Rex Angliæ & propter virtutem & propter celsitudinem animi sui huic Sanctæ Sedi sit amicissimus, atque eodem in Cæsarem animo sit & benevolentia, Sanctissimus Dominus Noster & Cæsar in hoc

præ-

præſenti fœdere locum illi relinquunt honorificum & digniſſimum ipſius Serenitate regia, ita quidem, quod non poſſit prædictus Rex Angliæ alios ſecum in fœdere aſcribere, quorum aſcriptio & nominatio præſenti fœderi & capitulis in eo contentis aliqua ex parte contrarietur.

XXI.

Item quod præſentis fœderis ac conventionis & colligationis, omniumque in ea capitulorum contentorum duo exemplaria authentica fieri debeant, quorum unum manu Sereniſſimi Cæſaris ſubſcriptum apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum remaneat, alterum manu ſubſcriptum ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri apud ipſum Cæſarem ſit depoſitum.

Hæc autem capitula, acta, concluſa & firmata fuerunt in palatio Apoſtolico in camera ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri die, menſe & anno infraſcriptis: quæ etiam erunt ſubſcripta manu ipſius Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Illuſtris Domini Joannis Emanuelis oratoris & procuratoris dicti Sereniſſimi Caroli Regis in Imperatorem electi.

Ita convenimus & promittimus I.

Ego *Joannes Emanuel* Sereniſſimi Caroli Romanorum & Hiſpaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum & Sedem Apoſtolicam orator, habens plenum & ſufficiens mandatum ad capitulandum & firmandum conventiones & pacta quæcumque cum Sanctiſsimo Domino Noſtro Leone divina providentia Papa X. & dicta Sede, vigore dicti mandati, quod exhibui & eidem Sanctiſsimo Domino Noſtro conſignavi, approbo & confirmo omnia ſupraſcripta, ac obligo prædictum Imperatorem nomine, quo ſupra, ad ſervandum omnia ſupradicta, per me ſuo nomine geſta: ac promitto, quod idem Carolus Rex ratificabit de novo infra viginti quinque dies a præſenti data omnia ſupraſcripta in authentica forma cum inſertione ſupradictorum capitulorum & conventionum ſub pœna decem millium ducatorum, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum: & ratificationem ſubſcribet manu propria, & ſuo ſigillo ſignari faciet, ac ad Urbem mittet, & eidem San-

Sanctissimo Domino Nostro realiter & cum effectu intra dictos dies consignabit.

Et in fidem præmissorum hanc subscriptionem manu alterius subscriptam, propria manu firmavi & subscripsi, & meo parvo sigillo firmari jussi. Romæ die VIII. Maji MDXXI.

Locus † sigilli.

NOTA.

1. Summi Pontifices ubi privatim quibusdam actis manu propria subscribunt, hoc prima littera sui prænominis, ex baptismate habiti, facere consueverunt, quemadmodum supra videmus, Leonem X. primam litteram sui prænominis, quod *Joannes* fuit, posuisse.

2. Leo fœdus hoc cum Carolo V. secreto pepigit, ut (a) Paullus Paruta testatur: illudque postea, oblata occasione, vulgavit, ut (b) Guicciardinus ait, dum Respublica Veneta, quod rerum suarum status sic postularet, cum Galliarum Rege ita fœdere obstringebatur, ut nec suæ erga Pontificem observantiæ deesset, nec Imperatoris amicitiam dimitteret, teste (c) Andrea Mauroceno. Leo, ut sua recuperaret, invitus multis conditionibus subscribere coactus est: quæ tamen desierunt, Imperatori Ducatu Mediolanensi, Parma & Placentia Pontifici partis. (d) Paullus Jovius in Leonis X. Vita de tali fœdere hoc pacto loquitur: *Erat Romæ Joannes Manuel Cæsaris Legatus, usu gravissimarum rerum insignis. Cum hoc Leo transegit initque fœdus, ut Galli Italia pellerentur, Franciscus Sfortia Mediolanense imperium jure paternæ hæreditatis obtineret,* PLACENTIA *vero &* PARMA *Leoni, tanquam a Gallis impotenter ereptæ, redderentur.* In Vitis Ferdinandi Avali Piscariæ Marchionis, & (e) Alphonsi I. Ferrariæ Ducis eadem a Jovio narrantur. Quare publicum hoc fœderis instrumentum quibuscunque perspicuis ac necessariis testificationibus uberrime corroboratur.

a *Hist. Veneta lib.* 4. *pag.* 282. *edit.* 1. *Ital.*

b *Histor. Italiæ lib.* 14. *par.* 2. *pag.* 186. *edit. anni* 1635.

c *Historia Venetæ lib.* 1. *pag.* 10.

d *Lib.* 4. *pag.* 103.

e *Lib.* 4. *pag.* 299. 300. *edit. Floren.*

f *Pag.* 42. 43. *edit. Florent.*

XL.

Pontificis Leonis X. Edictum contra Franciscum I. Galliarum Regem, Odetum de Fuxo Lautreci dominum & Mediolani Præsidem, ac fratem ejus Thomam Scuti dominum, PARMAM ac PLACENTIAM impotenter occupatas detinentes.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Ad lib.3.cap.10 pag.141.

1521.

Ex tabulario Vaticano.

I. AD bonorum tutelam & malorum perniciem scelerumque vindictam justitia cœlitus emanavit, ut qui virtutis amore peccare non verentur, pœnæ formidine compescantur & quos Dei timor a malo non revocat, eorum audaciam ecclesiastica severitas reprimendo castiget. Cum itaque nobis tradita sit potestas pœnarum spiritualium & temporalium, jure & merito noster excitari ac insurgere debet animus cum talia a Christi fidelibus, præsertim illis, quibus Regnorum cura a Deo commissa est, fieri ac perpetrari audimus, propter quæ Deus offenditur, jus gentium violatur & justitia ipsa perturbatur, disciplina confunditur, censuræ ecclesiasticæ & mandata Apostolica vilipenduntur, scandalizatur fidelis populus, & in superbiam erigitur indevotus. Sane qualis circa Regum & Principum Christianorum pacem & concordiam mens nostra semper fuerit, quantumque circa eam componendam laboraverimus, ipsosque Reges & Principes non solum literis, sed etiam propriis Nunciis paterna caritate hortati fuerimus, ut ipsam pacem, tanquam bonum hereditarium, nobis a Deo relictum, complecti vellent, omnibus notum esse apertissimeque constare, non dubitamus. Nec ad alium finem nostra unquam aspiravit intentio, quam, ut Christianorum rebus compositis atque pacatis, sanctam contra Infideles expeditionem, per nos ac felicis recordationis Julium Papam Secundum prædecessorem nostrum toties in moderni Concilii Lateranensis sessionibus non solum propositam & promissam, sed etiam sa-

facro ipfo approbante Concilio decretam, fumere & profequi, ac, dextera Domini afsiftente propitia, ad laudem Dei, Chriftianæque Fidei exaltationem, terminare poffemus Et propterea ne tam fanctum & falutiferum ac neceffarium opus impedimenro aliquo differri feu retardari poffet, inter claræ memoriæ Maximilianum in Imperatorem electum & alios Reges, Principes & Potentatus Chriftianos, necnon Refpublicas, Communitates, ceterofque Chrifti fideles quinquennales inducias feu treguas de Fratrum noftrorum confilio indiximus, eafque fub excommunicationis latæ fententiæ ac anathematis, & aliis tunc exprefsis pœnis dicto durante quinquennio inviolabiliter fervari debere decrevimus, ipfofque in virtute fanctæ obedientiæ monuimus, ut, dictis induciis durantibus, in caritate mutua, firmaque amoris & benevolentiæ unione perfiftentes ab omni prorfus abftinerent injuria & offenfione, ut omni metu & fufpicione invicem carentes, eidem contra Turcas expeditioni libere intendere poffent. Et licet nobis perfuaderemus, omnes Reges, tanquam veros & Catholicos Principes, ac Romani Pontificis, ut par eft, mandatis obfequentes, dictas inducias, de ipforum confenfu per nos indictas & per eos acceptatas, fervaturos fore; nullum tamen fidelius & conftantius id facturum fperabamus, quam carifsimum in Chrifto filium noftrum Francifcum Francorum Regem Chriftianifsimum, ea potiffimum ratione, quod poftquam Ducatum Mediolanenfem, quem contra noftram & fere omnium Chriftianorum Principum voluntatem, qui tunc Ducem Mediolani in Ducatu fuo publicæ utilitatis & quietis caufa manutenere volebamus, non fine maxima rerum prope omnium confufione, ac plurimorum Chrifti fidelium fanguine & ftrage affectaverat, & noftrorum militum potius negligentia, quam virtute fua, potitus fuerat; NOSque ejus FURORI RESISTERE NON VALENTES, ac MAJORA SCANDALA propter ejus infolentiam & minas FORMIDANTES, PARMAM & PLACENTIAM CIVITATES, AD NOS & ROMANAM ECCLESIAM PERTINENTES, quiete & pacifice RELIQUERAMUS. Et ut eum ad arma deponenda & filialem obedientiam nobis perfonaliter præftandam induceremus, nos ad civitatem noftram Bononiæ contuleramus, ipfumque, tanquam peculiarem filium noftrum, receperamus, ac ei mentem noftram fuper induciis & expeditione hujufmodi de-

Siquidem ad Regnum Navarræ, quod claræ memoriæ Ferdinandus Rex Catholicus, dicti Caroli Regis in Imperatorem electi avus maternus, sibi a præfato Julio prædecessore, propter tunc Regis Navarræ Conciliabulo per Schismaticos congregato adhæsionem, concessum, justo ac legitimo bello ceperat, & inde sibi ab eodem Julio prædecessore confirmari obtinuerat: quodque ipse Carolus Rex in Imperatorem electus, tanquam ejusdem Ferdinandi Regis legitimus heres & verus successor, pacifice possidebat, magnum & copiosum exercitum misit: qui dictum Regnum defensoribus vacuum & a nonnullis auro corruptis proditum, facile occupavit, ac nonnullas etiam proximas civitates Regni Hispaniarum tormentis bellicis admotis invasit, si forte eas propter intestinas discordias capere posset.

3. Nec defuit idem Franciscus Rex, in Regno Neapolitano in civitate Cajetanensi quosdam ejusdem civitatis primarios rerum novarum cupidos corrumpere & ad rebellionem ac tumultus in dicto Regno excitandos sollicitare. In Comitatu etiam Flandriæ cuidam Roberto de la Marca, ut ab ipsius Caroli Regis in Imperatorem electi debita obedientia recederet, similesque seditiones ac tumultus in dicto Comitatu excitaret, vires & animum præstare præsumpsit: quæ profecto ab aliis malis operibus suis minime aliena fuerunt. Memores enim sumus, quod superioribus annis non solum humanam, sed etiam divinam iram contra se provocare non timuit, quippe qui postquam decimas super fructibus omnium Ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in toto Regno Franciæ consistentium exigendas & sibi consignandas, & per eum in Sanctæ Cruciatæ dumtaxat usum convertendas, a nobis importunissimis temporibus ac flagitationibus obtinuit, illasque in nullum alium, quam dictæ expeditionis usum exponere nobis promisit, ac jurejurando confirmavit; nosque audientes Turcarum Tyrannorum, orientalibus rebus per se compositis & pacatis, ingentem classem, formidandumque exercitum parare, ut uno eodemque tempore Christianos terra marique aggredi posset, eundem Franciscum Regem requisivimus, ut tam grandi ac universæ Christianæ Reipublicæ imminenti periculo cum pecuniis ad dictum usum collatis juxta jusjurandum per eum præstitum occurrere vellet, super hoc responso, id negavit, & negocium hoc ad se minime pertinere dixit, causamque Chri-

Christianæ fidei, cui Christi fideles omnes adstricti & obligati tenentur, a se tanquam alienam abdicando, ac præstitum jusjurandum non servando, se non verum Christianum, sed infidelem & perjurum esse declaravit. Ex pluribus, quæ contra libertatem ecclesiasticam, quam præ ceteris omnibus contra quoscumque defendere ac illæsam servare tenetur, facere præsumpsit, illud silentio præterire non possumus, quod cum in Concordatis inter nos & hanc Sanctam Sedem, ac ipsum Franciscum Regem pro abrogatione Pragmaticæ initis, inter alia contineretur, quod impetrantes beneficia ecclesiastica, in dicto Regno Franciæ consistentia, verum eorum valorem exprimere tenerentur, ac nonnulli valorem hujusmodi expressissent, sicut nobis relatum fuit, eorum collo Bullas Apostolicas desuper expeditas alligari, ipsosque in flumine mergi sævitia plusquam tyrannica jussit: & quondam Joannem Abbatem monasterii Sancti Tiberii Ordinis Sancti Benedicti Agathensis diœcesis de mandato dilectorum filiorum Parlamenti Tolosani in proprio monasterio captum ac publicis carceribus in civitate Tolosana, quia literarum Apostolicarum vigore eis inhibuerat, ne de causa certæ absolutionis sibi commissæ se intromitterent, incarceratum & inibi per plures annos detentum, licet pluribus literis non solum benigne hortatus ac requisitus, sed etiam rogatus fuisset, ut eum contra omnem justitiam, & in maximum ecclesiasticæ libertatis præjudicium diu indebiteque detentum, e dictis carceribus pro nostro & hujus Sanctæ Sedis honore tandem relaxari mandaret, id facere pertinacissime semper negavit, donec dictus Abbas pluribus corporis incommodis & mœrore animi confectus, in carceribus ipsis miserabilem vitam finivit. Nec veritus est idem Franciscus Rex innumeris aliis modis dictam libertatem ecclesiasticam impugnare, benignas ac paternas monitiones nostras continue respuendo, & in nostrum & dictæ Sedis contemptum ea consentiendo & faciendo, quæ nos in præsentiarum referre quodammodo pudet, ut merito dicere possimus, in eo, quem omnibus gratiis & favoribus prosequuti semper fuimus, bonum triticum seminasse & spinas invenisse.

4. Postremo ut conceptum contra nos & hanc Sedem odium universo terrarum orbi notum ac manifestum faceret; civitatem nostram Regii per iniquitatis filium Thomam de Foix dominum de Lescu, Odeti de Foix domini de Lautrech

trech Gubernatoris dicti Ducatus Mediolani fratrem germanum, ejusque in dicto Ducatu Locumtenentem, dolo & insidiis occupare tentavit: qui dictam civitatem equestribus & pedestribus copiis incredibili celeritate eo adductis ex improviso adortus, cum eam capere non potuisset, ac illius agros & territorium depopulatus fuisset, sal Cameræ nostræ Apostolicæ, quod per ipsius Cameræ officiales in civitate Mediolani vendebatur, ad manus suas, ipsis officialibus ejectis, recepit ac fructus Ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum per Cardinales & alios Prælatos & Curiales obtentorum sequestrari fecit, & alia plura in nostrum & hujus Sanctæ Sedis dedecus, damnum & præjudicium commisit: quæ omnia de ipsius Francisci Regis consensu & voluntate facta fuisse nemo dubitare potest, ipseque Franciscus Rex omnibus apertissime ostendit, qui non modo ipsum Thomam pro talibus excessibus nullo supplicio jussit affici, sed etiam ipsum Odetum cum pluribus militum copiis in Italiam misit, qui dictum Thomam foveret, ejusque temerarios conatus juvaret.

5. Præterea ut majori injuria nos afficeret, mercatores Florentinos, quos tanquam cives nostros paterna caritate diligi a nobis sciebat, in civitate sua Lugduni commorantes, contra salvumconductum eis concessum, detineri mandavit. Sed benedictus sit semper Dominus Deus noster, qui superbis ac propria temeritate confidentibus resistit, & vias occultas invenit, quibus mala non solum effectu careant, ac victis & innocentibus nihil obsint, sed quandoque etiam in bonum & utile vertantur. Siquidem præfati Francisci Regis contra dictum Carolum Regem in Imperatorem electum conatus non solum irriti omnes ac vani reciderunt, nihilque eidem Carolo Regi in Imperatorem electo, ejusque Regnis nocere potuerunt; sed etiam dictas seditiones, quæ nullis humanis remediis sedari posse videbantur, repente quasi in totum extinxerunt, ac Hispaniarum populos invicem bellis civilibus dissidentes unierunt, adeo quod paucorum dierum spacio non solum Gallos Hispaniam ingressos, ac civitates ad rebellionem sollicitantes inde profligarunt, sed etiam amissum Navarræ Regnum recuperarunt; ipseque Carolus Rex in Imperatorem electus omnia castra dicti Roberti, ab eo rebellare ausi, fere sub oculis ipsius Francisci Regis vi & armis expugnavit.

6. Po-

6. Populus autem dictæ civitatis Regii acriter se & dictam civitatem defendit, & ad pericula prospicienda & vitanda factus est imposterum cautior & deligentior: nobisque tot injuriis aperte lacessitis & provocatis justa ac legitima occasio data est ecclesiasticam libertatem in pristinum statum vindicandi, ac PARMAM & PLACENTIAM civitates prædictas AD NOS & ROMANAM ECCLESIAM PERTINENTES RECUPERANDI, quarum POSSESSIONEM, cum (ut præfertur) dictus Franciscus Rex Ducatum Mediolani cepit, per ejus ministros CAPI TOLERAVIMUS, cum illius, victoris & armati, potentiæ NULLO PACTO RESISTERE ac JURA NOSTRA TUERI possemus: & propterea singulis annis in die Cœnæ Domini DECLARAVIMUS ac PALAM PROTESTATI FUIMUS, JURIBUS SEDIS APOSTOLICÆ ac dictæ Romanæ Ecclesiæ undecumque & quomodocumque quæsitis, PER QUOSCUMQUE ACTUS CONTRARIOS aut quomodolibet præjudiciales TACITOS vel EXPRESSOS, a nobis vel a Sede Apostolica quomodolibet factos & faciendos, aut quemcumque fluxum temporis seu patientiam vel tolerantiam nostram NULLATENUS quomodolibet PRÆJUDICARI DEBERE aut POSSE.

7. Cum itaque tot rationes & causæ tam divinæ, quam humanæ nos invitent vel potius compellant, ut non solum temporalibus, sed etiam spiritualibus armis in eundem Franciscum Regem, tanquam publicæ Christianorum pacis & quietis turbatorem ac induciarum ipsarum violatorem, Fideique Catholicæ & Christianæ Religionis ac Religiosorum hostem, Christianissimique nominis, quod ejus prædecessores, Christianæ fidei terminos propagando & hanc Sanctam Sedem Apostolicam contra quoscumque eam molestantes defendendo, non sine maximis laboribus & periculis compararunt, penitus indignum, ulciscamur & prædecessorum nostrorum exemplo, qui Reges Francorum libertati ecclesiasticæ contravenire, eamque temere violare præsumentes, excommunicarunt, contra eundem Franciscum Regem, quo agente, jubente & judicante divina humanaque jura omnia sunt confusa, ac Odetum & Thomam præfatos, aliosque eorum adhærentes, sequaces & fautores, ac eis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes, modis a jure permissis procedamus; licet eos ob præmissa & alia, quæ

quæ recensere longum fuisset, majoris excommunicationis, anathematis, aliisque sententiis, censutis & pœnis in literis induciarum & treugarum hujusmodi, ac Constitutione per nos & prædecessores nostros in dicta die Cœnæ Domini singulis annis publicata, contentis, & in tales generaliter promulgatis, damnabiliter irretitos & ligatos esse censeamus; ad convincendam tamen ipsorum Francisci Regis ac Odeti & Thomæ, PARMÆ & PLACENTIÆ CIVITATUM hujusmodi OCCUPATORUM & DETENTORUM, Cameræ Apostolicæ ac ecclesiasticorum bonorum direptorum, aliorumque adhærentium, sequacium & fautorum, necnon auxilii & consilii præstitorum malitiam & proterviam; ut omni excusationis adminiculo penitus careant, eos ipsos ac omnes & singulos ad eorum stipendia militantes, eorumque complices, sequaces & fautores, auctoritate Apostolica tenore præsentium requirimus & monemus, eisque sub excommunicationis & anathematis pœnis prædictis, necnon maledictionis æternæ, districte præcipiendo mandamus, ut infra XV. dierum spacium post publicationem præsentium in locis infrascriptis, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo & reliquos quinque pro tertio, ultimo & peremptorio termino eorum cuilibet assignamus, PARMAM & PLACENTIAM CIVITATES NOSTRAS, ac Sal ablatum, eidem Cameræ seu nostro & dictæ Sedis Legato in castris Sanctæ Ligæ, inter nos & eundem Carolum Regem in Imperatorem electum, ut præfertur, initæ, existenti, omni prorsus exceptione & provocatione cessantibus, RESTITUANT, & fructuum sequestrum hujusmodi relaxent, ac de damnis illatis satisfaciant; alioquin Franciscum Regem, Odetum & Thomam, ac complices & ad eorum stipendia militanres hujusmodi, cujuscumque status, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, sententias, censuras & pœnas prædictas incurrisse, eosque excommunicatos & anathematizatos esse declaramus; ita quod ab eisdem sententiis, censuris & pœnis absolvi nequeant, nisi PARMÆ & PLACENTIÆ civitatum ac Salis hujusmodi RESTITUTIONE & sequestri relaxatione ac congrua damnorum satisfactione prævia: qua mediante, a nobis & Sede prædicta mereantur absolutionis beneficium obtinere.

8. Civitates vero, terras, opida, castra & loca, sub

ipsius Francisci Regis ditione constituta, ecclesiastico subjicimus interdicto, ad nostrum beneplacitum firmiter observando. Et quoniam juxta canonicas & legales sectiones non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, universos Duces, Marchiones, Comites & Barones, atque alios nobiles Dominos, civitatum quoque Communitates, Universitates terrarum, opidorum & locorum dominos, vassallos & subditos, sub ditione sua hujusmodi & alibi existentes, quocumque nomine nuncupentur, donec ipse Franciscus Rex in hujusmodi censuris permanserit, ab omni subjectionis, homagii & fidelitatis juramento ac obligatione quacumque, quibus dicto Francisco Regi antea quomodolibet tenebantur & obligati erant, plenissime absolvimus & absolutos fore, nec deinceps eos ad observationem alicujus eorum teneri, nec jure constringi, aut propter non observationem, de infamia vel alia quavis macula notari posse vel debere decernimus, sublata cuicumque quavis aliter interpretandi facultate aut potestate.

9. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, electis & locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna suspensionis a sacerdotali ministerio præcipimus & mandamus, quatenus præsentes literas in lingua materna seu vulgari idiomate civitatum & diœcesium suarum, ita quod ab omnibus etiam indoctis intelligi valeant, verti & transferri, ac ubi, quando & quatenus opportunum fuerit, in Ecclesiis & aliis locis earundem civitatum & diœcesium diebus Dominicis & festivis faciant solemniter publicari, ac Franciscum Regem, Odetum & Thomam, aliosque omnes & singulos in præmissis culpabiles nominatim & in specie, & eorum nomina & cognomina, si sciri poterunt, alioquin in genere, tamdiu excommunicatos, anathematizatos & maledictos publicari procurent, donec resumentes spiritum consilii sanioris PARMAM & PLACENTIAM civitates, ac Sal ablatum RESTITUERINT, & sequestrum relaxaverint, ac de damnis prædictis integraliter satisfecerint & absolutionis beneficium consecuti fuerint, ut præfertur. Postremo quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumpto, manu Notarii publici confecto, seu saltem subscripto, & sigillo alicujus

Præ-

Prælati ecclesiastici munito, ubique stetur, prout originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

10. Et cum eædem præsentes literæ in civitatibus & locis dicto Regi subjectis propter ejus potentiam tuto publicari nequeant, ne Franciscus Rex, Odetus, ac Thomas & alii, quos ipsæ literæ concernunt, quibus illud mandatur aut prohibetur per easdem, valeant de præmissis ignorantiam allegare & prætextu ignorantiæ hujusmodi, si illis non paruerint, excusationis velamen assumere, volumus, literas ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe ac Sancti Johannis Leteranensis, & deinde Bononiensis, Imolensis & Mutinensis Ecclesiarum valvis affigi, & hujusmodi affixiones publicari, decernentes, quod earundem literarum publicatio sic facta perinde Franciscum Regem, Odetum & Thomam & alios, quos literæ ipsæ tangunt, arctet, ac si literæ ipsæ a die affixionum & publicationum hujusmodi eis personaliter lectæ & insinuatæ fuissent, cum non sit verisimilis conjectura, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, privilegiis, indulgentiis, concessionibus & literis Apostolicis præfato Regi vel quibuscumque aliis personis, quavis dignitate fulgentibus, ac regnis, dominiis, provinciis, civitatibus, terris, opidis & locis, quomodolibet concessis, etiam quibus caveretur, quod ad privilegiorum exhibitionem compelli seu ipsi & eorum regna ac civitates interdici, suspendi vel excommunicari non possint: quibus illorum omnium tenores, ac si præsentibus insererentur, pro expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica ex certa scientia & potestatis plenitudine derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

11. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ requisitionis, monitionis, assignationis, declarationis, interdicti, absolutionis, constitutionis, præcepti, mandati, voluntatis, decreti & derogationis chartam infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, se iram omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem senserit incursurum.

Datum Romæ anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

D. De Comitibus.

Collat. Hip. de Cæsis.

NOTA.

Tom. 4. pag. 206.

Lib. 1.

Leo X. statim ab initio sui Pontificatus pacis inter Christianos Principes, præsertim in Italia, firmandæ cupidum se ostendit, ea mente, ut contra Turcas expeditionem susciperet. Ipse, quod ad hanc declarationem refertur, in epistolis ad Ludovicum XII. Galliæ Regem scriptis, id manifestavit: deque hac re loquitur Simon Fontana in Historia Catholica. Ante hoc Edictum VI. Cal. Augustas aliud vulgavit contra Thomam de Fuxo, quod Regium Lepidi aggressus fuisset, sal Apostolicæ Sedis sibi usurpasset, & in beneficia ecclesiastica Ducatus Mediolanensis impetum fecisset: illum, sociosque sacris interdicens, eidemque pœnæ nominatim subjiciens PARMAM *&* PLACENTIAM *civitates* AD NOS *&* ROMANAM ECCLESIAM PERTINENTES, *&* *per Gallos occupatas* INDEBITE *&* *de facto detentas*. Centoflorenus in libro X. M. S. *de Juribus Sedis Apostolicæ* disertim agit de his actis a Leone X. contra Gallos.

XLI.

Diploma in sacro Romanæ Ecclesiæ Senatu editum, quo Camerinensis ac Nepesinus Ducatus Sedi Apostolicæ rursus adjicitur a Pontifice Paullo III. & Petrus Aloysius Farnesius Castri Dux una cum suis natu majoribus masculis & ab se nascituris in Parmæ Placentiæque Ducatus possessionem mittitur.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad lib. 3. cap. 16. pag. 165.

1545.

Ex tabulario Vaticano.

1. IN supereminenti Apostolicæ Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, ad ea jugiter intendimus, per quæ omnis scandalorum tollatur occasio, & Sedes ipsa non solum a bellis, quæ prætextu civitatum & locorum nobis & Romanæ Ecclesiæ immediate subjectorum facile suscitari possunt, immunis præservetur; verum etiam ab impensis, quibus pro illorum custo-

ſtodia in dies premitur, libera, aliis commodioribus & tranquillioribus civitatibus & locis, necnon certis annuis proventibus cum majori ejus quiete ac commoditate fruatur.

2. Superioribus ſiquidem diebus animo revolventes, quod civitates PLACENTIÆ & PARMÆ provinciæ GALLIÆ CISPADANÆ a reliquo ſtatu & dominio temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ disjunctæ & ſeparatæ, ac exinde plurimis in dies periculis expoſitæ erant, maximiſque pro earum cuſtodia ſumptibus indigebant, & quod, ſi aliquando ab aliquo occupatæ fuiſſent, quod non ſemel noſtris temporibus tentatum fuerat, præter earundem civitatum amiſſionem, Sedem prædictam bellis involvi, omnemque ejus ditionem in periculum conjici neceſſe erat: ex quo turbandæ tandiu exoptatæ & tandem impetratæ pacis materia ſine dubio nata fuiſſet; volentes præmiſſis occurrere, habita deſuper cum Venerabilibus Fratribus noſtris ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto matura deliberatione, de eorum conſilio & aſſenſu, ex præmiſſis & certis aliis, tunc animum noſtrum moventibus cauſis, dilecto filio Guidoni Aſcanio Sancti Euſtachii Diacono Cardinali de Sancta Flora nuncupato, Camerario noſtro, vivæ vocis oraculo mandavimus, ut receptis a dilecto filio nobili viro Octavio Farneſio, Urbis Præfecto & tunc Camerini Duce, Ducatus Camerinenſis, & tam ab eodem Octavio, quam a dilecto filio etiam nobili viro Petro Aloyſio etiam Farneſio Caſtri Duce, ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Confalonerio & gentium armorum ad noſtra & ipſius Eccleſiæ ſtipendia militantium Capitaneo generali, civitatis Nepeſinæ pro juribus, eis in eadem civitate reſpective competentibus, ceſſionibus, quas idem Petrus Aloyſius Dux in favorem Sedis & Eccleſiæ prædictarum, ſi civitates hujuſmodi ſibi in feudum concederentur, offerebat, civitates prædictas eidem Petro Aloyſio Duci in feudum concederet.

3. Cum autem poſtmodum prædictus Guido Aſcanius Cardinalis & Camerarius, ac dilecti filii Clerici Cameræ Apoſtolicæ præſidentes, ceſſionibus prædictis, ut petitur, receptis & admiſſis, eaſdem PARMÆ & PLACENTIÆ civitates cum illarum COMITATIBUS, TERRITORIIS & DISTRICTIBUS ac aliis tunc expreſſis, eidem Petro Aloyſio Duci pro ſe, quoad viveret, & deinde Octavio Præfecto ejus nato, eorumque deſcendentibus maſculis in perpetuum

pro

pro ANNUO CENSU NOVEM MILLIUM DUCATORUM AURI DE CAMERA, Cameræ prædictæ in Vigilia seu Festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli de mense Junii in RECOGNITIONEM SUPREMI DOMINII, annis singulis in Romana Curia, ubicunque fuerit, solvendorum, in FEUDUM NOBILE, GENTILE, FRANCUM, AVITUM & ANTIQUUM cum pactis & conditionibus ac modis & formis inibi expressis concesserunt, prout in instrumento publico desuper confecto, quod antea in eadem Camera inspici & diligenter examinari, ac cujus tenore de verbo ad verbum, signis & characteribus omissis, inseri fecimus, plenius continetur; nos intendentes, concessionem hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, & nullo unquam tempore infringi posse, Petrum Aloysium & Octavium præfatos, & utrumque eorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti pœnis & censuris, quomodolibet innodati existant, etiamsi illas per quatuor menses sustinuerint & in illis per unum, duos aut plures annos insorduerint, ad effectum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, necnon communitatum, territoriorum & districtuum ac aliorum in dicto instrumento expressorum nomina, cognomina, qualitates, situationes vocabula & tam illorum, quam civitatum hujusmodi fructus, redditus & proventus, ac valores etiam annuos perinde ac si exprimerentur, pro sufficienter expressis habentes, concessionem prædictam & prout illam concernunt, omnia & singula capitula, pacta & clausulas, ac alia in instrumento prædicto contenta, & inde secuta quæcumque, de eorumdem fratrum consilio pariter & assensu, ex certa scientia, Apostolica auctoritate approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, nostramque auctoritatem & decretum interponimus, decernentes, ea omnia & singula perpetui roboris firmitate subsistere, ac suos plenarios effectus sortiri debere; nosque aut successores nostros ab illis nullo unquam tempore & quovis prætextu vel causa resilire posse, sed ad eorum omnium & singulorum veram, plenam & integram observationem teneri & obligatos esse; supplentes omnes & singulos quarumcumque solemnitatum, tam accidentalium, quam substantialium, forsan omissarum, ac alios quantumcumque majores juris & facti defectus, etiamsi tales forent, de

de quibus hic ſpecialis & ſpecifica mentio habenda eſſet aut alias ſpeciali nota digni reperirentur, ſiqui forſan intervenerint in eiſdem.

4. Et inſuper eaſdem PLACENTIÆ & PARMÆ civitates pariter & æque principaliter cum comitatibus, territoriis & diſtrictibus ac aliis prædictis in DUCATUM de ſimili conſilio & aſſenſu, auctoritate & tenore prædictis PERPETUO ERIGIMUS & INSTITUIMUS, ac DUCALIBUS nomine, titulo, JURIBUS, facultatibus, inſigniis, honoribus, prærogativis, antelationibus & præeminentiis univerſis INSIGNIMUS & decoramus, ac quatenus opus ſit, PARMÆ & PLACENTIÆ civitates, illarumque Ducatum hujuſmodi, necnon territoria & diſtrictus, ac alia in dicto inſtrumento, ut præfertur, expreſſa, in omnibus & per omnia juxta illius continentiam & tenorem eidem Petro Aloyſio Duci pro ſe & dicto Octavio Præfecto, ac ejuſdem Octavii Præfecti primogenito & aliis deſcendentibus, modo & forma præmiſsis in perpetuum PRO ANNUO CENSU NOVEM MILLIUM DUCATORUM hujuſmodi, ut præfertur, ſolvendorum, in FEUDUM NOBILE, ANTIQUUM, PERPETUUM, LIBERUM, FRANCUM cum omnium & ſingulorum, tam ſubſtantialium, quam accidentalium ac quarumcumque aliarum ſolemnitatum, auctoritatum, decretorum & formarum in præmiſsis de jure, conſuetudine, vel alias quomodolibet interponi debitorum, ac aliorum forſan majorum juris & facti defectuum ſuppletione, paribus conſilio & aſſenſu, auctoritate & tenore præmiſsis, de novo in perpetuum concedimus & aſsignamus, ac conceſſa & aſsignata, necnon in eos translata eſſe volumus atque decernimus, eoſque de civitatibus, ducatu, territoriis & diſtrictibus ac aliis prædictis PERPETUO INVESTIMUS, ac Petrum Aloyſium Ducem & Octavium Præfectum prædictos, necnon ipſius Octavii FILIUM PRIMOGENITUM, ac ALIOS DESCENDENTES in perpetuum civitatum, ducatus, territoriorum, diſtrictuum & aliorum expreſſorum prædictorum, necnon civium & incolarum, ac habitatorum eorumdem Duces & in TEMPORALIBUS DOMINOS, etiam cum generaliſsima & ampliſsima clauſula conſtituti ac poſſeſsionis, translationem veram & naturalem civitatum, ducatus, territoriorum, diſtrictuum & aliorum prædictorum POSSESSIONEM in Petrum Aloyſium Ducem & Octavium Præfectum, ac

ac Octavii Præfecti filium primogenitum & alios descendentes prædictos transferentes, de similibus consilio & assensu ac auctoritate & tenore præmissis constituimus, CREAMUS, FACIMUS & DEPUTAMUS; decernentes, præsentes literas vim validæ & efficacis probationis præmissorum omnium & singulorum, ac aliorum in dicto instrumento contentorum, itaut nulla probatio in contrarium admitti possit, habere, & ad illorum probationem in judicio & extra sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, ipsosque Petrum Aloysium Ducem & Octavium Præfectum ac alios descendentes ad verificationem præmissorum & aliorum in dicto instrumento narratorum minime teneri, & ad id cogi aut compelli non posse: nec propterea seu ex quacumque alia causa easdem præsentes de subreptione vel obreptione, seu nullitatis aut intentionis vel quocumque alio etiam majori defectu seu quovis alio prætextu notari aut impugnari, seu aliquo modo in dubium revocari ullatenus posse, MANDANTES prædictis modernis, & pro tempore existentibus Camerario & Clericis præsidentibus ac aliis, ad quos spectat, quatenus omnes & singulas scripturas ac patentes & alias literas, necnon quæcumque instrumenta publica in præmissis necessaria, eisdem Petro Aloysio Duci & Octavio Præfecto in forma solita expediant & expediri faciant, ac realiter & cum effectu tradant & consignent, necnon communitatibus, civitatibus & universitatibus opidorum, castrorum, villarum & locorum hujusmodi, eorumque singularibus personis, quatenus eosdem Petrum Aloysium Ducem & Octavium Præfectum ac descendentes præfatos in eorum VEROS DUCES & DOMINOS RECIPIANT & ADMITTANT, eisdemque in omnibus & per omnia, prout nobis & Sedi prædictæ parere tenebantur, pareant & obediant, eorumque mandata & præcepta inviolabiliter observent.

5. Et nihilominus Venerabilibus fratribus nostris Placentino & Parmensi Episcopis, ac dilecto filio moderno & pro tempore existenti Curiæ causarum dictæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Petri Aloysii Ducis & Octavii Præfecti ac descendentium prædictorum, vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque

que in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos illæ concernunt, eis pacifice gaudere, non permittentes, eos desuper quovis modo indebite molestari, inquietari seu perturbari, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, appellatione postposita, compescendo. Nos enim eisdem Episcopis & Auditori contradictores & rebelles prædictos ac quoscunque alios, quorum intererit, constito summarie & extrajudicialiter de non tuto accessu ad eos, etiam per edicta publica locis publicis affigenda, quæ eos arctent perinde ac si personaliter eis intimata forent, monendi, eisque mandandi & præcipiendi, ac quoties inhibendum fuerit, etiam simili edicto ac sub eisdem sententiis, censuris & pœnis inhibendi, necnon legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravandi ac auxilium brachii sæcularis desuper, si opus fuerit, ad hoc invocandi, ceteraque in præmissis necessaria & opportuna faciendi plenam & liberam, dicta auctoritate tenore præsentium, concedimus facultatem & potestatem, non obstantibus felicis recordationis Symmachi incipientibus: *non liceat*, & Pauli II. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, ac Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum *de una*, & Concilii generalis *de duabus dictis*; necnon quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis ac civitatum, communitatum, territoriorum & districtuum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam per nos & prædecessores nostros & Sedem prædictam Cameræ, Camerario, præsidentibus Clericis, civitatibus, communitatibus, opidis, castris, terris & aliis locis prædictis, eorumque singulis in genere vel in specie, ex quibusvis, etiam onerosis causis & sub quibuscumque tenoribus & formis, ac etiam cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam consistorialiter ac motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, approbatis & innovatis; necnon quibusvis conventionibus, pactis & contra-

tractibus, etiam inter nos & Cameram prædictam ac communitates, & alios præfatos desuper in contrarium seu alias quomodolibet initis: quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita observata, insert forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse, illaque adversus præmissa nullatenus suffragari posse decernimus, contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Tenor vero Instrumenti prædicti sequitur & est talis.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi amen.

6. CUnctis præsens publicum Instrumentum visuris, lecturis pariter & audituris evidenter pateat & sit notum, quod cum superioribus diebus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus Noster, Dominus Paulus divina providentia Papa III. cum Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Consistorio suo secreto mature considerato, quod civitates PLACENTIÆ & PARMÆ GALLIÆ CISPADANÆ, a reliquo statu & dominio temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ distantes & separatæ, nonnisi magno cum periculo, multis ad illarum occupationem anhelantibus, defendi & teneri poterant; & nihilominus interim pro illarum præsidio, defensione & manutentione immensos opus erat facere sumptus extraordinarios; ita quod dumtaxat tempore Pontificatus suæ Beatitudinis extraordinarii sumptus hujusmodi excedebant summam ducentorum millium ducatorum: & si casus contingeret, quod ab aliquo occuparentur, difficillima quodammodo & impossibilis esset recuperatio: unde non solum de ipsarum recuperatione dubitandum, verum etiam, ne inde majores perturbationes & tumultus exorirentur, cavendum erat: quodque ordinarii introitus earumdem civitatum, de-

du-

ductis impensis ordinariis & necessariis, non ascendebant ad summam octo millium aureorum de Camera. Et si civitates ipsæ alicui personæ in perpetuum feudum concederentur, quæ illarum conservationi sedulo intendere posset & vellet, & vicissim eidem Romanæ Ecclesiæ aliquas alias civitates cederet & concederet, & præsertim aliquo notabili censu annuo super civitatibus prædictis imposito, exinde satis ipsius Romanæ Ecclesiæ indemnitati, quieti & commodo consuleretur: & tandem proposita & nominata persona Illustrissimi Domini Petri Aloysii Farnesii Ducis Castri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Confalonerii, & ejusdem Domini Nostri Papæ Capitanei generalis, qui ultra ejus & antecessorum familiæ Farnesiæ erga eamdem Romanam Ecclesiam fidem & devotionem, jam multis annis pro Ecclesia & Sede prædicta strenuam in rebus, & præsertim bellicis navaverat operam, & cujus potissimum ductu, opera, industria, diligentia & laboribus Firmani tumultuantes, & ad rebellionem inclinantes compressi, Ducatus Camerini de manu illum indebite occupantium recuperatus, civitas & populus Perusinus, qui ab eodem Domino Nostro Papa & Ecclesia prædicta se subtraxerant, ad eamdem reducti, compluresque alii etiam potentes, qui Domino Nostro Papæ & Sedi prædictæ rebellaverant, debellati fuerant: & qui etiam curaret, quod Illustrissimus Dux Octavius ejus filius Urbis Præfectus & Dux Camerini ac civitatis Nepesinæ, Ducatum Camerini, ab Urbe non longe distantem & contiguum Marchiæ Anconitanæ, in umbilico fere ecclesiasticæ ditionis consistentem & civitatem Nepesinam prædictam, quæ Urbi admodum propinquat, & propugnaculis, compluribusque machinis & tormentis bellicis est mirum in modum munita: & etiam ipse Dominus Petrus Aloysius omnibus juribus sibi in dicta civitate Nepesina competentibus eidem Domino Nostro Papæ & Sedi præfatæ sponte & libere, respective, concederent & dimitterent: quorum quidem Ducatus Camerini & civitatis Nepesinæ ordinarii redditus, deductis similiter ordinariis expensis, non excedunt summam decem millium ducatorum auri similium, prout etiam superioribus diebus ex diligenti inquisitione in Camera Apostolica facta compertum extitit. Et propterea pro censu & responsione ac recognitione dicti dominii civitatum Placentiæ & Parmæ prædictarum, si sibi concederentur, solveret anno quolibet Cameræ Apostolicæ sum-

fummam novem millium ducatorum auri fimilium.

7. Prædictis & nonnullis aliis rationibus & urgentibus caufis tunc in eodem Confiftorio narratis & confideratis, omnibufque intellectis & mature difcufsis & deliberatis, de ipforum Reverendifsimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalium confilio & affenfu, ac ex certa fcientia & de Apoftolicæ Sedis poteftatis plenitudine decrevit infeudationem & feudi perpetui dationem & concefsionem hujufmodi, ficut prædicitur, in perfonam dicti Illuftrifsimi Domini Petri Aloyfii effe faciendam: & pro executione mandavit Reverendifsimo Domino Guidoni Afcanio Sancti Euftachii Diacono Cardinali, ejufdem Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Camerario, ut cefsionem feu refignationem Ducatus Camerini & civitatis Nepefinæ per prædictos Dominos Petrum Aloyfium & Octavium faciendam, recipiat & admittat, & illa recepta in Camera Apoftolica, ipfe Reverendiffimus Dominus Camerarius cum Reverendis patribus Dominis præfidentibus & Clericis dictæ Cameræ conceffionem & infeudationem perpetuam dictarum civitatum Parmæ & Placentiæ dicto Domino Petro Aloyfio & omnia inftrumenta & fcriptutas defuper neceffarias & opportunas faceret & expediret. Super quibus plenam & liberam & omnimodam facultatem & auctoritatem ei conceffit, prout latius exactis ipfius Confiftorii & ex notula Reverendiffimi & Illuftriffimi Domini Vicecancellarii defuper in eodem Confiftorio confcripta apparet.

1545. 8. Hinc eft quod anno a Nativitate ejufdem Domini Noftri Jefu Chrifti millefimo quingentefimo quadtagefimo quinto, indictione tertia, die vero vigefima quarta menfis Augufti, Pontificatus prælibati Domini Noftri Pauli Papæ III. anno undecimo, in mei Cameræ Apoftolicæ ac publici Notarii, teftiumque infrafcriptorum præfentia prænominati Reverendiffimus Dominus Guido Afcanius Cardinalis Camerarius, & Reverendi Patres Domini Bernardinus Elvinus Electus Anglonenfis Thefaurarius Apoftolicus, Julius Gonzaga ex Comitibus Novellariæ, Petrus Lippomanus Veronenfis ac Hieronymus Torcellanus, refpective, Epifcopi, Cameræ Apoftolicæ Clerici cameraliter congregati & Cameram facientes, ut moris eft, affiftentibus etiam Reverendis patribus dominis Francino Michaele almæ Urbis Gubernatore Vicecamerario, Johanne Baptifta Cicada Epifcopo Albinganenfi Cameræ Auditore, Julio de Grandis Præfidente, Anto-

tonio Gabrielis Fisci Advocato, Nicolao Farfaro dicti Fisci procuratore, & Guidone Palello dictæ Cameræ Commissario, coadunati more solito in palatio, *la Cancellaria vecchia* nuncupato, habitationis ejusdem Reverendissimi Domini Camerarii pro infrascriptis & aliis negociis cameralibus pertractandis & expediendis, ad concessionem & infeudationem prædictam deveniendum & procedendum esse concluserunt & decreverunt; ita quod constitutus personaliter ibidem prædictus Illustrissimus Dominus Octavius Dux & Præfectus, major, ut etiam medio juramento tactis scripturis sacrosanctis asseruit, viginti annis, sciens aliter non teneri, ad effectum infeudationis & concessionis, ut præfertur, dicto Illustrissimo Domino suo genitori faciendæ, teneri volens, ipsaque facienda Investitura & concessione hujusmodi suum validum & plenarium effectum sortiente, & non alias, aliter, nec alio modo, sponte & ex ejus certa scientia ac spontanea voluntate pro se, suisque heredibus & successoribus quibuscumque Ducatum Camerinensem & civitatem Nepesinam prædictos ac omnia & quæcumque jura sibi in & super illis quomodolibet competentia, Sedi & Cameræ Apostolicæ prædictis ac Reverendissimo Domino Camerario & aliis Dominis Cameralibus supradictis & mihi Notario pro Sede & Camera prædictis recipientibus & acceptantibus resignavit & cessit & dimisit, nihil penitus in illis sibi reservato, ita tamen, quod de evictione ipse, suique heredes aliter, quam pro dicto & facto suo nullatenus teneantur, pro dato, auctoritate & facto suo promisit & se obligavit, promittitque & se obligat de evictione in forma juris valida. Qua resignatione & cessione, sicut præfertur, facta & recepta, Reverendissimus Dominus Camerarius & alii domini Camerales prædicti sponte & ex certa scientia, non aliquo errore juris vel facti ducti, omnibus melioribus, jure, via, modo & forma, quibus melius & efficacius potuerunt & possunt, tam virtute sui officii, quam vigore prædictæ specialis commissionis Domini Nostri Papæ dederunt, cesserunt & concesserunt prædicto Illustrissimo Domino Petro Aloysio, licet absenti, & pro eo magnifico & egregio J. U. D. Domino Johanni Nicolao Angelono de Monte Leone ejus procuratori, qui de suo mandato hujusmodi constare dicit per publicum instrumentum per publicum Notarium rogatum, quod in Camera Apostolica infra viginti dies consignare, & nihilominus etiam de rato & ratifi-

tificari faciendo, promisit, præsenti & una mecum Notario, pro eodem Domino Petro Aloysio stipulantibus & recipientibus, proque ipsius Domini Petri Aloysii successoribus infrascriptis civitates Parmæ & Placentiæ cum illarum universis communitatibus, territoriis & districtibus: & etiam omnes terras, opida, castra & loca, tam intra, quam extra territoria prædicta, etiam ab ipsis civitatibus & illarum comitatibus & jurisdictionibus, quavis etiam auctoritate Apostolica separata & districta, in illis partibus sub legatione provinciæ GALLIÆ CISPADANÆ comprehensa vel comprehendi solita ultra civitatem Regiensem in dicta provincia Lombardiæ, & tam citra, quam ultra Padum existentia & Sedi Apostolicæ tam mediate, quam immediate subjecta, necnon omnibus & singulis in eisdem civitatibus, communitatibus, territoriis, districtibus & locis existentibus, terris, opidis, castris, arcibus, fortalitiis, palatiis, gabellis, datiis, pedagiis, portoriis, fluminibus, montibus auri, argenti & aliorum quorumcumque metallorum, lapidum & materiarum mineriis & fodinis, silvis, lacubus, stagnis & aliis locis, necnon juribus, pertinentiis, redditibus & proventibus quibuscumque, etiam regalibus ac mero & mixto imperio, omnimodaque jurisdictione, potestate & superioritate temporali, inibi per præfatam Romanam Ecclesiam & ipsius Romanæ Ecclesiæ officiales pro ea exerceri solitis, ac cum omnibus incolis, comitativis, habitatoribus & vassallis quibuscumque in omnibus & per omnia, prout ad Sedem & Cameram prædictam spectabant & pertinebant, spectantque & pertinent,

9. Necnon omnia jura & omnes actiones reales & personales, utiles & directas, tacitas & expressas, hypothecarias, & pignoratitias sive mixtas & in rem scriptas; officium judicis & beneficium juris: quæ & quas Sedes aut Camera prædicta aliquo unquam tempore habuit & habet, ac sibi competiit & competit, aut competere potuit seu potest vel poterit quomodolibet in futurum, in, de, & super dictis civitatibus & aliis prædictis contra quascumque personas, universitates & loca, nullo jure, nullaque actione, præterquam directi dominii & census infra dicendi Sedi & Cameræ prædictis reservati; cum pactis tamen & conditionibus inferius describendis, & sub annuo censu novem millium du-

ducatorum auri de Camera solvendo, ut inferius dicetur, in FEUDUM NOBILE, GENTILE, FRANCUM, AVITUM & ANTIQUUM, jureque & nomine feudi nobilis, franchi & gentilis, quod naturam & effectum sapiat franchi, aviti, gentilis, antiqui & antiquissimi feudi, ad habendum, tenendum, possidendum, usufructuandum, & de eo faciendum & disponendum, salvis pactis & conditionibus infrascriptis, pro suo & suorum libito voluntatis; ita quod dictus Dominus Petrus Aloysius & sui, ut infra, pro dictis rebus, ut præfertur, concessis & omni jure, cunctisque utilitatibus & usibus, ad dictas res in feudum concessas pertinentibus, utantur, habeant & teneant, & exinde jure feudi quicquid voluerint, faciant sine alicujus contradictione: dictumque Dominum Petrum Aloysium absentem & pro eo prædictum Dominum Joannem Nicolaum procuratorem & me Notarium præsentes, & cum reverentia coram dicto Reverendissimo Camerario & aliis dominis Cameralibus constitutis una mecum Notario, tanquam publica persona pro dicto Domino Petro Aloysio & successoribus suis & aliis, quorum interest, interierit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, stipulantibus & recipientibus, de civitatibus Parmæ & Placentiæ & aliis prædictis investiverunt per anuli, quem dictus Reverendissimus Dominus Cardinalis Camerarius suis in manibus tenens, dicto Domino Joanni Nicolao procuratori accipienti porrexit & dimisit, traditionem: ponentes Reverendissimus Dominus Camerarius & domini Clerici prædicti præfatum Illustrissimum Dominum Petrum Aloysium & pro eo dominum Joannem Nicolaum procuratorem & me Notarium præsentes & acceptantes de & super civitatibus Parmæ & Placentiæ & aliis opidis, terris & locis prædictis illorumque & illarum territoriis, districtibus & omni illarum & illorum jurisdictione, potestate & superioritate, ac aliis superius expressis & concessis in locum, jus & privilegium Sedis & Cameræ prædictarum: ac constituentes eumdem Dominum Petrum Aloysium absentem, nobis procuratore & Notario prædictis, ut supra, stipulantibus & recipientibus, super illis procuratorem, ut in rem suam propriam; ita quod ex nunc in perpetuum ipse Dominus Petrus Aloysius & sui prædicti civitatibus Placentiæ & Parmæ prædictis & aliis sibi, ut præfertur, concessis utantur & fruantur, deque & pro illis in judicio & extra experiantur, agant, defendant,

dant & excipiant, aliasque & alia faciant, quemadmodum Summus Pontifex & Camera Apostolica ante concessionem hujusmodi facere potuissent & poterant. Constituentes sese prædicti Reverendissimus Dominus Camerarius & alii Domini Camerales dictarum civitatum & aliorum, ut præfertur, concessorum possessionem realem & corporalem, vacuam, liberam & expeditam nomine ejusdem Domini Petri Aloysii & pro eo tenere & possidere donec & quousque ipse Dominus Petrus Aloysius corporalem, actualemque possessionem hujusmodi fuerit ipso facto assecutus: dantes & concedentes nihilominus potestatem & liberam licentiam eidem Domino Petro Aloysio, licet absenti, me Notario & dicto domino Joanne Nicolao procuratore, nominibus, quibus supra, respective stipulantibus, possessionem hujusmodi, propria auctoritate & sine alicujus judicis vel curiæ licentia vel mandato capiendi, intrandi & apprehendendi & continuandi. Promittentes insuper de evictione pro dato & facto ipsius Cameræ & Sedis Apostolicæ tantum, & prout ex parte prædicti Domini Octavii supra promissum fuit.

10. Hanc autem infeudationem, dationem & concessionem, atque alia prædicta fecerunt & faciunt prædicti Reverendissimus Camerarius & Domini Camerales ex causis superius narratis, ac etiam mediante prædicta cessione per Illustrissimum dominum Octavium de Ducatu Camerini & civitate Nepesina, ac etiam ex & pro eo, quia dictus dominus Joannes Nicolaus procurator, etiam quatenus opus sit, cum promissione de rato, ut supra, promisit & convenit prædictis Reverendissimo Camerario & aliis Dominis cameralibus & mihi Notario pro Sede & Camera prædictis stipulantibus & recipientibus, quod Dominus Petrus Aloysius & sui, ut supra, annuatim in vigilia seu festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli mensis Junii in RECOGNITIONEM SUPREMI DOMINII SOLVENT eidem Cameræ summam NOVEM MILLIUM DUCATORUM AURI de Camera. Et insuper nomine prædicto cessit & resignavit omnia & singula jura dicti Domini Petri Aloysii in dicta civitate Nepesina & in machinis ac tormentis bellicis, ibi existentibus, quomodolibet illi competentia similiter & in omnibus & per omnia, sicut cessit dictus Dominus Dux Octavius. Conditiones autem & pacta, de quibus superius est facta mentio, sunt hujusmodi, videlicet. Quod ipse Dominus Petrus Aloysius censea-

featur & fit inveſtitus, ut ſupra, pro ſe & ſucceſſive dicto Domino Octavio ejus filio, ipſiuſque Domini Octavii filio primogenito & ſic in PERPETUUM PRO FILIIS PRIMOGENITIS & deſcendentibus maſculis, quandocumque naſcituris, ordine ſucceſſivo, OMNIBUS ALIIS EXCLUSIS; itaquod primogeniti hujuſmodi intelligantur & ESSE DEBEANT nati ex proprio utero LEGITIMARUM UXORUM, conſtante matrimonio concepti, Romani Pontificis, Imperatoris vel alterius cujuſcumque Principis legitimatione ſeu qualibet alia diſpenſatione circa ipſorum filiorum legitimationem penitus & omnino excluſa. Et contingente caſu, quod dictus Dominus Octavius aut ejus primogenitus ſeu aliquis alius ex aliis futuris primogenitis prædictis decederent ſine filiis maſculis legitimis & naturalibus, ut præfertur, tunc ſic decedenti ſuccedat alius filius major natu ſuperſtes, & ex eo primogeniti, ut ſupra, deſcendentes & ſucceſſive, ut ſupra: ita tamen quod ſemper proximior ultimo defuncto ſuccedat. Nullis vero ex ipſis Octavio & ſuis deſcendentibus exſtantibus filiis maſculis, & ut præfertur, legitimis & naturalibus, tunc & eo caſu feudum hujuſmodi tranſeat ad Illuſtriſsimum Dominum Horatium ipſius Domini Octavii fratrem, ſi exſtabit: & ipſo non exſtante, aut exſtante & poſtea moriente, in ipſius Horatii primogenitum & ſucceſsive de primogenito in primogenitum: & deficiente primogenito, in ſecundogenitum ultimo defuncti; ita quod ſemper hujuſmodi feudum ſtet & remaneat unitum & integrum in domo & familia ipſorum Illuſtriſsimorum Dominorum Petri Aloyſii, Octavii & Horatii, ipſorumque primogenitorum maſculorum naturalium & legitimorum ſupradictorum: qui tamen ſint etiam laici ac clerici ſimplices habiles ſine diſpenſatione ad matrimonium contrahendum, ita quod exiſtentes dumtaxat in ſacris Ordinibus ſint excluſi. Et ſi dicti maſculi legitimi & naturales laici deficerent, tunc feudum ipſum deveniat & tranſeat ad tunc exiſtentem de ſucceſſoribus Domus Farneſiæ antiquiorem clericum & virum eccleſiaſticum, ſæcularem tantum, non autem regularem ordinem profeſſum, feudatario tunc defuncto proximiorem legitimum & naturalem, etiamſi eſſet dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus vel alia quavis dignitate eccleſiaſtica otuatus, in ſacris etiam ſacerdotali ordine conſtitutus; hoc adi-

dito, quod quotiescumque contra eos aut eorum quemlibet pro quacumque etiam, quantumcumque criminali & gravi & gravissima causa quoquomodo procedendum erit, non possit procedi, & processus non valeat, & sit ipso jure irritus, nisi prius illo, contra quem procedendum erit vel saltem suo procuratore seu oratore, nuncio aut negociorum gestore, in Romana Curia pro tempore residente personaliter citato, & de faciendo processum advisato & certiorato.

11. Itaque Dominus Petrus Aloysius & sui prædicti in omnibus & per omnia in civitatibus & feudo, omnibusque & singulis opidis, terris, castris, locis & aliis prædictis possint condere Leges & Statuta & ibidem conditas & condita, confirmatasque & confirmata emendare & moderari, prout Sanctæ Romanæ Ecclesiæ similes feudatarii de jure vel consuetudine facere possunt & consueverunt: necnon tam Placentiæ, quam Parmæ monetas cujuscumque sortis, probas tamen & legitimas, etiam aureas & argenteas cudi facere, merumque & mixtum imperium, & gladii potestatem in cives, comitativos, Barones, Comites, Marchiones, & alios quoscumque feudatarios, terras, castra, opida, arces, fortalitia & quæcumque alia loca in civitatibus, opidis, terris, castris, locis, territoriis, comitatibus & districtibus prædictis in feudum seu alias a Romana Ecclesia & Camera Apostolica habentibus & tenentibus; ita quod illi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam separationum, dismembrationum, exemptionum & immunitatum cujuscumque tenoris, eis forsan quomodolibet concessis, de cetero non amplius Sedem & Cameram prædictas, sed dictos Dominum Petrum Aloysium, & qui pro tempore fuerit juxta prædicta ejus successor, in superiorem, loco Sedis & Cameræ prædictæ, recognoscere, ipsisque Domino Petro Aloysio & successoribus etiam, novum & de præsenti fidelitatis juramentum & obedientiam propterea quomodolibet debitam præstare teneantur. Et sive propter deficientiam familiarum & linearum sive propter culpam vel delictum aut alias quomodolibet feuda ipsa per illorum possidentes amitti seu aperiri, & ad Dominum devolvi continget, non ad Sedem & Cameram prædictas, sed ad ipsum Dominum Petrum Aloysium & suum futurum pro tempore successorem aperian-

riantur & devolvantur. Habeant quoque ipsi Domini Petrus Aloysius & Octavius & successores prædicti jus, facultatem, auctoritatem, libertatem, privilegium vendendi omnem & quamcumque quantitatem salis, tam pro hominibus, quam pro quadrupedibus & aliis animalibus in civitatibus, terris, opidis, castris, territoriis & locis prædictis, quomodolibet vendi hactenus consuetam, & in futurum necessariam seu quomodolibet opportunam, pro pretio & pretiis, ac modis & temporibus, de quibus eis placuerit; etiam feudatariis, subditis, & aliis quibuscumque: & ne sal hujusmodi ab alio seu aliis emant, aut quomodolibet accipiant, sub quibusvis pœnis & alias prout eis & eorum cuilibet videbitur, prohibendi: habeantque ipsi Domini Petrus Aloysius & successores per se vel alios, prout eis videbitur, plenam cognitionem omnium causarum & litium, quæ super temporalibus rebus in civitatibus & locis prædictis per inibi habitantes, & per quoscumque alios quomodolibet subditos pro tempore movebuntur, tam civiliter, quam criminaliter, occasione quarumcumque rerum, etiam feudalium, cujuscumque etiam notabilissimæ importantiæ, & in quibuscumque instantiis usque ad totalem executionem. Et demum habeant & habere atque uti & potiri debeant omnibus & singulis etiam majoribus supradictis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, præeminentiis, quibus quicumque alii a prædicta Romana Ecclesia quocumque loco & sub cujuscumque etiam Ducalis dignitatis titulo deputati feudatarii utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum.

12. Et pro præmissorum majori validitate dictus Dominus Joannes Nicolaus procurator genuflexus nomine dicti Illustrissimi Domini Petri Aloysii in manibus prælibati Reverendissimi Domini Camerarii juramentum fidelitatis præstitit sub hac forma, videlicet:

Ego Joannes Nicolaus Angelonus procurator Illustrissimi Domini Petri Aloysii de Farnesio Ducis Castrensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Confalonerii & gentium armorum Capitanei generalis, civitatumque Placentiæ & Parmæ cum illarum comitatibus & districtibus & aliis locis provinciæ Lombardiæ tam ultra, quam citra Padum, feudatarii procuratorio nomine hujusmodi plenum homagium ligium & vas-

fallagium faciendi Sanctissimo Domino Nostro Domino Paulo Papæ III. ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro civitatibus Placentiæ & Parmæ & aliis locis prædictis, illarumque & illorum jurisdictionibus & pertinentiis universis, per vos Reverendissimum Dominum Camerarium & Cameram Apostolicam, etiam de mandaro dicti Domini Nostri Papæ dicto Domino Petro Aloysio principali meo & Domino Octavio ejus filio & aliis eorum futuris successoribus auctoritate Apostolica concessis, promitto, quod dictus Dominus Petrus Aloysius meus principalis ab hac hora in antea fidelis & obediens erit Beato Petro Apostolorum Principi, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ & dicto Domino Nostro Paulo Papæ III. suisque successoribus canonice intrantibus: nec erit in facto, consiliove aut consensu, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod ipsi Domino Petro Aloysio Dominus Noster Papa & successores prædicti per se vel per literas aut nuncios suos credituri erunt, ad eorum damnum scienter nemini pandet: & si sciet, procurari vel tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, ne illud fiat, pro posse impediet: & si hoc impedire non poterit, illud ipsi Domino Nostro Papæ vel successoribus prædictis significare curabit. Papatum Romanum & regalia Beati Petri, tam in civitatibus & locis prædictis, quam alibi existentia, adjutor erit ad retinendum & defendendum, & ubi opus fuerit, recuperandum, & recuperata manutenendum, contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones descriptas & contentas in instrumento, quod super concessione & infeudatione civitatum & locorum prædictorum, modo per præsentem Notarium legitur & stipulatur, ac omnia & singula, quæ continentur in eodem, plenarie adimplebit & inviolabiliter observabit.

13. In signum autem proprietatis, superioritatis & dominii, Domino Nostro Paulo & successoribus suis prædictis in Romana Curia, ubicumque fuerit, novem millia ducatorum auri de Camera pro censu annis singulis in Vigilia seu Festo Apostolorum Petri & Pauli de mense Junii dabit & assignabit, aut dare & assignare faciet suis sumptibus & expensis: similiterque faciet ipse Dominus Octavius, & alii ipsius Domini Petri Aloysii futuri successores. Et ulterius militare subsidium, exercitus & cavalcatas, & alia quæ veri

veri & fideles feudatarii ultra censum consueverunt facere & exequi tenentur, faciet & exequetur: & quod Dominus Octavius & alii successores prædicti faciant, præstent & exequantur effectualiter, providebit. In prædictis quoque civitatibus & locis justitiam servabit & servare pro posse faciet. Castra, villas, homines, jurisdictiones seu quæcumque bona, jura civitatum & territoriorum prædictorum, nisi, & quatenus vi & virtute concessionis ei factæ concedetur, sine vestro aut successorum vestrorum mandato & licentia speciali, non vendet, seu alienabit. Et insuper omnia & singula, quæ verus & fidelis feudatarius Ecclesiæ Romanæ facere debet & tenetur, & quæ in sacramento fidelitatis continentur, faciet & adimplebit juxta formam & continentiam literarum Apostolicarum super concessione civitatum & locorum prædictorum, & alias prout juris fuerit, faciet & adimplebit. Supradicta omnia & singula promitto & juro. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

14. Quæ omnia & singula supradicta & in præsenti publico instrumento contenta dictæ partes nominibus prædictis per solemnem stipulationem promiserunt & convenerunt sibi vicissim, perpetuo & perpetuis futuris temporibus firma, rata & grata habere & tenere, & contra facere volenti in aliquo non consentire, sub omnium damnorum, interesse, & expensarum in judicio & extra faciendarum restitutione: quæ, qualia & quanta sint, & de quibus damnis, expensis, & interesse ac illorum quantitate & numero, ipsæ partes stare & credere voluerunt pro plena & sufficienti probatione ceteris probationibus postpositis. Et ulterius in pœna & sub pœna decem millium ducatorum toties quoties contraventum fuerit, eo ipso incurrenda: qua pœna commissa, soluta vel non, firma & rata permaneant omnia & singula supradicta.

15. Pro quibus omnibus & singulis sic tenendis, complendis & inviolabiliter observandis prædicti Reverendissimus Dominus Camerarius ac præsidentes & Clerici Cameræ hujusmodi & alii Camerales se ipsos, tanquam Camerales, & pro tempore existentem Camerarium & Camerales, ac eamdem Cameram Apostolicam & ipsius Cameræ Apostolicæ bona quæcumque præsentia & futura, tam mobilia, quam im-

immobilia, & Ecclesiæ Romanæ hujusmodi Status; Joannes Nicolaus vero seipsum, necnon ipsum Dominum Petrum Aloysium Ducem suum principalem, ac Octavium Farnesium etiam seipsum, ac ipsorum Domini Petri Aloysii & Octavii heredes & successores, ac sua & heredum, successorumque hujusmodi bona quæcumque præsentia & futura, etiam feudalia hinc inde, prout quemlibet ipsorum concernit, singula singulis referendo, in pleniori forma Cameræ Apostolicæ obligarunt, & quilibet ipsorum obligavit, ac etiam Curiæ ejusdem Cameræ Domini Nostri Papæ, ejusque pro tempore existentis Camerarii, Vicecamerarii, Auditoris, Viceauditoris, Regentis, Locumtenentis & Commissarii, ac omnium & singularum Curiarum ecclesiasticarum & sæcularium ubilibet constitutarum jurisdictionibus, coercitionibus, compulsionibus, viribus, rigoribus, stilis, & meris examinibus suppofuerunt & submiserunt: per quas quidem Curias & earum quamlibet insolidum, tam conjunctim, quam divisim voluerunt & expresse consenserunt, se ipsos ac successores, heredes & bona prædicta respective singula singulis referendo, posse & debere cogi, compelli, constringi, moneri, excommunicari, aggravari, reaggravari, & ad brachium sæculare deponi, arrestari, capi, incarcerari & detineri, uno & eodem tempore vel diversis temporibus per diversorum temporum intervalla usque ad plenariam & integram omnium & singulorum in præsenti instrumento contentorum observationem, ac omnium & singulorum damnorum, expensarum & interesse præmissorum occasione quomodolibet forsan patiendorum & sustinendorum refectionem & restitutionem; ita tamen, quod executio unius Curiæ executionem alterius non impediat, nec retardet, non obstante jure dicente, quod ubi judicium cœptum est, ibidem finem accipere debeat: & qualibet alia juris & facti exceptione in contrarium faciente, non obstante.

16. Renunciaveruntque insuper dictæ partes quibus supra nominibus omni & cuilibet exceptioni doli mali, vis, metus, fraudis, læsionis & machinationis, ac præsentis instrumenti, non sic, ut supra præmittitur, celebrati & initi, alias plus vel minus fuisse factum, dictum, recitatum, & scriptum, & e contra, omnibusque aliis & singulis exceptionibus, auxiliis & legibus, ac cavillationibus & cautelis, qui-

quibus mediantibus contra præmissa vel eorum aliqua partes ipsæ aut sui prædicti dicere, facere vel venire, aut se tueri quovis modo possent, & specialiter juri dicenti, generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis & expressa. Et ibidem statim & in continenti partes ipsæ pro majori & tutiori cautela & observatione præmissorum sponte omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma, quibus melius potuerunt & debuerunt, fecerunt, constituerunt, creaverunt, nominaverunt, deputaverunt & solemniter ordinaverunt suos veros, legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores, negociorumque suorum infrascriptorum gestores, actores, ac nuncios speciales & generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, videlicet egregios viros Dominum Martinum Romanum, & Alexandrum de Urbino in Romana Curia causarum procucuratores, ac Petrum Paulum Arditium, & Bartholomæum Capellum Cameræ Apostolicæ, necnon Bonifacium de Bragia, & Adam de Invidia dictæ Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ notarios, respective, omnesque alios & singulos procuratores & notarios, qui nunc sunt & pro tempore futuro erunt in Romana Curia: quorum nomina & cognomina hic habere voluerunt pro expressis, absentes, tanquam præsentes & eorum quemlibet insolidum, ita tamen quod non sit melior conditio primitus occupantis, nec deterior subsequentis; sed quod unus ipsorum inceperit, alter eorumdem id prosequi, mediare, terminare valeat & finire, & ad effectum debitum perducere specialiter & expresse ipsarum partium nominibus, et pro eis et qualibet earum, omni tempore, diebus feriatis & non feriatis quoties parti præmissa servanri & adimplenti placuerit & visum fuerit expedire, coram eisdem pro tempore existentibus Camerario, Vicecamerario, Auditore, Viceauditore, Regente, Locumtenente & Commissario ejusdem, et aliarum Curiarum prædictarum officialibus et judicibus seu eorum Locumtenentibus comparentem: et contenta in præsenti instrumento semel vel pluries confitendum, recognoscendum, et ad petendum, audiendum et recipiendum ad partis præmissa observantis instantiam omne præceptum, omnemque monitionem, condemnationem, sententiamque excommunicationis in partem præmissa non observantem, ejusque heredes et bona prædicta ferant, proferant, pro-

promulgent, aggravent, reaggravent, aliosque processus reales et personales gerant et faciant, quos voluerint, et parti præmissa servanti placuerit et visum fuerit expedire quousque omnia et singula, in præsenti instrumento contenta, observata et adimpleta fuerint juxta ejusdem præsentis instrumenti seriem et tenorem, et generaliter omnia et singula faciendum, dicendum, gerendum, exercendum, et procurandum in præmissis necessaria et opportuna. Promittentesque mihi Notario publico infrascripto, tanquam publicæ et authenticæ personæ solemniter stipulanti et recipienti, nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest, intererit, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, se ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros totum id et quicquid per dictos procuratores constitutos, et eorum quemlibet actum, dictum, factum, gestum vel procuratum fuerit in præmissis et quomodolibet præmissorum. Relevantes nihilominus eosdem ab omni onere satis dandi, judicioque sisti et judicatum solvi cum quibusvis clausulis opportunis et necessariis sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum suorum mobilium et immobilium, præsentium et futurorum, etiam feudalium, et qualibet alia juris et facti renunciatione, ad hæc necessaria pariter et cautela. Et voluerunt partes prædictæ, quod desuper omnibus et singulis præmissis et infrascriptis, et quolibet præmissorum et infrascriptorum unum vel plura insimul vel divisim possint et valeant extendi et dari instrumentum et instrumenta ad sensum et dictamen sapientis ipsi Domino Petro Aloysio et ab ipso solo etiam ipsis Reverendissimo Domino Camerario et dominis Cameralibus in suis eligendo: cui sic electo dederunt facultatem et auctoritatem, non mutata substantia, extendendi.

17. Et pro præmissorum omnium et singulorum majori robore et firmitate prædicti Domini Præsidentes et Clerici, ac Thesaurarius et Domini Camerales, impetrata venia, demandarunt vices suas prædicto Reverendissimo Domino Camerario ad hoc, ut etiam nomine Cameræ Apostolicæ, et pro ipsis etiam consistorialiter, præmissa conjunctim vel divisim prælibato Domino Nostro Papæ exponat et suæ Beatitudini supplicet pro illorum confirmatione, prout moris est, in amplissima forma vel alias, prout Beatitudini suæ et fa-

sacro Collegio visum fuerit, desuper ordinet, mandet et disponat: et præmissa omnia et singula in præsenti publico instrumento contenta tenere, complere, et inviolabiliter observare, ac contra ea seu eorum aliqua non facere, dicere vel venire de jure vel de facto, et quovis quæsito colore: dictosque procuratores suos, ut præfertur, constitutos, non revocare seu revocari facere donec et quousque præmissa omnia et singula in præsenti instrumento contenta observaverint et adimpleverint, promiserunt, et convenerunt: et ita Reverendissimus Dominus Camerarius et alii Camerales, videlicet ad pectus, Dominus Octavius vero et Joannes Nicolaus tactis scripturis sacrosanctis ad sancta Dei Evangelia, respective, jurarunt et quælibet ipsarum partium juravit. Super quibus præmissis omnibus et singulis ipsæ partes dictis nominibus sibi a me Notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica fieri petierunt atque confici instrumentum et instrumenta.

Acta fuerunt præmissa Romæ in palatio Cancellariæ veteris in sala magna sub anno, indictione, die, mense, & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Reverendis & egregiis viris dominis Antonio Massa de Gallesio J. V. D. Nicolao Carulano, & Joanne Nicia Cameræ Apostolicæ Connotariis, & magnificis viris dominis Joanne Baptista Thophia, & Papirio Capisucco patriciis Romanis, Jacobo Hermolao Cubiculario, & Stephano Palatino de Luca scutifero, domesticis Sanctissimi Domini Nostri Papæ, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et ego Michael Angelus Thomasinus de Ripa Transona Clericus Firmanæ diœcesis, Cameræ Apostolicæ Notarius, quia præmissis interfui, rogatus præsens instrumentum subscripsi & publicavi, signoque meo tabellionatus consueto munivi requisitus in testimonium veritatis.

18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, interpositionis, suppletionis, creationis, institutionis, insignitionis, decorationis, assignationis, voluntatis, investituræ, constitutionis, factionis, deputationis, mandatorum. concessionum, derogationis et decretorum, infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omni-

nipotentis Dei & Beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, ſeptimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno undecimo.

EGO PAULUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Ego Jo. D. Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.
Ego Ja. Cardinalis Sadoletus.
Ego R. Cardinalis de Carpo.
Ego P. Cardinalis Bembus.
Ego V. Cardinalis de Gambara.
Ego A. Cardinalis Ariminenſis.
Ego B. Cardinalis Guidiccionus.
Ego Jo. Cardinalis Moronus.
Ego M. Cardinalis Creſcentius.
Ego Jo. Vincentius Cardinalis de Acquaviva.
Ego R. Cardinalis de Mendoza.
Ego G. Cardinalis Conſentinus.
Ego F. Cardinalis Amalphitanus.
Ego Fr. Tho. Cardinalis Sancti Silveſtri.
Ego N. Cardinalis Ardinghellus.
Ego F. Cardinalis de Caſis.
Ego A. Cardinalis Sancti Hadriani.
Ego F. Cardinalis Piſanus.
Ego N. Cardinalis Sanctorum Viti & Modeſti.
Ego A. Cardinalis de Farneſio Vicecancellarius.
Ego G. Aſcanius Sfortia Cardinalis Camerarius.
Ego N. Cardinalis Cajetanus.
Ego Ja. Cardinalis Sabellus.
Ego A. Cardinalis Cornelius.

NO-

NOTA.

Ex anno huic diplomati subjecto, corrigitur error Faleti, qui illud in sequenti anno MDXLVI. editum scripsit. *Bella Germania lib. 8. pag. 369.*

XLII.

Placentini Paullo III. Pontifici Ducis Petri Aloysii Farnesii necem significant, suamque erga Apostolicam Sedem perpetuam fidelitatem pollicentur.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, DOMINO CLEMENTISSIMO.

Epistola ex Italico sermone in latinum versa.

SANCTISSIME PATER.

Ad lib. 3. cap 19. pag. 117.

1547.

Ex tabulario Vaticano

MAximo cum moerore, effusisque lacrymis, de acerbo casu, nimirum de domini Ducis nostri cæde, quæ sub quinta decima hora & dimidia accidit, Sanctitatem tuam certiorem facimus: ex qua cæde tantum animo dolorem haurimus universi, tantaque sollicitudine afficimur, quanta ex quavis gravissima calamitate percipi posset. Illud etiam tibi significare non omittimus, URBEM NOSTRAM TANTI CRIMINIS culpa omnino VACARE, seque velle in obedientia, fide atque observantia erga Sanctitatem tuam, Sanctamque matrem Ecclesiam persistere. Demisse te oramus, ut auspiciis tuis secundissimis illam prosequaris, ac ne illi DENEGES opportunis temporibus DEFENSIONEM CONTRA EOS OMNES, quia aliter SENSISSENT, aut SENTIANT. Itaque finem imponentes, tota demissione pedem sanctum tibi osculamur. Deus te felicem diu servet.

Placentiæ IV. Idus Septembris 1547. hora decima septima.

SANCTITATI TUAE

Humillimi ac fidelissimi Subditi
Prior, Antiani & Requisiti tuæ fidelissimæ Urbis Placentiæ.

XLIII.

Ducis Petri Aloysii Farnesii mortem Cardinali Alexandro ejus filio Placentini significant.

Ex Italico in latinum versa.

Reverendissimo atque Illustrissimo Domino Cardinali Farnesio.

1544.

Ibidem

EX nostra epistola ad Summum Pontificem, huic inserta, ea intelliges quæ de morte Domini Ducis infauste acciderunt, nostrumque doloris mœstitiæque sensum, ab universis civibus nostris hac de caussa patefactum, aspicies, Cardinalis Reverendissime atque Illustrissime. Quare te obsecramus demisse, ut HANC URBEM APUD PONTIFICEM TUENDAM suscipias, NEQUE ILLI TUUM OMNE PATROCINIUM DESIT, quæ nostra fiducia posita est in te, cui, finem facientes, ex animo nos commendamus.

Placentiæ IV. Idus Septembris 1547.

Humillimi famuli
Prior, Antiani & Requisiti
Urbis Placentiæ.

N O T A.

De hac funestissima cæde omnes historici meminerunt, præterque eos, qui a nobis adducti sunt, Josephus quoque Horologius in vita Camilli Ursini. Socii conjurationis contra Ducem Petrum Aloysium susceptæ recensentur a Capellono in Vita Andreæ ab Auria, cui tamen idem Capellonus familiaris fuit, ideoque nonnulla, quæ rem circumsteterunt, studio præteriit.

Pag.61.

Pag.140.

XLIV.

Pontifex Paullus III. Ducis Petri Aloysii mortem Carolo V. Imperatori nunciat, occupatam a Gonzaga Placentiam dolet, hacque de re Apocrisarium ad eum mittit.

CARISSIMO IN CRISTO FILLIO NOSTRO CAROLO ROMANORUM IMPERATORI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

1. CRedimus Majeſtatem tuam audiviſſe jam IMMANEM & VIOLENTAM CAEDEM bonæ memoriæ Petri Aloyſii Farneſii, NOSTRI PARMÆ & PLACENTIÆ DUCIS, a nonnullis SCELERATIS & IMPIIS CIVIBUS Placentinis EJUS SUBDITIS CONTRA OMNIA, ETIAM GENTIUM JURA, & CONTRA JUSJURANDUM per illos ei præſtitum, perpetratam: idque tibi pluribus de cauſis diſplicuiſſe non dubitamus. Nos ſane maximo cum dolore rem intelleximus. At illud, fili cariſſime, dolorem nobis auxit, quod dilectum filium Ferrantem Gonzagam Mediolani pro tua Majeſtate Gubernatorem, Placentiam cum MAGNO MILITUM PRÆSIDIO INGRESSUM fuiſſe, tuæque Majeſtatis nomine, ſicut IPSE JACTITAT, detinere, audivimus: id enim nobis, qui tuam Majeſtatem ſemper dileximus, & huic Sanctæ Sedi, cujus peculiaris es ADVOCATUS, moleſtiſſimum accidit, ac Duci Octavio genero tuo, cujus erga te obſervantiam & fidem, ſi unquam antea, in proximo Germaniæ bello cognoſcere potuiſti, tuiſque ex eo nepotibus, AD QUOS PLACENTIA PERTINET, damnum intulit, ſequutum eſt, ut in tota fere Italia rumor percrebuerit, Majeſtatem tuam contra nos & Sedem Apoſtolicam arma moviſſe. At agat ille quicquid velit, nos nunquam credere poterimus, Majeſtatem tuam HIS TEMERARIIS AUSIBUS CONSENSISSE, aut ab

Ad lib. 3. cap. 20. pag. 182.

1547.

Ex tabulario Vaticano.

ab eo gesta approbare debere. Scimus enim quanto semper studio procuraveris, ne FAMAM TUAM, tanto sudore, tot vigiliis, tot praeclare gestis a te partam, aliquo INDIGNO FACINORE MACULARES, neve Deum omnipotentem, cui victorias tuas omnes semper acceptas referre solitus es, offenderes.

2. Licet autem nos tuam Majestatem sine ulla nostra instantia, his rebus intellectis, pientissimi & justissimi tui animi signum super illis jam dedisse putamus, tamen, ut nobis ipsis in hoc satisfaciamus, mittimus ad Majestatem tuam Venerabilem fratrem Fabium Episcopum Nucerinum, Praelatum domesticum, & AD ID SPECIALEM NUNCIUM NOSTRUM, ut omnia PLENIUS Majestati tuae REFERAT. Hortamur proinde ipsam tuam Majestatem, & omni, quo possumus, studio ab ea petimus, ut ipsum Fabium Episcopum Nucerinum, virum ob suas virtutes & fidem nobis gratum, cum fide audire, & pro ea summa spe, quam nos & omnes nostri in te collatam habemus, si id nondum ab ea factum est, PROVIDERE velit, ut ipse Ferrantes PLACENTIAM Duci Octavio RESTITUAT, & quantum in eo fuerit, dicti Petri Aloysii Ducis necem tuae Majestatis auctoritate pro justitia & dictae Sedis honore ulciscatur. Sic enim nos & omnes nostros, qui hujus beneficii memores semper erimus, tibi arctius devincies, & ortum de motis a te armis in Italia rumorem extingues, efficiesque, ut animi tui religionem & pietatem omnes agnoscant.

Datum Perusiae XX. Septembris 1547. anno XIII.

Pon-

XLV.

Pontifex Paullus III. Petri Aloysii cædem Regi Ferdinando Caroli V. fratri, simulque Placentiæ occupationem nunciat.

Cariffimo in Christo filio nostro Ferdinando Regi Romanorum electo.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Cariffime in Christo fili noster

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Affecti magno dolore ob indignam & violentam cædem bonæ memoriæ Petri Aloysii Farnesii PARMÆ & PLACENTIÆ DUCIS, & ob OCCUPATAM Placentiam a Ferrante Gonzaga Mediolani gubernatore: qua in re ipse Ferrantes nomen etiam Serenissimi Cæsaris fratris tui admiscet, mittimus ad ipsum Cæsarem Venerabilem fratrem Fabium Episcopum Nucerinum Nuncium nostrum præsentium exhibitorem, PLACENTIÆ RESTITUTIONEM ab ejus Majestate PETITURUM, sicut plenius ab eo intelliges. Quamobrem hortamur & requirimus Serenitatem tuam in Domino, ut pro tua solita probitate & in nos observantia ipsum Fabium Episcopum Nucerinum cum fide audire, eique omni tua gratia & auctoritate ad ipsum Cæsarem adesse velis. Facies in hoc rem nobis gratissimam, & ipsius Cæsaris honori & gloriæ consules. 1547. *Ibidem.*

Datum Perusiæ XX. Septembris 1547. anno XIII.

Eo-

XLVI.

1547. *Ibidem.*

Eodem modo.

Ferdinando Alvaro de Toleto Duci Albæ.

XLVII.

Cardinali Ottoni de' Truchſes Auguſtæ Epiſcopo.

XLVIII.

Nicolao Perenoto Domino de Granvela Cancellario Imperatoris.

XLIX.

Antonio Perenoto de Granvela Atrebatenſi Epiſcopo ac Imperatoris Miniſtro.

L.

Patri Petro Soto Ordinis Prædicatorum Confeſſario Caroli V.

L I.

Guillelmo IV. Duci Bavariæ.

Pon-

LII.

Pontifex Julius III. a Cæsarianis permotus, Ducatum Parmæ, feudum pontificium, Duci Octavio Farnesio, suo clienti, rebelli, & contumaci proscribit, quod Gallicum præsidium in illam admiserit contra fidem, proprium munus, præceptumque Pontificis: qui ad id perficiendum Caroli V. Imperatoris auxilium deposcit.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

1. SIcut humiles & pacificos, ac nobis & Sedi Apostolicæ obsequentes SUBDITOS NOSTROS, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ FEUDATARIOS benigno favore & summa liberalitate complecti consuevimus, ita INOBEDIENTES, & Apostolicæ auctoritatis contemptores, ac qui pacificum ipsius Ecclesiæ Statum pro privato eorum interesse perturbare velle videntur, juxta eorum INOBEDIENTIAM severe COERCERE & CASTIGARE cogimur, ne horum exemplo ceteri audaciam capiant delinquendi.

Ad lib. 3. cap. 23. pag. 192.

1551.

Ex tabulario Vaticano.

2. Dudum siquidem cum dilectum filium nobilem virum Octavium Farnesium DUCEM PARMÆ officii sui, quod erat, postquam noster & prædictæ Ecclesiæ Confalonerius & Capitaneus generalis ac FEUDATARIUS & stipendiarius existebat, & tanquam talis OBEDIENTIAM nobis publice præstiterat, nullius Principis stipendia sine nostra expressa licentia capere, nullumque ALIENUM PRÆSIDIUM IN CIVITATE PARMÆ, cujus DIRECTUM DOMINIUM ad NOS & DICTAM SEDEM PERTINET, recipere, per diversos ejus nuncios ac secretarios, & dilectum filium nostrum Alexandrum Sancti Laurentii in Damaso Diaconum Cardinalem Farnesium nuncupatum, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, fratrem suum germanum, & postremo per dilectum filium Petrum Camajanum Cubicularium nostrum secretum, ad ipsum Octavium Ducem ad hoc specia-

cialiter destinatum, paterne ADMONUISSEMUS, & dictus Octavius Dux ADMONITIONI NOSTRÆ hujusmodi responsum, sua obedientia dignum & quod expectabamus, non dedisset, nos eidem Octavio Duci per nostras in forma Brevis literas sub pœna REBELLIONIS & LÆSÆ MAJESTATIS, ac CONFISCATIONIS omnium bonorum suorum, & AMISSIONIS PRIVILEGIORUM, & FEUDORUM, quæ ab EADEM SEDE habebat, & PRÆSERTIM CIVITATUM PARMÆ & PLACENTIÆ, eo ipso quod contra fecisset, per eum incurrendam, præcepimus, ne ad alicujus Principis stipendia aut servitia transiret, neve alicujus etiam Principis præsidium in dicta civitate PARMÆ admitteret aut reciperet, nec aliquam pactionem aut promissionem, eandem civitatem PARMÆ concernentem, faceret; & siquam fecerat aut fieri mandaverat, revocaret & irritaret, prout in eisdem literis plenius continetur. Et deinde cum nobis, vaga fama referente, innotuisset, quod dictus Octavius Dux CONTRA ADMONITIONES & LITERAS NOSTRAS hujusmodi ad alterius Principis stipendia aut servitia SINE LICENTIA NOSTRA transire, & ALIENUM PRÆSIDIUM in dicta civitate PARMÆ ADMITTERE, ac diversas PACTIONES & PROMISSIONES civitatem ipsam PARMÆ concernentes cum aliis Principibus facere præsumpserit IN MAXIMUM nostrum & ejusdem SEDIS PRÆJUDICIUM, vilipendium & contemptum, tunc almæ Urbis nostræ pro nobis & dicta Ecclesia Gubernatori mandavimus, ut ex ejus mero officio seu ad instantiam dilecti filii Procuratoris nostri fiscalis summarie & extrajudicialiter procedendo, de præmissis omnibus & singulis aliis circa ea necessariis, etiam per examen testium se diligenter informaret, & quod superinde repertisset, nobis fideliter referret.

3. Cum autem dictus Gubernator nobis postmodum retulerit, sibi ex diversis testibus coram eo super præmissis inductis & juratis, ac diligenter examinatis, de præmissis omnibus per publicam famam constitisse, nos ex relatione hujusmodi eo gravius commoti, quominus ea ab eo, quem innumeris beneficiis & paternis officiis cumulaveramus, Confalonerio, Capitaneo generali, FEUDATARIO, & stipendiario nostro, expectabamus; licet contra eundem Octavium Ducem ad declarationem incursus pœnarum prædictarum

rum absque alia ulteriori mora aut citatione, præsertim stante notorietate facti, quod nulla tergiversatione negari potest, procedi conveniret; nihilominus volentes potius nobis innatam benignitatem & mansuetudinem sequi, quam ad ipsius Octavii Ducis culpam respicere, motu proprio, non ad alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione & certa scientia nostris eundem Octavium Ducem in virtute sanctæ obedientiæ ac sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ac anathematis & maledictionis æternæ, necnon criminum LÆSÆ MAJESTATIS & REBELLIONIS ac DEPOSITIONIS omnium & singulorum titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, necnon PRIVATIONIS dictæ civitatis PARMÆ, quam ex nunc, prout ex tunc, & e contra, eidem SEDI APOSTOLICÆ per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes NUNQUAM INFEUDANDAM, nec alio quovis modo ALIENANDAM, sed semper pro eadem Sede JURE PROPRIO, ETIAM QUOAD UTILE DOMINIUM retinendam, RESTITUIMUS & REINCORPORAMUS, ac quarumcumque aliarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum & aliorum bonorum, ac FEUDORUM tam ecclesiasticorum, quam temporalium, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, perpetuæque infamiæ, ac convictorum & confessorum criminum & reatuum præmissorum omnium, necnon aliis tam a jure, quam ab homine contra similia perpetrantes inflictis censuris & pœnis, per eum ipso facto incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium requirimus & monemus, quatenus infra terminum triginta dierum a publicatione præsentium, modo infrascripto facienda, immediate sequenda, quorum decem pro primo, & alios decem pro secundo, & reliquos dies decem pro ultimo & peremptorio termino ac monitione canonica, ipsi Octavio Duci assignamus, COMPAREAT LEGITIME coram nobis ad se super præmissis omnibus & singulis realiter & cum effectu defendendum, excusandum & expurgandum, ac se alterius Principis stipendia non cepisse, nec ejus servitium acceptasse, nec ALIENUM PRÆSIDIUM in dicta CIVITATE PARMÆ admisisse, nec aliquas pactiones aut promissiones, ipsam civitatem PARMÆ concernentes, cum aliis Principibus fecisse, docendum: & quod de cetero præmissa

aut eorum aliqua absque nostra speciali & in scriptis habita licentia non faciet, nec facientibus consentiet, sufficienter arbitrio nostro cavendum, & fidejubendum, alias ad videndum & audiendum se, quem ex nunc, prout ex tunc, & contra, ad primam diem, ipsos triginta dies immediate sequentem, quam Consistorium fieri contigerit, CITAMUS & REQUIRIMUS ad videndum & audiendum, se majoris excommunicationis & anathematis ac maledictionis æternæ sententiam ac criminum LÆSÆ MAJESTATIS & REBELLIONIS, necnon DEPOSITIONIS titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, ac PRIVATIONIS ejusdem PARMENSIS, & quarumcumque ALIARUM CIVITATUM, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum bonorum & FEUDORUM PRÆDICTORUM, necnon inhabilitatis ad illa & alia quæcumque in posterum obtinenda, perpetuæque infamiæ ac convictorum & confessorum criminum & reatuum præmissorum omnium, necnon alias pœnas & censuras prædictas incurrisse, & tanquam talem puniendum esse, declarari: necnon se ac omnia & singula loca, in quibus eum esse, vel ad quæ eum ire contigerit, arctissimo ecclesiastico interdicto per quoscumque inviolabiliter observando, subiici & supponi, ac contra eum AUXILIUM BRACHII SÆCULARIS quorumcumque Principum & Regum Christianorum, & PRÆSERTIM Carissimi in Christo filii nostri CAROLI ROMANORUM IMPERATORIS semper Augusti, decerni, INVOCARI & IMPLORARI, ac ad ulteriora etiam EXECUTIVE, & MANU FORTI & ARMATA, COACTOQUE & CONGREGATO EXERCITU PROCEDI, necnon DEFINITIVAM, DECLARATORIAM, PRIVATIVAM, & si opus sit, CONDEMNATORIAM SENTENTIAM desuper ferri, & promulgari, aliasque & alia fieri, prout justum fuerit, & justitia suadebit.

4. Certificantes eundem Octavium Ducem, quod sive comparuerit, sive non, nisi se nostris in forma Brevis literis prædictis PARUISSE, & se alterius Principis stipendia non cepisse, nec ejus servitium acceptasse, nec ALIENUM PRÆSIDIUM in dicta civitate PARMÆ admisisse, nec aliquas pactiones aut promissiones, ipsam civitatem PARMÆ concernentes, cum aliis Principibus fecisse, LEGITIME DOCUERIT, & quod de cetero præmissa aut eorum aliquod ab-

absque nostra speciali & in scriptis habita licentia non faciet, nec facientibus consentiet, sufficienter, arbitrio nostro, caverit & fidejusserit, ad declarationem incursus sententiarum censurarum & pœnarum prædictarum ac definitivam, declaratoriam, PRIVATIVAM, & si opus sit, CONDEMNATORIAM SENTENTIAM, aliaque præmissa uno & eodem contextu ac una & eadem Consistorii die, justitia mediante, procedemus & procedi faciemus.

5. Et quoniam cogitationes pacis quotidie cogitamus, nec eam quoquo modo turbari volumus, ne interim in eadem civitate PARMÆ aut circa illam vel illius occasione aliquid innovetur, nec quicquam in NOSTRI & DICTÆ SEDIS PRÆJUDICIUM attentetur, motu & deliberatione ac scientia similibus dilectos filios nobiles viros universos & singulos nostros & ejusdem Ecclesiæ in TEMPORALIBUS VICARIOS, necnon Duces, Principes, Comites, Barones, Dominia, Magistratus, Communitates & Universitates, ac singulares personas civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum locorum nobis & Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectorum, necnon quoscumque alios cujuscumque status, gradus, conditionis & præeminentiæ existant, & quacumque ecclesiastica aut sæculari dignitate præfulgeant, ex parte omnipotentis Dei ac per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi, Apostolica auctoritate & tenore prædictis, hortamur & requirimus, ac monemus, eisque, SUBDITIS videlicet NOSTRIS, sub præmissis pœnis, aliis vero non subditis sub interminatione divini judicii districtius præcipiendo mandamus, quatenus interim quovis titulo, colore vel prætextu defensionem aut protectionem ipsius Octavii Ducis assumere aut arma pro eo capere seu sibi aut dictæ civitati PARMÆ commeatus aut alicujus sortis victualia seu pecunias, etiam cedularum depositi aut cambii, subministrare vel aliquod auxilium consilium, favoremve præstare quoquo modo, directe vel indirecte, non audeant vel præsumant.

6. Ut autem præmissa omnia ad omnium, quorum interest, præsertim ipsius Octavii Ducis, ad quem personaliter monendum & citandum tutum non patere accessum nobis notorie constat & sic est, attestamur & declaramus, notitiam deducantur, præsentes literas in Basilicæ Sancti Petri, & Cancellariæ Cameræ Apostolicæ valvis seu portis & in acie cam-

campi Floræ de Urbe affigi volumus & mandamus ad hoc, ut requifitiones, monitiones, citationes, hortationes, præceptum & mandatum noftrum hujufmodi, fuo quafi fonoro præconio & patulo judicio, publicentur, & Octavius Dux & alii, ut præfertur, requifiti & citati ac moniti, quod ad eorum notitiam non pervenerint, aut præmiffa ignoraverint, nullam poffint prætendere excufationem vel ignorantiam allegare, cum non fit verifimile, apud eos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur.

7. Volumus etiam, & dicta auctoritate Apoftolica decernimus, quod hujufmodi requifitiones, monitiones, & citatio in eifdem valvis & acie intimatæ, valeant, & fub præfentibus comprehenfos arctent, quacumque conftitutione Apoftolica contraria non obftante, perinde ac fi illis perfonaliter ac præfentialiter intimatæ & infinuatæ extitiffent, non obftantibus præmiffis ac conftitutionibus & ordinationibus Apoftolicis, necnon civitatum, terrarum, caftrorum, & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoftolica vel quavis firmitate alia roboratis, ftatutis & confuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, literis Apoftolicis Octavio Duci & aliis prædictis fub quibufcumque tenoribus & formis, cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque efficacioribus & infolitis claufulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quomodolibet, etiam INFEVDATIONE dictæ civitatis PARMÆ per felicis recordationis Paulum Papam III. prædecefforem noftrum conceffis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiam difponentibus contra DVCEM PARMÆ pro tempore exiftentem, nifi ex machinatione in propriam perfonam Romani Pontificis, procedi non poffe. Quibus omnibus etiamfi pro illorum fufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica, expreffa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per claufulas generales, idem importantes, mentio feu quævis alia expreffio habenda aut aliqua exquifita forma ad id fervanda foret, eorum omnium tenores, ac fi de verbo ad verbum, nihilo penitus omiffo, & forma in illis tradita obfervata inferti forent præfentibus, pro expreffis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, hac vice dumtaxat fpecialiter & expreffe derogamus contrariis quibufcumque, aut fi aliquibus commu-

muniter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ RESTITVTIONIS, REINCORPORATIONIS, assignationis, citationis, certificationis, cogitationis, hortationis, requisitionum, monitionum, attestationis, declarationis, mandati, voluntatum, decreti, & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

LIII.

Sententia, qua Octavius Dux Farnesius, Sedis Apostolicæ imperio subjectus, rebellis & contumax, de Ducatus Parmæ feudo dejicitur a Julio III. Pontifice, rogante Carolo V. Imperatore: cujus suppetias idem Pontifex ad consilium suum perficiendum postulat.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Ad lib. 3. cap. 23 pag. 192.

1551.

Ex tabulario Vaticano.

1. ROmani Pontificis auctoritas super omnes fidelium nationes, nobis disponente Domino, concessa, exposcit, ut adversus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ VASSALLOS, qui GRATIIS & DONIS, in eos a Sede Apostolica COLLATIS, ABVTENTES, contra eandem Ecclesiam cornua erigere, & illius mandatis resistere temere præsumunt, NEC MONITI RESIPISCVNT, mucrone spirituali & alias, prout expedire dignoscitur, exurgat, ut quos Dei timor ab illicitis non revocat, severitas coerceat disci-

ſciplinæ. Sane nos hodie contra iniquitatis filium Octavium Farneſium, OLIM DVCEM PARMÆ; infraſcriptis literis noſtris monitorialibus non parentem, procedentes, noſtram definitivam contra eum in ſcriptis tulimus ſententiam ſub hujuſmodi tenore, videlicet.

Dudum emanavit a nobis Monitorium contra Octavium Farneſium in noſtris literis ſub plumbo, & juxta earumdem diſpoſitionem fuit executioni legitime demandatum tenoris, ut ſequitur, videlicet.

JULIUS EPISCOPUS *&c. ut ſupra num.*LII. *pag.*361.

2. Cum autem in termino præſcripto triginta dierum aſſignato idem Octavius non modo non comparuerit, nec docuerit aut doceri fecerit, ſe contentis in Monitorio paruiſſe, nec ſe, ut tenebatur, expurgaverit per ſe vel per alium ſaltem legitime & ſufficienter; ſed omnino contravenerit, & continue magis pertinaciter in contraventionibus perſeveret, ſitque hæc dies, qua contingit immediate primum fieri Conſiſtorium poſt lapſum ſupradictum aſſignatum terminum, ad quam ipſe eſt citatus & requiſitus ad videndum & audiendum noſtram ſuper his declarationem & SENTENTIAM, etſi ad benignitatem & clementiam ſemper erga omnes propenſi fuimus, foreque in dies magis cupimus; nihilominus, ne ubi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & urgens jus publicum expoſcit, juſtitiæ partes negligere videamur, & ex tolerantia præbere anſam nonnullis in deteriora prolabendi cum gravi ſcandalo, etiam inter præcipuos Chriſtianos Principes, nos Julius divina providentia Papa III. in throno juſtitiæ Apoſtolicæ Sedis pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram declaratoriam & ſententiam definitivam, quam, Domini Noſtri Jeſu Chriſti Redemptoris, ejuſque glorioſæ Matris Mariæ ſemper Virginis nominibus invocatis, in his ſcriptis ferimus, Octavium Farneſium ſupradictum in cauſa & cauſis in noſtris monitorialibus literis prædictis contra illum decretis & executioni demandatis contenta & contentis, & illarum occaſione, reum, ut ſupra, monitum, & qui nunquam per ſe vel per alium ſaltem legitime & ſufficienter de præmiſſis vel aliquo eorum expurgavit, nec paruiſſe Monitorio docuit aut doceri fecit, imo in dies magis contravenerit & pertina-

naciter perseverando contraveniat, & quæ ad supradictum terminum & usque ad hanc diem expectavimus, per complurium attestationem ac per publicam vocem & famam, necnon per plures & diversas epistolas & documenta, in actis causæ & causarum hujusmodi etiam per dilectum filium nostrum, & nostræ Cameræ Apostolicæ procuratorem fiscalem reproductas & repetitas, reproducta & repetita, ac etiam per facti permanentis notorietatem, & de quibus delictis & reatibus plenam, certam & indubitatam notitiam habuimus & habemus; & cum adeo ea sint manifesta, indubitata, & nullo modo excusabilia, prout sunt & prout decernimus & declaramus & determinamus, ea sic fuisse & esse, culpabilem repertum & de jure punibilem, ac etiam propter non paritionem literarum nostrarum Apostolicarum prædictarum, monitorialium, excommunicationis majoris latæ sententiæ, anathematis & maledictionis æternæ, necnon criminum LÆSÆ MAJESTATIS ac REBELLIONIS, & depositionis omnium & singulorum titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, necnon PRIVATIONIS CIVITATIS PARMÆ, NVNQVAM PER NOS AVT SVCCESSORES NOSTROS pro tempore Romanos Pontifices INFEVDANDÆ, nec alio quovis modo ALIENANDÆ, sed SEMPER pro eadem Sede, JVRE PROPRIO, ETIAM QVOAD VTILE DOMINIVM RESTITVENDÆ, REINCORPORANDÆ & RETINENDÆ, prout ex nunc illam RESTITVIMVS & REINCORPORAMVS, & aliarum quarumcumque civitatum, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum & aliorum bonorum & FEVDORVM tam ecclesiasticorum, quam temporalium, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinendum, perpetuæque infamiæ, ac convictorum & confessorum criminum & reatuum, de quibus culpatur: necnon alias quascumque tam a jure, quam ab homine contra similia perpetrantes, ac in literis prædictis nostris Monitorialibus contentas censuras & pœnas, damnabiliter incurrisse & incidisse, & ut talem eum fore & esse puniendum, & ab omnibus Christi fidelibus vitandum, ex certa nostra scientia ac de plenitudine Apostolicæ potestatis, decernimus & declaramus.

3. Necnon eundem Octavium & omnia & singula loca, in quibus esse vel ad quæ ipsum ire contigerit & ibi morari, arctissimo ecclesiastico interdicto, per quoscumque inviola-

biliter observando, subiiciendum & supponendum fore & esse, prout subiicimus, & supponimus, ac contra eumdem AUXILIUM BRACHII SÆCULARIS quorumcumque Principum & Regum Christianorum, PRÆSERTIM Carissimi in Christo filii nostri CAROLI ROMANORUM IMPERATORIS semper Augusti decernendum, invocandum, IMPLORANDUM, prout decernimus, invocamus & imploramus, & ad ulteriorem executionem manu forti, etiam armata, coactoque & congregato exercitu procedendum fore & esse, prout procedi decernimus & MANDAMUS, necnon constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac etiam civitatum & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis Octavio ipsi, & aliis prædictis, & sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam quomodolibet INFEUDATIONE dictæ CIVITATIS PARMÆ per felicis recordationis Paulum Papam III. prædecessorem nostrum concessa: ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiam disponentibus contra Ducem PARMÆ pro tempore existentem, nisi ex machinatione in propriam personam Romani Pontificis vel manifesta hæresi, procedi non posse. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad id servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes specialiter per hanc nostram sententiam & tenore præsentium cum decreto irritanti, si secus contigerit attentari, ac etiam expresse derogamus & contrariis quibuscumque, etiamsi communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

4. Insuper cum ipse Octavius, ut ex præmissis constat, nobis

bis INFIDELIS & INOBEDIENS ac REBELLIS fuerit & sit, ac propterea facto & culpa sua AB OMNI JURE INFEUDATIONIS, HOMAGII & juramenti sibi a feudatariis subditis & vassallis, ipsius civitatis etiam, vel aliis pro eo recipientibus quomodolibet dati vel praestiti, CECIDERIT, ideo eandem civitatem PARMÆ, tam Communitatem ipsam & generale Consilium in communi, quam omnes & singulos ecclesiasticos & saeculares, tam in dicta civitate, quam in ejus pertinentiis, comitatu & districtu habitantes, vel aliter degentes existentes, ac FEUDATARIOS & VASSALLOS OMNES, & quomodolibet interesse habentes, arcium & portarum castellanos, & custodes quomodolibet inservientes a quocumque vinculo juramenti fidelitatis, verbi, parabolae, promissionis, & obligationis quomodocumque & qualitercumque eidem Octavio seu alteri vel aliis pro eo praestiti, dati, facti, & promissi, respective, amplissime ex eadem nostra scientia & Apostolicae potestatis plenitudine in utroque foro absolvimus & totaliter liberamus, literasque propterea Apostolicas super hujusmodi sententia nostra ac declarationibus & decretis omnibus desuper necessarias & opportunas decernendas & concedendas & expediendas atque tradendas fore, prout decernimus, concedimus, expediri & tradi mandamus, etiam cum omnium tam juris, quam facti, & quarumcumque aliarum solemnitatum, etiam substantialium, omissarum, & processuum desuper nulliter seu non rite forsan habitorum defectum ex similibus sententia, plenitudine & suppletione.

Ita pronunciavi I.

5. Ne igitur super praemissis ab aliquo haesitari contingat, aut eorum ignorantia allegari possit, motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine praesentes literas ad sententiam nostram praedictam ac omnia & singula alia praemissa ubique in judicio & extra plenissime probanda, sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam ejusdem Romanae Ecclesiae Cardinales, & eorum Collegium, in quacumque causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & definiri de-

debere, ac si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Et nihilominus universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & quarumvis aliarum Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, necnon aliis personis ecclesiasticis, etiam quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, Religiosis exemptis & non exemptis, ubique locorum, & præsertim in Italia constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum quilibet præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festivis diebus, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicent & ab aliis publicari faciant & permittant. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus earum publicatio necessaria erit, deferri, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, ut earum transumptis, manu Notarii publici scriptis, & sigillo alicujus Prælati ecclesiastici munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in literis monitorialibus ac sententia prædictis volumus non obstare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo XI. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

NO-

NOTA.

Josephus Horologius in Vita Camilli Ursini fuso sermone hujus invicti strenuique ducis virtutem commemorat, qua usus est ante, ac post mortem Paulli III. ut *Parmam* defenderet, Sedique Apostolicæ servaret, donec a Julio III. eam Octavio tradere jussus fuit. Inito postea a Pontifice cum Carolo V. fœdere contra Farnesium, quod hic se ad amicitiam Gallorum contulisset, Ursinus, summus pontificii exercitus dux, cum Gallis atque Horatio Castri Duce ad Mirandulam pugnavit, ut agrum Bononiensem tueretur, seque cum Cæsarianis militibus Parmæ recuperandæ gratia conjungeret. Postmodum ab incepto Pontifex revocatus fuit ab eodem Camillo pacis suasore, de qua cum Gallorum Rege ab initio egerat. Diploma a Julio III. ad Carolum V. hac de re missum eo tempore, quo ejus, tanquam Ecclesiæ Advocati, auxilium postulabat, edidit in lucem Odoricus Raynaldus, auctor Annalium Ecclesiasticorum post Cardinalem Cæsarem Baronium. Consulatur pariter Andreas Maurocenus, qui scribit, Venetos pro viribus laboravisse, ut animi a bello avocarentur, ac pontificem in illo rerum statu coactum *ex Cæsaris voluntate ac nutu pendere*. Capellonus in Vita Andreæ ab Auria testatur, Carolum V. anno integro Julio Pontifici suppetias tulisse, ut Octavium Sedis Apostolicæ *clientem* ac *rebellem* armis compesceret; adeo quæ summo imperio contra Octavium sibi subjectum Julius egit, palam Imperator approbavit, agnovit atque defendit! Antonius ab Auria in Compendio rerum, quæ Caroli V. memoria evenerunt, cum scriptoribus jam adductis plane consentit, inquiens, ea de caussa Octavium in Pontificis offensionem incurrisse, quod Gallorum patrocinium quæsivisset sine ipsius facultate: hinc Octavium tanquam illi *subditum*, *contumaciæ crimine obstrictum fuisse*, *ideoque a Pontifice atque ab Imperatore consilium captum*, *ut illum pontificia ditione privarent*.

Pag. 62. usque ad 83.

A. D. 1551. §. 18.

Histor. Veneta lib. 7. Pag. 259.

Pag. 152.

Pag. 112.

Pon-

LIV.

Pontifex Julius III. ut Parmæ Ducatum recuperet, a Carolo V. Imperatore, tanquam a Romanæ Ecclesiæ Advocato, suppetiis contra Octavium Farnesium postulatis, summum expeditionis ducem Ferdinandum Gonzagam Mediolani præfectum renunciat.

Dilecto filio nobili viro Ferranti Gonzagæ.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecte fili

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib.3.cap.23.pag.193.

1551.

CUM nihil nobis hoc tempore magis cordi sit, quam ut CIVITATEM NOSTRAM PARMÆ vel pacis, ut esset nobis gratius, vel quacumque alia via pro hac Sancta Sede RECUPEREMUS, ejecto inde Octavio Farnesio, quem omni jure, quod in illa habere prætendebat, ob ejus notoriam DEFECTIONEM & REBELLIONEM, ac alias justas & rationabiles causas, de quibus in PROCESSU CONTRA EUM FORMATO, & SENTENTIA PER NOS LATA, PRIVATUM esse DECLARAVIMUS; & ad hanc RECUPERATIONEM BRACHIUM SÆCULARE carissimi in Christo filii nostri CAROLI ROMANORUM IMPERATORIS semper Augusti INVOCAVERIMUS; hortamur te, ut CUM EXERCITU & MILITIBUS IPSIUS IMPERATORIS, quibus praees, EXPEDITIONEM hanc prompto animo suscipere, & RECUPERATIONI ipsius civitatis PRO HAC SANCTA SEDE totis viribus & omni conatu incumbere velis. Nos enim quantum ad nos spectat, te hujus EXPEDITIONIS CAPITANEUM GENERALEM cum omnibus prærogativis, honoribus, præeminentiis & auctoritatibus solitis & consuetis PRO NOBIS & DICTA SE-

SEDE FACIMVS, CREAMVS & DEPVTAMVS, supplentes omnes cæremonias & solemnitates, in similibus fieri solitas, quas ob temporis brevitatem omittimus; volentesque, ut ante te vexillum nostrum & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & alia quæcumque INSIGNIA NOSTRA ad libitum tuum deferri facere possis: ac mandantes omnibus equitibus & peditibus, atque etiam subditis nostris, ut tibi, tanquam hujus expeditionis generali Capitaneo, omnino obediant, faveant & assistant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI. Junii 1551. pontificatus nostri anno secundo.

L V.

Pontifex Julius III. Cardinalem Angelum Mediceum declarat Legatum de Latere in expeditione contra Octavium Farnesium, ut supremo copiarum duce Ferdinando Gonzaga Mediolani præfecto, Ducatus Parmæ recipiatur.

Dilecto filio Joanni Angelo Tituli Sanctæ Potentianæ Presbytero Cardinali de Medicis nuncupato, Civitatis NOSTRÆ PARMÆ &c. nostro & Apostolicæ Sedis de latere Legato.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecte fili noster

Salutem & Apostolicam benedictionem.

HAbebamus in animo te CIVITATIS NOSTRÆ PARMÆ, ac etiam EXPEDITIONIS, quam ad ipsam civitatem pro hac Sancta Sede RECVPERANDA paramus, nostrum & dictæ Sedis Legatum de latere in consistorio nostro secreto de ceterorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ut

Ad lib. 3. cap. 23. pag. 194.

1551.

ut moris est, deputare. Sed quoniam ob nostram chiragræ indispositionem, consistorium habere non possumus, & temporis angustia nos urget, de singulari tua virtute, doctrina & prudentia confisi, motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine te DICTÆ CIVITATIS in spiritualibus & TEMPORALIBVS, ac hujusmodi EXPEDITIONIS nostrum & ejusdem Sedis de latere LEGATVM cum omnibus & singulis facultatibus, auctoritatibus, prærogativis & honoribus similibus Legatis dari & concedi solitis, Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus, creamus & deputamus, hortantes dilectum filium nobilem virum Ferrantem Gonzagam EJVSDEM EXPEDITIONIS CAPITANEVM GENERALEM a NOBIS DEPVTATVM, ut te, tanquam nostrum & ipsius Sedis Legatum, cognoscat & tractet, inferioribus vero Capitaneis & exercitibus & militibus, necnon communitati dictæ civitatis MANDANTES, ut debitam reverentiam & OBEDIENTIAM TIBI EXHIBEANT, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII. Junii 1551. pontificatus nostri anno secundo.

N O T A.

Hoc in loco monemus, ipso anno 1551. die festo Sancti Petri, Ducis Octavii nomine Regem Galliæ censum Pontifici obtulisse; quem fisco Apostolico præfecti, Octavium de beneficio dejectum habentes, repudiaverunt. Pace tamen confirmata, mox IV. Cal. Julias anno 1552. Ducis nomine per Vincentium Boncambium utriusque anni census pontificio ærario fuit persolutus.

Pon-

L V I.

Pontifex Julius III. ab Imperatore Carolo V. tamquam a Sedis Apoſtolicæ Advocato auxilium petit, quo de Parmenſi Ducatu Octavium Farneſium ejuſdem Sanctæ Sedis, Horatio Fratre inſtigante hoſtem, expellat; jubetque, Didacum de Mendoza Cæſaris legatum cum copiis ad Caſtrenſem Ducatum proficiſci.

Dilecto filio nobili viro Didaco de Mendoza.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecte fili

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

VEnit his proximis diebus in Italiam ex Galliis, ut tu quoque ſcire potuiſti, iniquitatis filius Horatius Farneſius Pauli Papæ III. prædeceſſoris noſtri nepos, immemorque plurium ac magnorum beneficiorum, quæ ab hac Sancta Sede recepit; nulla præterea aut ab ipſa Sede, aut a nobis laceſſitus injuria, Octavium Farneſium fratrem ſuum in REBELLIONE CONTRA NOS & IPSAM SEDEM confovendo, bis jam agrum civitatis Bononiæ magna exulum & damnatorom manu hoſtiliter invaſit & diripuit ea impudentia, & in ſubditos noſtros & eorum bona, deprædatione & ſævitia, ut non magis ipſos Turcas facturos fuiſſe arbitremur. Habet idem Horatius Ducatum Caſtri prope in foribus almæ Urbis noſtræ; unde poſſet, ſi liberet, (quid autem eſt, quod tam perfrictæ frontis juveni non libere cenſeamus?) nobis & eidem Urbi injuriam & damnum inferre. Quamobrem volentes tantæ temeritati obviam ire, cogimur Sereniſſimi IMPERATORIS, utpote ECCLESIÆ ADVOCATI, BRACHIUM & AUXILIUM IMPLORARE. Cum autem nemo alius, quam tu PRO IPSO IMPERATORE apud NOS SIT, hortamur te, ut

Ad lib.3.cap.30.pag.193.

1551.

collectis iis, quas potes, militum copiis, una cum nostris ad ipsum Ducatum Castri proficiscaris, provideasque, ne ullum inde detrimentum nobis & huic Urbi inferatur. Nos enim de tua ingenti virtute ac fide confisi, CURAM GENERALEM HUJUS EXPEDITIONIS pro nobis & Sancta Romana Ecclesia tibi DEMANDAMUS, volumusque, ac TIBI PLENAM POTESTATEM CONCEDIMUS, ut omnia, quæ ad negocium ipsum peragendnm opportuna judicaveris aut censueris, ordinare, mandare, agere, exequi, & conficere omnino possis, MANDANTES militibus nostris omnibus, ut tibi in executione hujus expeditionis, omnino obediant; Legatis vero, Vicelegatis & aliis ministris & officialibus nostris, ut tibi faveant & assistant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Junii 1551. Pontificatus nostri anno secundo.

LVII.

Cum Placentiæ, ejusque agri dominatio ad Sedem Apostolicam & Octavium Farnesium ex Caroli V. Testamento rediisset, idem Octavius nonnulla munera Scotis restituit, olim a Pontificibus Julio II. Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. & Paullo III. illis delata, & quo tempore Placentia a Gonzaga occupabatur, erepta.

OCTAVIUS FARNESIUS

Placentiæ & Parmæ Dux II.

1556.

Ex tabulario Vaticano.

EXpositum nobis fuit pro parte egregii Comitis Nicolai Scotti Domicelli Placentini, sicut de anno 1512. Januarii XI. Joannes Gozadinus tunc civitatis Placentiæ pro Sanctissimo Julio II. Pontifice Maximo GUBERNATOR, ob grata servitia, quæ SUMMA FIDE ac studio Co-

Comes Nicolaus Scottus supplicantis patruus ERGA ECCLESIAM in RECUPERATIONE & MANUTENTIONE dictæ CIVITATIS PLACENTIÆ impendit, de ejusdem Summi Pontificis mandato vivæ vocis oraculo eidem facto, officium Capitaneatus decreti bladorum civitatis & episcopatus Placentiæ ac dependentium ab eo cum officio Contrascriptoris ejusdem ac cum omnibus salariis, præeminentiis & prærogativis, hujusmodi officio spectantibus, ac solitis & consuetis, eidem Comiti Nicolao ad ejus vitam dedit & concessit; quodque Leo X. anno 1514. dictam concessionem confirmavit, & quatenus opus esset, denuo ad ipsum officium elegit & deputavit: & subinde defuncto Comite Nicolao, iidem Pontifices Julius II. & Leo X. memoratum officium Comiti Paulo Antonio Scotto fratri quondam Nicolai & supplicantis patri ob illius erga Sedem Apostolicam SINCERAM FIDEM ad ipsius vitam concesserunt: quodque anno 1522. Adrianus VI. eidem Comiti Paulo Antonio ad suum beneplacitum recitatum officium cum emolumentis solitis contulit. Et cum exinde post obitum ipsius Adriani officium prædictum cuidam Benvignato Perusino Clementis VII. familiari concessum fuisset, idem Clemens Comiti Paulo & ejus filiis in recompensationem dicti officii aureos centum ex redditibus officii ejusdem annuatim ad ejus beneplacitum dari mandavit, moxque Clemente vita functo, Paulus III. avus noster, fide ac devotione ejusdem Comitis Pauli erga Sedem Apostolicam attenta, ipsum ad dictum officium ad beneplacitum restituit & reintegravit: & in ejus concessione possessione etiam tempore dominii Illustrissimi Ducis Petri Aloysii genitoris nostri pacifice perseveravit. Et exinde post ejus obitum officio ipso INDEBITE SPOLIATUS FUIT, & propterea a nobis suppliciter petebat ipse Comes Nicolaus, ut cum ad dictam CIVITATEM PLACENTIAM ejusque TERRITORIUM REINTEGRATI FUERIMUS, eidem ejusque heredibus ac successoribus dictum officium Capitaneatus cum officio Contrascriptoris ac salariis & prærogativis solitis concedere vellemus. Nos autem consideratis superius expositis, ac attenta inviolabili fide & gratis obsequiis, quibus idem Comes Paulus, necnon ipse Comes Nicolaus suprascriptus nos & Statum nostrum omni dilectione ac studio continue prosequuti sunt, non potuimus ejus petitioni non annuere, ipsumque favoribus no-

noſtris, ut ejus merita requirunt, non ampleɛti. Harum igitur ſerie eidem Comiti Nicolao ad ejus vitam, & eo defuncto egregiis Comitibus Carolo, Chriſtophoro, & Paulo Æmilio fratribus ſuis, durante eorum & cujuslibet eorum vita, ſi ſupervivere contigerit, memoratum officium Capitaneatus cum dicto officio Contraſcriptoris in TOTO AGRO PLACENTINO ex certa noſtra ſcientia & de noſtræ poteſtatis plenitudine damus & concedimus cum omnibus illis ſalariis & emolumentis, juriſdictionibus, prærogativis, præeminentiis, honoribus & commoditatibus, ipſi officio ſpectantibus ac ſolitis & conſuetis: mandantes omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat & ſpectabit, ut ad dictum officium admittant Comitem Nicolaum prædictum & poſt obitum, ejus fratres, ut ſupra, ſeu ab eo & eis ſubſtituendos & deputandos ad illud exercendum: & eiſdem debite referendo, ut ſupra, in concernentibus officium hujuſmodi, pareant, obediant, debitiſque temporibus de ſolitis ſalariis & emolumentis reſpondeant, nec deficiant ſub indignationis noſtræ pœna. In quorum fidem.

Datum Placentiæ die ultima Octobris 1556.

Locus † ſigilli.

Octavius Dux.

Jo. Baptiſta Puccius
Secretarius.

Cum

LVIII.

Cum Imperator Ferdinandus II. & Rex Catholicus Philippus IV. Pontificem Urbanum VIII. impense rogassent, ut Odoardum Farnesium Parmæ, Placentiæque Ducem, Sedis Apostolicæ clientem, a bello, Ducatui Mediolanensi inferendo deterreret, Pontifex ubi ad eum plures nuncios misisset, ac præsertim duos Romanæ Ecclesiæ Præsules, rursus Prolegatum Bononiensem mittit eum moniturus, ut caveat, ne Parma ac Placentia pontificio juri subjectæ, ex ejus bellicis consiliis damnum capiant.

Dilecto filio nobili viro Odoardo Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili nobilis vir

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 3. cap. 30. pag. 227.

1635.

Ex tabulario Vaticano.

CAlamitosa temporum conditio cum diu variis detrimentis & periculosis vicibus vexasset Italiæ tranquillitatem, dum tamen, recedentibus ex ea armorum incursionibus, saltem in hac provincia frui pacis optato bono sperabamus, formidolosiores repente belli motus impendere cœperunt, inter quos ferebatur, a te copias instrui militares, ex quarum apparatu conterminis aliorum Principum ditionibus materia dari potuisset ambigendi quo tui tenderent conatus, & inde oriretur suspicio, ne præliorum turbines excitandi sumeretur occasio. Quamobrem nos, qui pro nostri muneris peculiari sollicitudine satagimus, ut universus orbis Christianus, & præsertim Italia, pace perfruatur, ad te aliquos viros probos & præsertim dilectum

filium

filium magistrum Julium Mazarinum in utraque Signatura nostra Referendarium, & deinde Venerabilem fratrem Lælium Archiepiscopum Thebanum misimus, qui cum tua nobilitate differentes, paternam tibi nostram declararent benevolentiam, consentaneaque publicæ quieti, & quæ e re tua sunt, tibi proponentes, & quod imminere videbatur ex hac novitate discrimen, insinuarent, petentes, ut tuum nobis aperires consilium. Multa præfati nobis retulerunt, a te esse deducta, quibus nitebaris suadere, te necessitate compulsum ad cogenda arma pro tua duntaxat & tuorum Statuum defensione, in eaque oportere, ut insistas, & assidue perseveres. Cum vero nuper nobis relatum sit, a te bellicos apparatus augeri & hinc posse talem conflari motum, qui vires & incrementum sumens, resultet in non modicum præjudicium Sedis Apostolicæ, a qua PARMÆ & PLACENTIÆ DUCATUS, & ILLI ANNEXA, aliasque CIVITATES, opida, castra & loca cum suis PERTINENTIIS obtines in FEUDUM & recognoscis, cogimur credito nobis ex divini placiti providentia Sedis Apostolicæ regimini satisfacere. Mittimus igitur dilectum filium civitatis nostræ Bononiensis Vicelegatum, qui cum nobilitate tua de prædictis agat, & hasce tibi nostras literas exhibeat, quibus Sedis Apostolicæ juribus prospicere & præcavere volumus, insinuantes tibi, ut accurate perpendas, quæ tua sit obligatio, & quanta vis juramenti fidelitatis, quibus obstringeris nobis, & huic Sanctæ Sedi Apostolicæ, etiam juxta tenorem Investituræ & Investiturarum prædictorum feudorum, quæ ab eadem Sancta Sede Apostolica habes. Nos enim, qui omnibus & singulis damnis & præjudiciis, quæ quomodolibet possent occasione præmissorum dictis feudis inferri, intendimus præcavere & indemnitati eorumdem consulere, de nostra te certiorem voluntate reddimus, significantes tibi, tuas esse partes ita te gerere, ut jura Sedis Apostolicæ in prædictis feudis tecta sartaque & illæsa in omnibus & per omia juxta obligationem, qua de jure teneris, permaneant & conserventur, ac etiam reparentur & resarciantur. Et hac utimur tecum significatione pro quacumque legitime requisita jurium Sedis Apostolicæ in dictis feudis præservatione, cautione, & indemnitate, ac ut illibatam, & integram retineas personæ tuæ debitam fidelitatem. Quod in Domino speramus & de tuis actionibus no-

nobis pollicemur: nostramque tibi benedictionem iterum impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 25. Augusti 1635. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

M. A. Maraldus.

LIX.

Pontifex Urbanus VIII. Prolegatum Bononiensem ad Odoardum rursus mittit, ut eum a bello contra Ducatum Mediolanensem avertat, ne Parma ac Placentia, urbes pontificiæ dominationis, hostilibus irruptionibus inde objiciantur.

Dilecto filio nobili viro Odoardo Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili nobilis vir

Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM nostras literas ad nobilitatem tuam die xxv. Augusti exaratas dedimus, ad nos tantum allatum fuerat, pro tua tuorumque Statuum defensione conscribi, & imminentis belli suspiciones sumere incrementum. Ideo pro pastorali nostra sollicitudine Italiæ incolumitati omnem operam navantes, tibi significavimus, publicam tranquillitatem nobis summopere curæ esse, & nos præcipuo studio intendere, ut Sanctæ Sedis Apostolicæ jura sarta & tecta serventur, & a quibuscumque damnis immunia, & illibata custodiantur, quæ ex hujusmodi tuis armorum motibus quomodolibet excitatis oriri possent in DUCATU PARMÆ, & PLACENTIÆ, aliisque locis, terris & castris, quæ a Sede Apostolica in FEUDUM obtines. Nunc

Ad lib. 2. cap 30. pag. 228.

1535.

Ibidem.

Nunc vero nobis refertur, tuas militares copias extra tuam ditionem fuisse deducta, vel saltem in procinctu esse, ut deducantur, & se alio hostiliter transferant non sine gravi animi nostri sensu. Quamobrem intelligimus, nostra pacis studia tot curis & vigiliis promota, perturbari: ideoque iterato per nostras in forma Brevis literas MONERE te cogimur, ut MEMOR obsequii & FIDELITATIS, qua Sedi Apostolicæ & nobis obstringeris, nostram sequaris voluntatem: quod effeceris prudenter & opportune, si milites eo redegeris & ita continueris, ut ex eorum hostili motu directe vel indirecte prædictis civitatibus PARMÆ & PLACENTIÆ, aliisque terris, castris & locis præjudicium quomodolibet non inferatur, aut ratione qualibet eadem Sancta Sedes ad expensas, aliaque gravamina subeunda non compellatur, nec nobis sit necesse ad ea progredi, per quæ Sedis Apostolicæ indemnitati consulatur. Fusius de his nostro nomine tecum differet dilectus filius civitatis nostræ Bononiensis Vicelegatus, cui fidem habebis. Et Apostolicam benedictionem tibi iterum peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die VI. Septembris 1635. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

M. A. Maraldus.

L X.

Actus, quo vere probatur, epistolas proxime adductas Duci Odoardo in Ducatu Mediolanensi fuisse exhibitas.

1635. Die 24. Septembris 1635. in loco prope & extra opidum Valentiæ Status Mediolani, ubi Serenissimus Dominus Odoardus Farnesius Dux Parmæ & Placentiæ militares copias habebat, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Gorius Pannelinus utriusque Signaturæ Referendarius & Bononiæ Vicelegatus, & ego Protonotarius Apostolicus infrascriptus insimul cum eo præsentavimus duo Brevia originalia, quorum præsens copia per me extracta & de verbo ad verbum auscultata & col-

& collationata, est præinserta: quæ Brevia originalia idem Serenissimus Dominus Dux reverenter accepit & penes se retinuit, præsentibus Illustribus Dominis Francisco Maria Sinibaldo de Forosempronii Vicario generali Parmæ, & Joanne Baptista Nato de Eugubio, ejusdem Illustrissimi Domini Vicelegati Auditore. Et deinde paulo post præsentationem prædictorum Brevium, ut supra, factam coram supradicto Illustrissimo Domino Vicelegato ac in præsentia mei Protonotarii Apostolici infrascripti comparuit Illustrissimus Dominus Comes Scottus major Præfectus domus ejusdem Serenissimi Domini Ducis, præ manibus habens supradicta duo Brevia aperta, & dixit, quod prædictus Serenissimus Dominus Dux illa aperuerat & perlegerat, quodque potius monitoria, quam Brevia Celsitudini suæ illa videbantur, tum quia non erant subscripta a solito Secretario Brevium Principum, tum etiam quia eidem videbantur continere verba rigorosa. Et ex tunc & in continenti tam dictus Illustrissimus Dominus Vicelegatus, quam ego Protonotarius dicto Domino Comiti respondimus, Sanctissimum Dominum nostrum duos habere Secretarios Brevium, & utrumque scribere Brevia Principibus ad libitum Suæ Sanctitatis. Sequenti autem die, quæ fuit 25. ejusdem mensis Septembris prædictus Illustrissimus Dominus Vicelegatus & ego accessimus ad dictum Serenissimum Dominum Ducem, qui eadem verba, nobis jam dicta a dicto Illustrissimo Domino Comite super prædictis Brevibus repetiit, & illi nos dedimus responsionem prædicto Domino Comiti datam.

Et ego Joannes Antonius Massanus Protonotarius Apostolicus habens facultatem magistri Cursorum Sanctissimi Domini Nostri Papæ tenoris sequentis, hujusmodi relationem prædictæ præsentationis in supradicta copia prædictorum Brevium per me extracta feci Romæ hodie v. Novembris 1635.

Tenor vero prædictæ facultatis meæ est infrascriptus, videlicet:

Dilecto filio Joanni Antonio Massano

Nostro & Apostolicæ Sedis Notario.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1635. CUm nuper duo Brevia per nos sub annulo Piscatoris expedita, dilectoque filio nobili viro Odoardo Parmæ & Placentiæ Duci directa tibi tradi fecerimus, ad effectum, ut dilectus filius magister Joannes Baptista Gorius Pannelinus utriusque Signaturæ nostræ Referendarius ac civitatis nostræ Bononiensis Vicelegatus & tu cum eo, vel ipse Joannes Baptista Vicelegatus solus, sive tu solus ipsamet Brevia nostro & Apostolicæ Sedis nomine eidem Odoardo Duci præsentetis, sive alter vestrum præsentet: quæ Brevia sunt tenoris sequentis, videlicet:

Dilecto filio &c. URBANUS *&c. ut supra pag.* 381. *num.* LVIII. *& pag.* 383. *num.* LIX.

Idcirco pro faciliori eorumdem Brevium præsentatione facienda, motu proprio, certaque scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Joanni Baptistæ Vicelegato & tibi conjunctim vel divisim ad peragendum & exequendum omnia & singula præmissa ac quæcumque alia desuper necessaria & quomodolibet opportuna, facultatem plenam & amplam, atque tibi etiam eamdem, quæ magistro Cursorum nostrorum in Romana Curia competit, quodque prædictus Joannes Baptista Vicelegatus ac tu, etiam non exhibitis nec ostensis præsentibus nostris literis, possitis & quilibet vestrum possit eadem Brevia clausa aperire & perlegere, testibusque adhibendis ostendere, copiamque ac transumptum illorum sumere, ac illa cum testibus vel absque testibus auscultare & con-

& conferre, ipsaque Brevia claudere & custodire seu alteri eidem Joanni Baptistæ Vicelegato, vel tibi fido & bene viso custodienda consignare vel consignari facere & una cum eodem Joanne Baptista Vicelegato & testibus adhibendis, vel etiam, si opus fuerit, absque testibus, seu solus ipse Joannes Baptista Vicelegatus, sive etiam tu solus similiter absque testibus, seu prout occasio temporis & loci dictaverit, vel alias quomodolibet tibi videbitur, eadem Brevia ipsi Odoardo Duci præsentare, & de præsentatione prædicta sive per dictum Joannem Baptistam Vicelegatum, & te Notarium Apostolicum conjunctim, vel alterum vestrum divisim facienda, & de aliis præmissis omnibus & singulis ceterisque necessariis & opportunis, tu instrumentum & instrumenta publica unum vel plura conficere, ac tu, tanquam habens facultatem prædictam magistri Cursorum nostrorum, relationem unam, vel plures etiam in copiis prædictorum Brevium per te extrahendis, facere etiam possis & valeas, concedimus & impertimur.

Nos enim omnia & singula, quæ vigore & alias pro executione præsentium nostrarum literarum feceritis, seu quilibet vestrum fecerit, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus ex nunc approbamus & confirmamus, omnesque & singulos, tam juris, quam facti & quarumcumque solemnitatum, necnon quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam specialem derogationem ac mentionem requirentibus, legibusque ac sanctionibus etiam imperialibus, & statutis etiam juratis, etiam Apostolica auctoritate confirmatis & sæpius approbatis, tam Urbis, quam quorumcumque aliorum locorum, ac usibus & stilo Romanæ Curiæ ac quorumcumque locorum & quarumcumque curiarum, necnon consuetudinibus etiam longævis & immemorabilibus, investituris quoque ac privilegiis & indultis etiam Apostolicis, tam eidem Odoardo & suis in prædicto Ducatu antecessoribus & Duci pro tempore existenti, quam collegio Cursorum, ac magistro illorum prædicto, & quibusvis aliis quomodolibet respective concessis ac alias competentibus, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam habentibus decreta insolita & clausulas; etiam derogato-

 ria-

riarum derogatorias, ac alias quomodolibet præsentibus præjudiciales & contrarias ac præjudicialia & contraria: quorum omnium & singulorum tenores hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis ad effectum præmissorum, expresse derogamus.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCXXXV. Pontificatus nostri anno XIII.

NOTA.

Hist. lib. 3. pag. 98. Ital. Hieronymus Brusonius testatur, Bononiæ Prolegatum a Pontifice ad Odoardum missum. Quamquam vero in Historia hujusmodi actus omnibus argumentis valide sunt comprobati, ut quæ contra Odoardum a Pontifice statuta fuerunt, ea omnia Austriacorum impulsu statuta fuisse ostenderemus; hoc tamen in loco *Epist. 487. pag. 186.* addimus testimonium Hugonis Grotii, pro Svecis Lutetiæ Legati, qui pridie nonas Octobres anno 1635. ad summum Regni Cancellarium hæc scribit: *Nec desinit* LEGATUS CÆSAREUS *obire Principes, ut eos e Gallica societate avertat*, PERTRACTO *&* *Pontifice, ut Parmensi*, VASSALLO *quippe* SUO, *quiescendi* AUCTOR *esset*. Verbum illud *pertracto* animadvertatur, quod nobis significat, Pontificem Urbanum ab Imperatore vi inductum, ut summo imperio suo ad Odoardum a bello in Ducatum Mediolanensem, avocandum uteretur. *Epist. 496. pag. 191.* In alia epistola IV. Cal. Novembres 1635. scribit, ut acrius contra Odoardum Pontifex instigaretur, ab Hispaniæ Rege Principatum, quem Dux in ejusdem Regis ditione obtinebat, pontificiæ domui promissum: *ab Hispano Pontificem, ut Parmensi infestus sit, lactari spe Principatus ejus ad aliquem Pontificis consanguineum transferendi*. Præterea in epi- *Epist. 498. pag. 191.* stola, VII. Cal. Novembres scripta significatur, Odoardi res male se habere, quia *consilia ejus a Pontifice non probantur*. His sane clariora proferri nequeunt, ut ostendatur, illo tempore summum Pontificis in *Parmam* ac *Placentiam* imperium Viennæ, Hispaniæque Aulas palam non solum agnovisse, sed ultro voluisse, ut ab omnibus agnosceretur.

Edi-

LXI.

Edictum contra Ducem Odoardum Farnesium, jussu Urbani VIII. rogatu Cæsaris, Regisque Hispaniæ impulsu, a Marco Antonio Franciotto Cameræ Apostolicæ generali Auditore promulgatum, ut Dux, nisi velit perduellionis reus declarari, deque beneficio Parmæ ac Placentiæ detrudi, suas copias e Mediolani Ducatu statim revocet.

MARCUS ANTONIUS FRANCIOTTUS

Protonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, sententiarum quoque & censurarum, tam in Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque universalis & merus executor, ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus.

1. UNiversis & singulis Reverendissimis Dominis Abbatibus, Prioribus, Propositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, parochialium & collegiatarum ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis & non Curatis, ceterisque presbyteris, necnon clericis, & tabellionibus publicis quibuscumque, illi vel aliis, ad quem vel ad quos præsentes nostræ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

Ad lib. 3. cap. 30 pag. 228.

1636.

Ex tabulario Vaticano.

2. Noveritis, qualiter infrascripta die comparuit coram nobis R. P. D. Joannes Ghinus Sanctissimi Domini nostri Papæ & ejus Reverendæ Cameræ Apostolicæ generalis Commissarius, & exposuit, quod licet Serenissimus Dominus Odoardus Farnesius DUX PARMÆ & PLACENTIÆ, S. R. E.

S. R. E. Confalonerius & FEUDATARIUS sciret vel scire deberet, quod ipse tenetur & obligatus existit dictas PARMÆ & PLACENTIÆ, aliasque civitates, castra & loca, quas & quæ a Sede Apostolica tenet IN FEUDUM & RECOGNOSCIT, meliorare potius, quam deteriora reddere, & illæsa ac immunia ab omnibus periculis & damnis conservare, & ab illis se abstinere, quæ in ipsarum civitatum, terrarum & castrorum, necnon directi & supremi dominii præjudicium redundare possunt, & præsertim a motibus belli, maxime vero contra finitimos: ex quo etiam propriæ civitates, terræ & castra invaduntur, occupantur & diruuntur, civium & incolarum facultates diripiuntur, territoria etiam devastantur, & alia etiam gravissima damna inferuntur; nihilominus idem Serenissimus Dux mensibus præteritis, prout est publicum & notorium, copias militares instruxit.

3. Quapropter Sanctissimus Dominus noster ex debito pastoralis officii & paterno ductus amore, ut prædictis civitatibus, terris, castris, eorumque incolis & habitatoribus, ipsius Serenissimi Domini Ducis rebus & Sedis Apostolicæ indemnitati consuleret, nonnullis diversis temporibus probos viros & Prælatos, & inter alios R. P. D. Julium Mazarinum utriusque Signaturæ Referendarium, & Reverendissimum Dominum Lælium Falconerium Archiepiscopum Thebanum ad eundem Serenissimum Dominum Ducem transmisit, qui illi discrimen, quod ex hujusmodi novitate sibi & Sedis Apostolicæ rebus & FEUDIS imminebat, significarent, prout significarunt. Et successive cum copias prædictas augeri relatum esset, sub die 25. mensis Augusti 1635. literas in forma Brevis sub annulo Piscatoris decrevit: cumque percrebuisset fama, easdem copias fuisse deductas vel in procinctu esse, ut alio hostiliter transferrentur, alias consimiles sub die 7. mensis Septembris ejusdem anni literas expediri fecit, quas R. P. D. Johannes Baptista Gorius Pannelinus utriusque Signaturæ Referendarius & Vicelegatus Bononiæ, ac Reverendus Dominus Johannes Antonius Massanus Protonotarius Apostolicus, ad id specialem facultatem & mandatum a Sanctissimo Domino nostro habentes die 19. dicti mensis Septembris prædicto Serenissimo Domino Duci Odoardo, reperto in obsidione Opidi Valentiæ Status Mediolani, præsentarunt, te-

tenoris, ut infra, exhibendi, literis Apostolicis registrandas.

4. Prædictus autem Serenissimus Dominus Dux Odoardus, præmissis non attentis, non solum copias militares non continuit intra sui Status fines, seu illas non redegit & non revocavit, quinimo in obsidione dicti castri Valentiæ perstitit & perseveravit, ac deinde ad alios hostiles actus processit & procedit. Idcirco prædictus R. P. D. Commissarius, exhibitis & præsentatis prius nobis literis Apostolicis Sanctissimi Domini nostri Papæ sub annulo Piscatoris in forma Brevis & datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem die XI. currentis mensis, ut moris est, expeditis de & super facultate nobis concessa prædictum Serenissimum Odoardum Ducem, omnesque alios, quos opus fuerit, monendi, citandi, & inhibendi, & in eventum illarum & infrascriptarum nostrarum monitorialium non paritionis, ad omnium & singularum pœnarum & censurarum in dictis literis contentarum & per nos in nostris apponendarum incursus declarationem procedendi, & alias, prout in eisdem literis Apostolicis, hujusmodi sub tenore, videlicet:

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

5. Alias a nobis emanarunt literæ in forma Brevis sub annulo Piscatoris expeditæ, & dilecto filio nobili viro Odoardo Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci directæ, quarum tenor talis est.

Dilecto filio &c. URBANUS *&c. ut supra pag.*381. *num.* LVIII. *& pag.*383. *num.* LIX.

6. Quæ Brevia juxta ordinem nostrum & facultatem per nos dilectis filiis Vicelegato Bononiæ & Johanni Antonio Massano Protonotario Apostolico concessam, præsentata fuerunt eidem Odoardo Duci, tunc prope Valentiam, in ejus obsidione cum suis militaribus copiis existenti: cumque propterea nos pro indemnitate Sanctæ Romanæ Ec-

Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ, earumque jurium & actionum quarumcumque & quomodocumque competentium & competiturarum eumdem Odoardum Ducem MONERE intendamus, ut copias suas militares intra sui Status fines reducat, & alia, ad quæ tenetur, adimpleat, sine tamen præjudicio cujuscumque hactenus incursæ caducitatis & devolutionis civitatum, castrorum, terrarum, opidorum ac locorum & privationis quarumcumque dignitatum, graduum, privilegiorum, & indultorum, jurium & bonorum, necnon restaurationis & reparationis quorumcumque damnorum, eidem Sedi & dictis civitatibus, terris & opidis, castris & locis quomodolibet factorum, & illatorum, & faciendorum & inferendorum; circa quæ nobis & Sedi Apostolicæ omnia & singula jura intacta & illæsa reservamus; idcirco INVESTITVRARVM, concessionum, privilegiorum, & indultorum quorumcumque eidem Odoardo Duci, ejusque antecessoribus & successoribus quomodocumque, & per quoscumque, etiam Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos quomodolibet & consistorialiter concessorum, ac alias competentium, omniumque aliorum contrariorum hic exprimendorum tenores pro plene expressis & de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certaque scientia ac matura deliberatione nostris, deque Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, committimus & mandamus Auditori Cameræ, nunc & pro tempore existenti, ut ad instantiam Commissarii Cameræ nunc & pro tempore existentis, eumdem Odoardum Ducem sub incursu REBELLIONIS, criminis LÆSÆ MAJESTATIS, CONFISCATIONISQUE omnium & singulorum bonorum, ac jurium suorum, necnon CADVCITATIS, & DEVOLUTIONIS tam earumdem civitatum PARMÆ & PLACENTIÆ, quam quarumcumque aliarum civitatum, terrarum, opidorum, castrorum & locorum, quæ a Sede Apostolica in FEVDVM tenet & recognoscit, amissionis, & privationis dignitatis Confaloneratus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliarumque dignitatum & titulorum quorumcumque, necnon privilegiorum, indultorum cujuscumque qualitatis & tenoris, etiam pluries & iterato concessorum ac approbatorum, ac sub aliis pœnis sibi bene visis, & in juris subsidium, excommunicationis, aliarumque censurarum, MONEAT, MONERIQVE FACIAT, ut suas co-

copias militares intra sui STATUS PARMÆ & PLACENTIÆ FINES reducat, & ab actibus hostilitatis se abstineat, suosque abstineri faciat, aliaque omnia & singula, ad quæ de jure & forma INVESTITURÆ & investiturarum ac JURAMENTI & juramentorum FIDELITATIS, ac alias quomodolibet nobis & Sedi Apostolicæ tenetur, faciat & adimpleat, præsentibusque nostris literis ac ejusdem Auditori Cameræ monitorialibus PAREAT & OBEDIAT, ac de paritione, obedientia & adimplemento infra tempus sibi præfixum doceat; alias in eventum non paritionis idem Auditor Cameræ ad omnium & singularum personarum, cujuslibet earum incursus declarationem & pronunciationem procedat, procedique mandet & faciat; causamque & causas, quam & quas idem Cameræ Commissarius habet & movet, habereque & movere intendit, contra prædictum Odoardum Ducem, omnesque alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis & dignitatis, etiam ecclesiasticæ & speciali nota & expressione dignas, quicumque & quotcumque sint & fuerint, cognoscat, & prout juris fuerit, decidat & determinet, aliaque omnia & singula qnomodolibet necessaria & opportuna faciat, gerat & exequatur cum facultate eumdem Odoardum Ducem, omnesque alios prædictos monendi, ut præfertur, ac citandi, illique ac quibus & quoties opus fuerit, inhibendi in Curia & extra, etiam per edictum publicum, constito summarie & extrajudicialiter, & quantum sufficienter sibi videbitur, de non tuto accessu,

7. Volumus autem, quod idem Auditor Cameræ, INTIMATO SALTEM SEMEL ejus Monitorio in personam dilecti filii Alphonsi Carandini, qui ejusdem Odoardi Ducis apud nos Residentem se gerit, ut prædicto Odoardo Duci omnibusque aliis prædictis per affixionem in valvis ecclesiarum Bononiensis & Ferrariensis, ac etiam in valvis Basilicæ Sancti Petri, ac aciei campi Floræ de Urbe, deinde contra ipsum Odoardum Ducem, omnesque alios prædictos non comparentes PROCEDAT, PROCEDIQUE MANDET & FACIAT, perinde ac si essent in quolibet actu personaliter moniti, intimati & citati. Nos enim eidem Auditori Cameræ omnem facultatem, plenam & amplam, necessariam, & quomodolibet opportunam desuper concedimus & impertimur, & ex nunc omnia & sin-

 gu-

gula, quæ præsentium vigore facta fuerint, valere, plenamque roboris firmitatem obtinere decernimus & declaramus, illaque approbamus & confirmamus, supplentes omnes & singulos defectus quamtumlibet substantiales, si qui forsan desuper intervenirent, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus, & præinsertis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri *de una*, & Concilii generalis *de duabus diatis*, stilo Curiæ, necnon Ducatus, civitatum, terrarum, opidorum, castrorum & locorum prædictorum, & juramenti, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, statutis etiam juratis & consuetudinibus, quamtumlibet antiquis & antiquissimis, privilegiis quoque & indultis, investituris, renovationibus, & literis etiam Apostolicis prædicto Odoardo Duci ejusque antecessoribus & successoribus prædictis, & quibuscumque aliis, etiam eisdem civitatibus, terris, opidis & locis sub quibuscumque tenoribus & formis & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam investitura & investituris, ac infeudationibus & concessionibus dictorum Ducatus & civitatum PARMÆ & PLACENTIÆ, aliarumque civitatum & terrarum, opidorum, castrorum & locorum prædictorum pro tempore possessorum, nisi ex machinatione vel alia offensione in propriam personam Romani Pontificis, procedi non posse, vel nonnisi prius citato ejus ministro seu officiali in Romana Curia pro eo residente, vel nonnisi alia speciali forma in citando, monendo & procedendo servata. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque copiis & tenoribus specifica & individua ac de verbo ad verbum mentio, expressio & assertio facienda, ac qualibet alia exquisita forma servanda foret, eorumque omnium & singulorum tenores, etiam ampliores & veriores, ac si de verbo ad verbum inserti, etiam forma in eis tradita observata esset, præsentibus pro plenis & expressis habentes, specialiter & expresse ad effectum præmissorum & inde quomodolibet resultantium, derogamus ceterisque contrariis quibuscumque, ac si Odoardo Duci prædicto & pro tempore existenti, & quomodolibet alias ab Apostolica sit Sede indultum, ut interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, ac con-

contra illum & illos procedi non possit a quocumque, etiam per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac integram de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

8. Per præsentes autem & quæcumque inde sequenda non intendimus prohiberi ejdem Odoardo tuitionem, defensionem, & conservationem prædicti sui Status & prædictarum civitatum PARMÆ & PLACENTIÆ, ac recuperationem quamcumque respective aliarum civitatum, terrarum, opidorum, castrorum, seu locorum, sibi a Sede Apostolica in FEUDUM concessorum, ac alias sub investitura seu investituris aut concessionibus Sedis Apostolicæ sibi vel ejus antecessoribus quomodolibet factis comprehensorum & dependentium membrorum & annexorum quorumcumque quatenus aliqua vel aliquod illorum a quocumque hactenus invasum vel invadendum fuisset vel imposterum invaderetur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XI. Augusti 1636. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

M. A. Maraldus.

9. Ac sine præjudicio caducitatis, devolutionis, privationis hactenus incursæ, & cum expressa reservatione jurium pro damnis quibuscumque; præmissorum occasione, eidem Sedi Apostolicæ & dictis civitatibus, terris, opidis & locis quomodolibet factis & illatis seu faciendis & inferendis, & illis ac quibuscumque aliis juribus, sibi & Sedi Apostolicæ quomodolibet competentibus, semper salvis & non alias: de quo expresse protestatus fuit ac protestatur & petiit, & summa cum instantia postulavit, quatenus sibi literas Monitoriales ad partes per edictum publicum in locis, in præinsertis literis Apostolicis designatis, exequendas & publicandas, pro illis exequendis & publicandis, cum in civitatem PARMÆ & PLACENTIÆ, & illarum Statum, ubi dictus Odoardus moram trahit & morari solet, tutus non pateat accessus, in forma solita decernere & concedere: & aliasmet super præmissis omnibus & singulis tam conjunctim, quam divisim & alias omni meliori modo, via & forma jus & justitiam ministrare dignaremur.

 10. Nos

10. Nos igitur Marcus Antonius Franciottus Judex & Auditor prædictus considerantes, petitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam, quodque justa petenti non est denegandus assensus, inhærentesque præinsertis literis Apostolicis, nobis, ut præfertur, præsentatis, ac facultate in illis nobis concessa utentes, constitoque nobis per testes fide dignos, nostro de mandato examinatos, ad dictas civitates & Statum Parmæ & Placentiæ ad prædictum Serenissimum Dominum Odoardum Ducem monendum & citandum pro præsentibus nostris Monitorialibus literis exequendis & præsentandis, tutum non patere accessum, literas Monitoriales petitas concedendas fore & esse duximus & mandamus per præsentes. Quare vobis & omnibus & singulis suprascriptis, ac vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus & in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, quatenus visis eisdem præsentibus per præsens publicum edictum, in Romana Curia ad valvas Principis Apostolorum & in acie campi Floræ de Urbe, necnon in personam supranominati Illustrissimi Domini Comitis Carandini residentis, & ex Curia in valvis Ecclesiarum Bononiensis & Ferrariensis, affigendum & publicandum ex parte nostra, imo verius Apostolica auctoritate, prædictum Serenissimum Dominum Odoardum Ducem omnesque alios & singulos, in executione præsentium nominandos & cognominandos, requiratis & moneatis, prout nos harum serie monemus & requirimus primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra dierum xxx. spatium ab expeditione præsentium, modo præmisso facienda, immediate sequentium, quorum decem pro primo, alios decem pro secundo, reliquos vero decem dies pro ultimo & peremptorio termino ac trina monitione canonica, eidem Serenissimo Domino Duci Odoardo assignamus, & vos assignetis, sub crimine LÆSÆ MAJESTATIS, REBELLIONIS, AMISSIONIS, CADUCITATIS, DEVOLUTIONIS, & PRIVATIONIS dicti DUCATUS & civitatum, terrarum, opidorum, castrorum & locorum, jurium & pertinentiarum, quæ a Sede Apostolica, aliisque Ecclesiasticis inferioribus, monasteriis, collegiis, & locis piis tenet, recognoscit, & quorumcumque aliorum bonorum, ac amissionis, privationis & depositionis omnium, & singulorum titulorum, graduum, honorum, officiorum & dignitatum, aliisque,

que, tam a jure, quam ab homine, & signanter per quoscunqne Summos Pontifices contra similia perpetrantes, ac præinsertis literis Apostolicis contentis & inflictis pœnis, & in juris subsidium excommunicationis majoris debeat dictas copias militares INFRA SUI STATUS FINES redegisse & revocasse, redactas & revocatas continuisse, & a bello contra quoscumque Principes viros & personas, cujusvis Status, ordinis, gradus, conditionis, & qualitatis fuerint & sint, nationes, Respublicas, universitates, dignitates, castra, opida, terras, fortalitia, alia loca, quæcumque, & ab earumdem civitatum, terrarum, castrorum, fortalitiorum, & aliorum quorumcumque locorum obsidione, invasione, & aliis hostilibus actibus cessare, eosque & ea obsessos & obsessa exemisse & liberasse ac redigi & revocari, cessari, & eximi ac liberari fecisse ac mandasse, præinsertis literis Apostolicis ac præsentibus nostris Monitorialibus literis in omnibus & per omnia PARUISSE, & OBEDIVISSE, & de ejus obedientia & paritione infra terminum aliorum sequentium xxx. dierum coram nobis vel in actis infrascripti Notarii legitime docuisse, ipsi Reverendo Domino Commissario in præmissis deducens omne jus. omnemque actionem, sibi & dictæ Sedi Apostolicæ magis proficuum & competens jus & justitiam fieri & ministrari, aliosque & alia in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna fieri & exequi vidisse & audivisse.

11. Per præsentes autem & quæcumque inde sequenda non prohibemus eidem Serenissimo Domino Odoardo Duci tuitionem, defensionem, & conservationem præsentis sui Status prædictarum civitatum PARMÆ & PLACENTIÆ, & recuperationem quamcumque respective aliarum civitatum, terrarum, opidorum, castrorum seu locorum, sibi a Sede Apostolica in FEUDUM concessorum. & alias sub investitura seu investituris aut concessionibus Sedis Apostolicæ sibi vel ejus antecessoribus quomodolibet factis comprehensorum, dependentiumque membrorum & annexorum quorumcumque, quatenus aliqua vel aliquod illorum, a quocumque hactenus invasum fuisset vel imposterum invaderetur, certificantes eumdem Serenissimum Dominum Odoardum Ducem, quod si in dicto termino sibi præfixo non paruerit, & de paritione hujusmodi legitime non doce-

cue-

cnerit, nos ad dictorum omnium & singularum censurarum & pœnarum incursus declarationem, & alia opportuna juris remedia procedemus, justitia mediante.

12. Volumus insuper & auctoritate nostra ordinaria & infra insertis literis Apostolicis nobis concessa decernimus, quod præsentes nostræ literæ, modo præmisso executæ, in eumdem Serenissimum Ducem Odoardum perinde valeant, ac si personaliter factæ & executæ forent, & quomodolibet præsentatæ. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex ædibus nostris anno Domini *1636.* Indictione IV. die vero 18. Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Urbani divina Providentia Papæ VIII. anno XIV.

Marcus Antonius Franciottus
Auditor & judex commissarius.

Dominicus Fonthia Curiæ causarum
Cameræ Apostolicæ Notarius.

NOTA.

Epist. 650. pag. 265.

De hoc Edicto Grotius ad magnum Sveciæ Cancellarium hoc pacto scribit; *neque armis tantum invalidus Parmensis, sed & Pontificis, cujus* VASSALLUS *est*, IMPERIIS *concutitur, minantis ei certam excommunicationem, ni intra XXX. diem armis absistat, missa pari ad Doriam vicinum ejus atque hostem denunciatione.* Edictum contra Auriam editum, quod Burgum Vallis Tari occupavisset, ad numerum LXIV. integrum dabimus,

Pon-

LXII.

Pontifex Urbanus VIII. Didacum Philippum de Gusman Marchionem de Leganes Mediolani Præfectum monet, ne bello contra Odoardum suscepto, pontificiis urbibus Parmæ ac Placentiæ damnum inferat.

Dilecto filio nobili viro Marchioni de Leganes Status Mediolani Gubernatori & Capitaneo generali.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili nobilis vir

Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad lib. 3. cap. 30. pag. 228.

1636.

Ex tabulario Vaticano.

Assidua mentis sollicitudine ab universo quidem Catholico orbe, præsertim vero ab Italia, armorum tumultus amovere pro pastorali munere conati sumus. Nec defuit inter hæc officia studium curandi, ne quis, APOSTOLICÆ SEDIS JURIBUS, vel AUCTORITATE SUFFULTUS, alios læderet, simulque avertendi motuum occasiones, qui eidem Sedi damnum quoquomodo parere possent. Quolibet propterea opportuno conatu, ac omni qua ratione potuimus, opera a nobis adhibita est, ne nobilis vir Odoardus PARMÆ & PLACENTIÆ DUX quicquam moliretur, quod ullo pacto publicæ tranquillitati officeret. Haud igitur consentaneum videtur, ut ex iis, quæ isthic patrata sunt aut etiam patrantur, aliquod hæc SANCTA SEDES SUBEAT DETRIMENTUM. Quare cum a nobilitate tua militares copiæ INTRA EJUSDEM DUCATUS FINES immissæ fuerint, CAVENDUM APPRIME EST, ne, dum illatas injurias ulcisci contendis, APOSTOLICÆ SEDI PRÆJUDICIUM AFFERATUR: quod accidit, dum non modo a Mediolanensi Statu hostiles invasiones propellis, sed in LOCA, quæ JURIS SUNT APOSTOLICÆ SEDIS, deducto exercitu, devastatis agris, opi-

opidanis maximo incommodo affectis, propugnaculis excitatis, & aliis additis molitionibus, quæ in dies referuntur, arma invehis. Itaque a te enixe postulamus, ut PARMÆ, PLACENTIÆ, & ALIORUM LOCORUM AB EARUM DITIONE DEPENDENTIUM, habita ratione, quorum DIRECTUM DOMINIUM ad SANCTAM hanc SEDEM PERTINET, milites revoces, nec populos, ab omni prorsus culpa remotos, bellorum calamitatibus diutius affligi patiaris. Habes in quo de Beati Petri PATRIMONII incolumitate & SEDIS APOSTOLICÆ JURIBUS sollicitus summa cum pietatis laude bonorum omnium animos demereri facile possis. Nos, quibus peculiaris tua religio ac propensa in publicum bonum voluntas jam pridem perspecta est, nobis non dubie pollicemur fore, ut ab ECCLESIÆ REBUS LÆDENDIS ABSTINEAS, simulque ALIOS AB EARUM AGGRESSIONE DESISTERE pro tuo munere diligenter contendas. Nec tibi nova, neque inexpectata cura nostra videri debet, cum satis exploratum sit quænam Summos Pontifices obligatio compellat hujusmodi res & JURA INVIOLATA atque INTEGRA CUSTODIENDI. Eo autem propensius postulatis nostris obsequi debes, quod cum NOSTRARUM SIT PARTIUM de præsenti ejusdem DUCIS CAVSAM COGNOSCERE, nos, si quid IN IPSUM ANIMADVERTENDUM erit, nihil prætermissuri sumus, sed illud decernemus, quod nostræ dignitati, justitiæ, & publicæ quieti consentaneum fuerit. Profecto si optatis nostris, quemadmodum de tua in nos observantia expectare par est, te obsecundantem præbueris, rem præstabis æquitati consonam, nomini tuo valde gloriosam, cum Catholici Regis pietate & clementia conjunctam, & nobis, qui in te non minus virtutes, quam sanguinis splendorem magni facimus, in primis gratam. Nobilitati tuæ pontificiam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Castro Gandulphi die 25. Octobris 1636. Pontificatus nostri anno XIV.

N O T A.

Hist. Italiæ lib. 4. p. 127. Brusonius testatur, illo tempore Urbanum pariter cum Cardinali Trivultio conquestum, quod Placentiam obsidione premi jussisset.

Pon-

LXIII.

Pontifex Urbanus VIII. Philippum IV. Regem Catholicum rogat, ut Mediolani Præfecto imperet, ne in bello contra Odoardum Parmæ ac Placentiæ Ducem, iisdem urbibus, quæ sunt Apostolicæ Sedis, detrimentum importari permittat.

Carissimo in Christo filio nostro

Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

URBANUS PAPA VIII.

Carissime in Christo fili noster

Salutem & Apostolicam benedictionem.

NON modo veteri Austriacæ familiæ institutione, sed propriarum etiam virtutum incitamento sæpius Majestas tua non levibus argumentis testata est quanti ECCLESIÆ JURA atque existimationem semper fecerit. Etenim a vestigiis, quæ insignis proavorum tuorum religio jam olim ad posteritatis exemplum impressit, non deflectens, non minus præcipuam eorum erga Apostolicam Sedem venerationem, quam eximiam gloriam æmularis; adeout non sine regii tui nominis laude, minime recens opinio in omnium animis percrebuerit, amplissimi istius dominatus conservandi rationes peculiari quodam studio cum Ecclesiæ dignitate conjunctas esse: quo fit, ut pro certo habeamus, a voluntate tua maxime alienas esse eas militum invasiones, quibus PARMÆ & PLACENTIÆ STATUS devastari narratur. Et sane inducere in animum nequaquam possumus fore, ut passurus sis, earum DITIONES, SUB DIRECTO APOSTOLICÆ SEDIS DOMINIO CONSTITVTAS, Austriacis armis oppugnari. Nos hac de re ad dilectum filium nobilem virum Marchionem de Leganes Mediolanensis Status Gubernatorem literas de- 1636.

dimus, accurate flagitantes, ne ROMANÆ ECCLESIÆ RES AC JURA, aliqua ex parte lædi aut innocentes populos alienæ molitionis pœnas atque incommoda subire velit. Insuper DECLARAVIMUS, nos ADVERSUS IPSUM DUCEM, PRÆVIA CAUSÆ COGNITIONE, quidquid JUSTUM fuerit, sedulo præstituros, & EXECUTIONI DEMANDATURUS esse. Speramus, illum æquissimis postulatis nostris OBSECUTURUM esse, neque premissurum, PARMAM, PLACENTIAM, ALIAQUE LOCA AB ILLIS DEPENDENTIA, bellorum calamitatibus diutius affligi. Quod si secus, quam opinamur, ipse id præstare distulerit, a Majestate tua majorem in modum petimus, ut jubeat, EX HUJUSMODI LOCIS primo quoque tempore exercitum revocari. Erit tuæ pietatis ingentium malorum gliscentem flammam extinguere, quæ ex præsentibus conatibus in dies proficisci possent. Non te fugit, Catholici Regis proprium esse APOSTOLICÆ SEDIS JURA sarta tecta undique custodire. Quare ut hanc de universa Christiana Republica benemerendi occasionem amplectaris, nihil est, quod te hortemur. In hoc certe integritas & regia tua virtus elucebit, nosque magnum pontificiæ sollicitudini solatium partum esse fatebimur. Fusius in hanc sententiam nostro nomine tecum differet Venerabilis frater Laurentius Episcopus Senogalliensis Nuncius Apostolicus. Eidem cupimus integram adhiberi fidem a Majestate tua: cui nos amantissime benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XV. Novembris *1636*. Pontificatus nostri anno XIV.

N O T A.

Commentarii reconditi tom. 8. p. 398. Italice.

Ex Siri Commentariis percipimus, Urbanum antequam has literas daret, alias iisdem de caussis Nuncio Millino Imolensi Episcopo dari jussisse. Quare Hispani ut Pontifici dicto audientes se ostenderent, ex Parmensi argo ab se occupato mox recesserunt.

Edi-

LXIV.

Edictum a Marco Antonio Franciotto generali Cameræ Apostolicæ Auditore contra Principem Joannem Andream ab Auria, Urbani VIII. jussu vulgatum, quod bello flagrante inter Odoardum Farnesium ac Mediolanenses Burgum Vallis Tari, beneficium Sedis Apostolicæ, invasisset.

MARCUS ANTONIUS FRANCIOTTUS.

Protonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius, necnon causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, sententiarum quoque ac censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque universalis & merus executor, ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus.

1. UNiversis & singulis Reverendissimis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Thesaurariis, Sacristis, parochialiumque & collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis & non Curatis, ceterisque presbyteris, necnon clericis, & tabellionibus quibuscumque, illique vel illis, ad quem vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino. Ad lib. 3. cap. 30. pag. 228.

1636.

2 Noveritis, quod hac infrascripta die comparuit coram notis Reverendus Pater Dominus Joannes Ghinus Sanctissimi Domini nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarius generalis, & exposuit, quod licet Ecclesiarum, & præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jurisdictiones, civitates, opida, castra, loca, res & bona

quæcumque, uti de patrimonio Beati Petri, sint sacra; & contra illorum aggressores, invasores, perturbatores, occupatores, & detentores quoscumque, tam per sacros canones, quam per Concilia generalia & per diversas Summorum Pontificum constitutiones gravissimæ pœnæ & censuræ ecclesiasticæ inflictæ & promulgatæ sint; signanter vero per Bullam in die *cœnæ Domini* quotannis legi & bublicari solitam omnes & singuli, qui per se sive alios directe vel indirecte sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare ac detinere præsumpserint in totum vel in partem civitates, terras, opida castra & loca quæcumque ad Romanam Ecclesiam pertinentia, eidem Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjecta, ac supremam seu aliam quamcumque jurisdictionem in illis Summo Pontifici, & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, variisque modis vexare præsumunt, necnon illis adhærentes, fautores & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes excommunicentur, & anathematizentur, ita quod tales excommunicationi, & anathemati tamdiu subjaceant, quamdiu jurisdictiones, civitates, opida, castra, res, jura & bona, quæ occupaverint, integre restituerint, deinde absolutionem reportaverint; nihilominus Excellentissimus Dominus Princeps Joannes Andreas ab Auria, Dei timore postposito & salutis suæ æternæ immemor, censurisque & pœnis prædictis non attentis, ausus fuit atque præsumpsit terram seu opidum BURGI VALLIS TARI PLACENTINI DISTRICTUS, ad Sanctam Romanam Ecclesiam ratione DIRECTI DOMINII spectans, illiusque territorium, membra, annexa, connexa & dependentia OCCUPARE & DETINERE in maximum dictæ Sedis Apostolicæ damnum & præjudicium, non sine ejus dolo & culpa manifesta, cum sciverit aut scire debuerit, prout est NOTORIUM & MANIFESTUM, quod terra seu opidum prædictum est sub & de DOMINIO DIRECTO & SUPREMO ejusdem SEDIS APOSTOLICÆ. Quare idem Reverendus Pater Dominus Commissarius generalis, exhibitis & præsentatis nobis literis Apostolicis a Sanctissimo Domino nostro Papa in forma Brevis sub annulo Piscatoris & datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem die undecima currentis mensis emanatis, tenoris sequentis, videlicet:

UR-

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

3. CUM, ficut accepimus, Joannes Andreas Princeps ab Auria, nefcitur quo fpiritu ductus terram five opidum BURGI VALLIS TARI PLACENTINI DISTRCTUS ad Sanctam Romanam Ecclefiam RATIONE DIRECTI DOMINII fpectans, illiufque territorium, & membra, annexaque, & connexa ac dependentia OCCUPARE AUSUS FUERIT, five occupata detinuerit vel detineat, propterea nos volentes, ut contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnefque alios invafores, occupatores ac detentores juris remediis opportunis, præfertim declarationis incurfus excommunicationis majoris, aliarumque cenfurarum & pœnarum, a facris canonibus & conciliis univerfalibus, conftitutionibufque Apoftolicis, etiam in Bulla *Cœnæ Domini* adverfus talia perpetrantes inflictarum & promulgatarum, per Auditorem Cameræ, qui quarumcumque litterarum Apoftolicarum eft generalis executor, procedatur; ne unquam de ejus jurifdictione & facultare, in præmiffis quomodolibet neceffaria & opportuna, dubitari contingat, motu proprio, certaque fcientia ac matura deliberatione noftris deque Apoftolicæ poteftatis plenitudine, falvo tamen & refervato nobis & Sedi Apoftolicæ jure agendi ad quæcumquè alia, nunc & in pofterum quomodolibet & quandocumque competentia & competitura, ac prævia, quatenus fit opus, avocatione a quibufcumque judicibus, etiam per Romanos Pontifices prædeceffores noftros quomodolibet datis, tenore præfentium eidem Auditori Cameræ nunc & pro tempore exiftenti committimus & mandamus, ut nedum vigore fuarum generalium facultatum, fed etiam vigore præfentium ad inftantiam Commiffarii generalis Cameræ Apoftolicæ pro tempore exiftentis ad prædictam declarationem incurfus excommunicationis, aliarumque cenfurarum & pœnarum quarumcumque, etiam caducitatis & devolutionis feudorum & bonorum emphyteuticorum, fiquæ prædictus Joannes Andreas ab Auria, omnefque alii, tam proprio, quam cujufcumque alterius nomine invadentes, occupantes, fibi-

que

que assistentes, auxiliumque & favorem præstantes, & qui præstiterunt ad invadendam seu occupandam vel detinendam prædictam terram, ejusque arcem & territorium, aliaque bona, jura, membra, annexa & dependentia quæcumque, ad prædictam Romanam Ecclesiam Sedemque & Cameram Apostolicam, & respective quamlibet aliam inferiorem ecclesiam, ratione directi dominii, & alias quomodolibet spectantia, obtinent; necnon amissionis, & privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum, & indultorum, siquæ ab ipsa Ecclesia Romana, aliaque ecclesia inferiori quomodolibet habent, procedat, omniaque alia & singula in præmissis necessaria & quomodolibet opportuna gerat, faciat & exequatur, etiam omni & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate etiam ex tribus aliisque remediis ordinariis & extraordinariis penitus & omnino remotis cum facultate prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios in executione præsentium nominandi & cognominandi, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis & dignitatis, etiam speciali nota & expressione dignos, quicumque & quotcumque sint & fuerint, citandi, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie & extrajudicialiter, & quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu:

4 Volumus autem, ut facta per affixionem saltem semel intimatione Monitorii desuper expediendi, in valvis Ecclesiarum Bononiensis, & Ferrariensis ac in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie campi Floræ de Urbe, omnia deinde contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios, ut præfertur, nominandos, facienda, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus, perinde ac si ipsi & quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti & intimati fuissent, illisque quoties & quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris & pœnis sibi bene visis inhibendi & præcipiendi, aliisque facultatibus necessariis & opportunis, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & præsertim Bonifacii Papæ VIII. *de una*, & Concilii generalis *de duabus diætis*, ac quacumque commissione aliis judicibus seu tribunalibus Urbis, etiam per Breve Apostolicum vel supplicationem sive decretum, etiam motu

tu, scientia, deliberatione, & potestate similibus, ac alias quomodolibet, etiam consistorialiter expeditum, facta, partibusque intimata & forsan causa instructa, certisque contrariis quibuscumque statum litis & litium quarumcumque ac nomina & cognomina judicium, litigantium, aliorumque contrariorum, & hic etiam de necessitate exprimendorum, & inserendorum tenores & compendia pro plene expressis & insertis habentes: quibus omnibus & singulis plenissime derogamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XI. Augusti 1636. Pontificatus nostri anno XIV.

M.A. Maraldus.

5. Petiit & summa cum instantia postulavit, quatenus sibi literas monitoriales ad partes per edictum publicum in locis, in præinsertis literis Apostolicis designatis, affigendas & exequendas ac publicandas, cum pro illis exequendis in civitate Genuensi & alibi, ubi dictus Excellentissimus Dominus Princeps ab Auria moram trahit & morari solet, tutus non pateat accessus, in forma solita decernere & concedere & alias de opportuno juris remedio providere dignaremur.

6. Nos igitur Marcus Antonius Franciottus, judex, executor & Auditor prædictus attendentes, requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam, in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertisque literis Apostolicis, nobis, ut præfertur, præsentatis inhærentes, ac etiam facultate in illis nobis tradita utentes, constitoque nobis per testes fides dignos nostro de mandato examinatos, ad dictam civitatem Genuæ & prædictum Excellentissimum Dominum Joannem Andream ab Auria citandum & monendum pro præsentibus nostris monitorialibus literis exequendis tutum non patere accessum, literas monitoriales petitas concedendas & in locis infra dicendis exequendas & publicandas fore & esse duximus & mandamus per præsentes. Quocirca vobis omnibus & singulis supradictis ac vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus & in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, quatenus visis eisdem præsentibus per præsens publicum

no,

noſtrum edictum in Romana Curia in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum & in acie campi Floræ de Urbe, & extra eam in valvis Bononienſis & Ferrarienſis eccleſiarum affigendum, publicandum, & exequendum ex parte noſtra, imo verius Apoſtolica auctoritate, ſupradictum Excellentiſſimum Dominum Principem Joannem Andream ab Auria, omneſque alios in executione præſentium nominandos & cognominandos citetis, moneatis & requiratis, prout nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus & requirimus primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino, quatenus infra XXX. dierum ſpatium, quorum decem pro primo, alios decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio, ultimo & peremptorio termino, ac trina monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat coram nobis per ſe ipſos legitime comparuiſſe & comparere ad deducendum & allegandum cauſam, quare non debeat, ipſos & eorum quemlibet in omnes & ſingulas cenſuras & pœnas, in ſacris canonibus Conciliis, & Conſtitutionibus, & reſpective in præinſertis literis Apoſtolicis contentas, inflictas, impoſitas & comminatas incidiſſe & incurriſſe declarari, ac contra eos & illorum quemque literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias & opportunas decerni & relaxari, ac ad omnes & ſingulos actus de & ſuper præmiſſis & circa ea quomodolibet neceſſarios & opportunos procedi, necnon reſpective ad videndum ſeſe in cenſuras & pœnas hujuſmodi incidiſſe & incurriſſe declarari, ipſique domino Commiſſario jus & juſtitiam miniſtrari, aliaque deſuper neceſſaria & opportuna uſque ad condignam prædictorum ſatisfactionem, ac terræ ſeu opidi, illiuſque annexorum membrorum & pertinentiarum quarumcumque hujuſmodi libram dimiſſionem & reſtitutionem, totalemque præſentium noſtrarum literarum portionem fieri & exequi, certificantes eoſdem Excellentiſſimum Dominum Principem ab Auria & alios ſic citatos & monitos, quod ſi in dicto termino ſibi præfixo non comparuerint, nos ad omnium & ſingularum cenſurarum & pœnarum prædictarum incurſus declarationem procedemus juſtitia mediante, eorum abſentia & contumacia non obſtante. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex ædibus noſtris anno Domini 1636. Indictione quarta, die vero XIX. Auguſti, Pontificatus au-

autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Urbani divina providentia Papæ VIII. anno XIV.

Marcus Antonius Franciottus
Auditor & judex commissarius.

Dominicus Fonthia Curiæ causarum
Cameræ Apostolicæ Notarius.

NOTA.

Hujus Edicti, ex juris præscripto & rite vulgati, Sirus in Commentariis reconditis, & Grotius etiam, ut supra animadvertimus, mentionem fecerunt, *Tom.8.pag.416.*

LXV.

Rex Galliarum ab Urbano VIII. forma publica & legitima postulat, ut Ducem Odoardum in Christianorum societatem atque in suam gratiam restituat.

In nomine Domini Amen.

1644.

Ex tabulario Vaticano.

PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat notumque sit, quod anno a Nativitate ejusdem millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die vero Mercurii, XXIV. mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Domini Urbani divina providentia Papæ VIII. anno XXI. Indictione XII. coram eodem Sanctissimo Summo Pontifice, existente in palatio Vaticano in cubiculo interiori, in mei Joannis Mariæ Roscioli Protonotarii Apostolici, testiumque infrascriptorum specialiter vocatorum & rogatorum præsentia personaliter comparuerunt Eminentissimus & Reverendissimus Alexander Bichius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Sabinæ, Regni Franciæ comprotector, & Excellentissimus Dominus Franciscus Marchio de Fontenay Orator ordinarius apud eundem Sanctissimum; idemque Orator habens,

ut asseruit, SPECIALE MANDATUM a Christianissimo Rege Franciæ Ludovico XIV. de consensu Reginæ regentis ipsius genitricis, & de EXPRESSO ORDINE & MANDATO ipsius Regis, SUPPLEX pro Duce Odoardo Farnesio petiit ab eodem Sanctissimo Domino nostro & DEPRECATUS EST, ut DIGNARETUR præfatum Odoardum IN GRATIAM RECIPERE, eumque POENIS LIBERARE, & ABSOLVERE ab EXCOMMUNICATIONE & censuris, & REMOVERE INTERDICTUM, in DUCATU PARMÆ & PLACENTIÆ positum, & BONA EIDEM RESTITUERE, prout in cedula mihi tradita tenoris sequentis:

Comme le Roy a eu toujours grand deplaisir de voir, que M. de Parme ne se soit pas conduit en sorte, qu' il ait peu jouir de la continuation des bonnes graces de V. S. aussy S. M. est elle aujourdhuy tres-aise, qu' il se soit disposè a luy donner toute sorte de satisfaction. Pour celà elle m'a commandè expressement de supplier de sa parte V. S. de vouloir oublier tout le passè, luy pardonner, & l'absoudre des excommunications, censures, & autres choses, qui luy peuvent prejudicier, comme aussy d'avoir agreable de luy restituer tous les biens, qui luy ont etè pris, de lever l'interdict, ou ses etats ont etè mis, & de le recevoir en ses bonnes graces.

Quam postea idem Orator de verbo ad verbum in præsentia ejusdem Sanctissimi & testium præfatorum, me auscultante & collationante, perlegit: super quibus omnibus & singulis petitum fuit a me, ut unum seu plura publicum sive publica conficerem Instrumentum seu Instrumenta.

Acta sunt hæc in eodem palatio Vaticano, ubi supra, præsentibus Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Joanne Baptista Spada Patriarcha Constantinopolitano Secretario Status, Julio Rospigliosо utriusque Signaturæ Referendario Secretario literarum ad Principes, Marchione Bernardino Naro Capitaneo equitum levis armaturæ, & Silvestro Collicola ejusdem Sanctissimi Physico, testibus vocatis atque rogatis.

Et ego Joannes Maria Rosciolus Protonotarius Apostolicus Præfectus Cubiculo ejusdem Sanctissimi Domini nostri, quia prædictis omnibus, dum agerentur & fierent, una cum

cum prænominatis testibus præsens interfui, & de eis rogatus fui, ideo in fidem & testimonium præmissorum me subscripsi, meoque sigillo munivi & publicavi.

Locus † sigilli.

NOTA.

Hieronymus Brusonus ac Victorius Sirus testantur, quæ a Rege Christianissimo, Cardinalis Bichii ac Legati ejus Marchionis de Fontenay opera pro Duce Odoardo acta sunt, in capitibus pacis, inter Italiæ Principes statutis, decreta omnia fuisse: quæ capita pridie Cal. Apriles anno 1644. ab oratoribus Pontificis & Gallorum Regis signata fuerunt.

Histor. Italiæ lib. 12. pag. 385. Ital.
Mercurius to. 4. par. 2. pag. 687. Ital.

LXVI.

Raynutius II. Dux Parmæ ac Placentiæ, uti Apostolicæ Sedis imperio subjectus, ad Pontificem Clementem X. Marchionem Soraneensem, inter suos beneficiarios principem, Legati nomine mittit.

BEATISSIME PATER

Postquam tuæ Beatitudinis pedes osculatus fuero.

Ex Italico in latinum versa.

Ad lib. 3. cap. 31. pag. 234.

1671.

Ex tabulario Vatican.

OFficium meum est, tanquam addictissimi clientis Apostolicæ Sedis & maxime obstricti Sanctitati tuæ, quæ semper erga me meamque gentem summam benevolentiam indicare non est dedignata, ut ad Sanctitatis tuæ pedes me sistam opera Marchionis de SORANEA, inter meos BENEFICIARIOS principis, ducisque militum Germanorum, qui meum corpus custodiunt, equitisque mihi familiarissimi, quem LEGATI nomine ad Sanctitatem tuam mitto, ut meam tibi lætitiam significet, quod ad summum Pontificatum evectus fueris, in quo Deus Ecclesiæ suæ & totius rei christianæ bono te positum voluit; atque ubi ego quidem, ut meritorum tuorum optime conscius, & nomini tuo addictus, multo ante te optavi. Ideo Sanctitatis tuæ benignitatem obtestor, ut meum hoc in te obsequium æqui

 bo-

bonique consulas, illudque tuis officiis faustisque apud Deum precationibus prosequaris, quas demisse posco mihi, omnibusque principibus hujus gentis, quæ semper tui, ut decet, studiosissima erit, uti semper ego parebo Sanctitatis tuæ jussis, quæ meo quoque nomine implorabit idem legatus, quemadmodum ex viva ejus voce intelliges, interimque me demitto

SANCTITATI TUAE

Parmæ VI. Id. Januarii 1671.

Humillimus famulus & addictissimus cliens
Raynutius Farnesius.

LXVII.

Raynutius II. Parmæ ac Placentiæ Dux cum Imperatore Leopoldo queritur, Antonium Carafam, summum militum ejus præfectum, de Cæsareis copiis in ipsius regiones, quibus cum Imperio nihil est, ad hibernandum mittendis cogitare.

SACRA REGIA ET CÆSAREA MAJESTAS.

Ad lib.3.cap.33.pag.239

1691.

Ex tabulario Ducali.

UBi aliis meis humillimis litteris, Augustissime Cæsar, tibi gratias egissem de illis, quibus ingens obsequium meum honestare voluisti, regia epistola, X. Cal. Julias conscripta me certiorem faciens de præstantissimis muneribus in Italia virtuti meritisque Comitis Carafæ summi copiarum tuarum præfecti delatis, en cogor iterum te hisce meis convenire ob nescio QVEM RVMOREM Mediolano egressum, quasi idem Comes QVODDAM MEDITETVR CONSILIVM hieme consecutura QVÆRENDI hiberna in MEIS REGIONIBVS, ut in eis aliquis militum numerus alatur. EJVSMODI SERMONI NVLLAM FIDEM HABERE; POTVI, cum generosus ac RECTISSIMVS tuus animus, tuique ministri INTEGRITAS optime mihi perspecta sint. Sicut vero magna clementia, qua hanc tibi obsequentissimam do-

domum semper dignatus es, meis perfugiis aditum ad te patefactum semper ostendit, ita in magnis calamitatibus fiducia omni plenissimus ad te confugere non dubito, ac nunc te orare demisse, ut mihi præsto sis, ubi sit opus, summo tuo patrocinio, IMPERANS, ut in OMNI OCCASIONE MEA DITIO AMICE RESPICIATVR, NVLLISQVE INCOMMODIS AFFICIATVR, in præmium ETIAM humillimæ observantiæ, qua semper hujus meæ gentis principes Augustissimum genus Austriacum sunt prosecuti. Summam tuam benignitatem precor, ut ex VIVA VOCE Comitis de STRATMAN ALIVD QVIDPIAM peculiare intelligas, quod, ne tuæ magnæ menti longiore epistola legenda molestiam exhiberem, monere volui; cum tamen PRÆTER ALIAM OMNEM RATIONEM illi uni adhæream, quam invicto ac pio animo tuo magnanimæ tuæ cogitationes subjicient mea caussa, dum ut antea semper, ita & deinceps donec vixero, in mea ponam inque meorum posterorum gloria ponendum curabo, ut sim &c.

Parmæ XI. Cal. Septembres 1691.

NOTA.

Subsequentes epistolæ declarant, Farnesiæ gentis regiones summo Sedis Apostolicæ imperio subesse, quibusdam paucis feudis exceptis, quæ *Bardum* & *Complanum* esse putantur, sicut in historia narravimus.

An-

LXVIII.

Antonius Carafa, militum Cæsareorum præfectus, ob summam egestatem, a Raynutio II. Parmæ Placentiæque Duce liberalitatis caussa tributum flagitat ex paucis beneficiis, quæ ipse Imperio accepta referre dicitur.

Ex Italico in latinum versa.

Ad lib.3.cap.33.pag.239.

1691.

SERENISSIMA CELSITUDO.

IN eas angustias infelix Italia ceciderat, ut se ex Gallorum jugo amplius eripere non posset, cum Imperator Dominus meus Clementissimus impendentem ejus captivitatem miseratus, dignumque Cæsare facinus existimans Serenissimis ejusdem provinciæ Principibus supremum imperium a Deo concessum tueri, quamvis aliis domesticis bellis distractus, potentia sua injustam aliorum arrogantiam coercere non est dedignatus. Quare ingenti huc exercitu misso, non solum Gallicarum rerum cursus retardatus est, qui nunquam intermitti posse videbatur, sed rursus Carmaniola parta, commercioque Gallis intercluso, hi ultra Alpes redire coguntur. Itaque dum PUBLICA Italiæ LIBERTAS, quæ Serenissimæ tuæ genti MAXIMÆ semper CURÆ fuit, quemadmodum caussam præbet ut mihi persuadeam, ex hoc tam felici eventu, te singularem jucunditatem percipere, ita ego, qui meum erga te obsequium demonstrare maxime cupio, tibi hac de re summopere gratulor. Et quamvis hoc anno nondum bellum confectum sit, ab Italiæ tamen suscepta defensione non desistetur, quoniam Imperator, qui clementiæ Cæsareæ opera imperfecta relinquenda esse non putat, jussit me hac de caussa ipsas copias in Italia continere. Sed quia Imperatoris ÆRARIUM, tot sumptibus unicuique notis exhaustum, NECESSARIUM ALIMENTUM illis suppeditare NEQUIT, hoc ex IMPERATORIIS FEVDIS in eadem provincia jacentibus sumi debet: & MULTO MAJOR cum sit egestas, non dubito quin omnes Serenissimi Italiæ Principes ex grati animi officio tam PIO IMPERATORI opem laturi sint, iique præsertim, qui propter ALIQVOD FEVDVM Imperatorio juri subjiciuntur: idque eo magis, quod præsentem rerum sta-

ſtatum perpendentes, judicabunt, eoſdem milites aut in Germaniam reducendos eſſe, aut denuo Italiam Gallorum impotentiæ relinquendam; aut quorum res potior in Italia agitur, niſi ſe Galliæ jugo ſubjicere velint, ab illis libenter de his copiis alendis cogitandum, non ſolum quia in earum præſidio ſalus illorum nititur, ſed etiam ut majora incommoda devitentur. Cum enim militibus vivendi ratio non ſuppetat, eos in officio continere non potero, nec impedire quominus ubicumque licebit ſibi alimenta quærant, cum famis ſtimulus tantus ſit, ut quodlibet frenum legis abrumpat. Interea hieme appetente cum nobis amplius huc illuc vagari non liceat, in hiberna milites deducendi ſunt, inque varias regiones diſtribuendi pro militaribus inſtitutis ac locorum natura. Quare jam tempus eſt, eos Montem Ferratum verſus, Mantuanum agrum, Mutinenſem Etruſcumque ſe ad iter parandi. Et quoniam copiis, in Mutinenſi, & Pontremuli agris aliiſque vicinis locis collocandis, per TVOS PRINCIPATVS tranſeundum eſſe ferunt, te ſupplex oro, ut quanta celeritate fieri poterit, Mediolani, ubi ego morabor, aliquem conſtituas, qui tuo nomine mecum tranſigat, interque nos conveniat amice tum de militum per TVOS PRINCIPATVS tranſitu, tum de illorum PARTE, qui a te ALENDI ERVNT pro IMPERATORIIS FEVDIS, tuoque liberali animo, ad BONVM PVBLICVM promovendum parato in tam EXTREMA NECESSITATE. Valde mihi diſpliceret, hoc te incommodo afficere, niſi mihi de TVA SINGVLARI LIBERALITATE conſtaret præter vincula amoris & ſanguinis te Auguſtiſſimæ Cæſaris domui copulantia: quæ illi ad opitulandum occaſione TAM GRAVI, & BONVM COMMVNE SPECTANTE magis te PROPENSVM debent efficere. Ad me quod attinet, tibi demiſſe ſpondeo in omnibus, quæ officia mea, honeſtique miniſtri fides præſtare poterunt, ſemper gentis tuæ maximam rationem me habiturum, atque jucundiſſimas exiſtimaturum opportunitates, in quibus veris humillimi mei erga te ſtudii ſignificationibus mihi laudem comparare potero, ut ſim &c.

Tuæ Serenissimæ Celsitudinis

E caſtris Cæſareis apud Sanctum Ambroſium in Valle Suſæ V. Cal. Novembres 1691.

Humill:mus famulus
Antonius Caraſa.

Dux

LXIX.

Dux Raynutius II. cum Leopoldo Imperatore conqueritur, quod Carafa in pontificia ejus ditione hiberna postulaverit, cum id nunquam postulatum fuerit ex Farnesia gente, quæ præter exigua quædam beneficia, eaque in asperrimis montium jugis sita, ideoque hibernis militum incommoda, nihil prorsus Imperio acceptum refert.

Ex Italico in latinum versa.

SACRA REGIA ET CÆSAREA MAJESTAS.

Ad lib.3.cap.33.pag.239.

1691.

SUperiore mense Augusti ad Majestatem tuam demisse confugiens, rumorem Mediolani sparsum tibi significavi, Comitem nempe Carafam, tuis copiis præfectum, hieme proxime ineunte hiberna in MEA DITIONE pro aliquo militum numero a me petiturum. Exposui quoque, me ejusmodi rumori FIDEM HABERE NON POSSE, cum tua rectissima voluntas mihi optime constet, ac pariter prudentia atque integritas ministri tui, quippe qui REGIONUM PRINCIPUM Italiæ NATURAM probe DISTINGUAT. Hæc enim fuit semper POTISSIMA CAUSSA, ob quam NE SEMEL QUIDEM a me meisque præcessoribus his similia unquam PETITA FUERUNT. Quamobrem mihi sperandum esse putabam, ut Carafa me ad ea præstanda non ADIGERET, quæ NUNQUAM præstare POTUISSEM. Tandem eo deveni, ut pro clementia, qua semper hanc humillimam gentem nostram respexisti, te orarem, ut mihi excelso patrocinio tuo adesse non gravareris, ubi opus foret PRÆCIPIENS, ut quacumque occasione MEA DITIO BENIGNE RESPICERETUR, & NULLIS hujusmodi INCOMMODIS AFFICERETUR.

Cum tamen ergo in tam JUSTIS caussis supra memoratis ac præsertim in firma fiducia, magna benignitate, animoque tuo invicto, semperque pio tutus conquiescerem, ecce Comitis Carafæ summi tuorum militum ducis epistola mihi redditur V. Cal. Novembres scripta, qua is a me poscit, ut ali-

aliquem Mediolani deligam cum ipso acturum de trānsitu cōpiarum, quæ in agris Mutinensi, Pontremulensi, locisque vicinis hieme sint moraturæ: deque etiam parte earum, quæ, ut ait, mihi alendæ ASSIGNABVNTVR pro IMPERATORIIS FEVDIS, ANIMOQVE meo ad BONVM PVBLICVM in ejusmodi occasione parato. Verum hæc FEVDA NON POSSVNT VLLI COPIARVM NVMERO hiberna subministrare, cum posita sint in PRÆRVPTIS MONTIVM JVGIS, atque ob LOCORVM STERILITATEM, EGESTATEMQVE POPVLORVM, quibus dum vitæ alendæ ratio non suppetit, hieme quotannis ad victum sibi quæritandum alio migrant, itaut anno præterito fame absumpti fuissent, nisi eos ipse alimento ex horreis meis deprompto sustinuissem. Et quemadmodum res meæ non eo sunt loci, ut ego possim BONI PVBLICI, ALIORVMQVE PRINCIPVM CAVSSA tanto incommodo affici, cum propria onera, quæ subeo, multa sint atque gravia, quibus mihi a nemine subsidium venit; ita denuo ad clementiam tuam confugio, humili demissaque obsecratione postulans, ut precibus meis indulgens, tuorum jussuum auctoritate Comiti Carafæ præcipias, me HOC INCOMMODO LIBERARI, cui NVNQVAM ANTEA HÆC MEA DITIO SVBJACVIT: nec dedigners id mihi prius concedere, quam milites huc accedant. Hoc te per tuam benignitatem oro atque obsecro, in præmium ETIAM summæ reverentiæ, qua meæ gentis Principes viri Augustos, Cæsareamque domum Austriacam prosequuti sunt, atque ego potissimum, qui meam semper gloriam duxi eximia, observantissimaque veneratione erga Majestatem tuam reputari &c.

Parmæ Cal. Novembres 1691.

LXX.

Leopoldus Imperator Duci Raynutio II. fidem facit, se necessitate compulsum invitumque ab eo hiberna pro militibus petere: seque Carafæ summo copiarum præfecto mandasse, ut peculiarem rationem habeat ejus regionum, quæ a reliquis beneficiariorum Imperii omnino differunt: utque exigua pecunia, commeatuque contentus sit.

Serenissimo Raynutio Farnesio Duci Parmæ & Placentiæ, Principi nostro carissimo.

LEOPOLDUS

Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

Serenissime Princeps carissime.

Ad lib.3.cap.33.pag.240.

1691.

ACcepimus Dilectionis vestræ literas, prima hujus mensis ad nos datas, & singularem, quam in benevolentia nostra repositam habet fiduciam, quæque præterea occasione factæ sibi a nostro Consiliario arcano & campi Mareschallo ac Commissario generali Comite Carafa INSINVATIONIS, a NOBIS PETERE voluit, ex iisdem intelleximus. Optamus sane ex animo, ut pro sincero nostro, quem erga dilectionem vestram tum ob multiplices sanguinis & affinitatis nexus, tum ob propria non minus, quam majorum in nos & Augustam Domum nostram merita, gerimus, affectu, Dilectionis vestræ votis cumulatissime respondere possemus, nobisque integrum fuisset copias nostras, quibus tam in Hungaria adversus Christiani nominis hostem, quam pro defensione Imperii ad Rheni tractum, indigebamus, extra Italiam retinere. At postquam Galliæ Rex, occupato dudum Casali, arma sua demum in Pedemontium intulit, & Serenissimum Sabau-

diæ

diæ Ducem iniquissimas conditiones detrectantem, hostiliter adoriendo, toti Italiæ extremam servitutem imponere molitus est; nos pro supremo, quod, Dei providentia tenemus, Imperiali munere, nihil facere minus potuimus, quam, ut ad VINDICANDAM ITALIÆ LIBERTATEM & ad tuendum dictum Ducem, utpote sacri Imperii Statum, validam copiarum nostrarum partem illuc mitteremus. Et cum iis inter tam immensos, quibus nunc aliquot annos oneramur, bellorum pro tota Christianitate exantlandorum sumptus, in Italia propriis mediis prospicere non valeamus, COACTI CERTE CONTRA VOLVNTATEM NOSTRAM SVMVS, ut per prædictum Plenipotentiarium nostrum vicinos & præcipue nostros & Sacri Romani Imperii Status & vassallos in partem onerum bellicorum, & ad præbenda saltem militi, alias, dum victus deficit, immorigero, alimenta hybernalia, invitaremus, omnino confisi (quemadmodum hic non minus de privata cujusque, quam de communi salute & incolumitate agitur) neminem futurum, quin publico & proprio bono modicum quid lubens immolaret, & perpetuæ, quæ impendebat servituti, brevem & exiguo tempore duraturam molestiam præferret. Dilectionem autem vestram plane PERSVASAM ESSE VOLVMVS, nihil nos pro viribus curaturos impensius, quam ut eidem propensissima nostra, qua erga eandem & totam ejusdem familiam propendemus, VOLVNTAS re ipsa PATEAT; ideoque tametsi certi simus, Dilectionem vestram pro comperto suo in rei publicæ commodum studio, proque tam necessitudinis, quam clientelæ jure, quo nobis & Domui nostræ cohæret, ceteris Italiæ Principibus, EXIGENTE NECESSITATE, egregio in ferendis oneribus publicis exemplo laudabiliter anteituram esse; prænominato tamen nostro Plenipotentiario in MANDATIS DEDIMVS, ut SINGVLAREM DILECTIONIS VESTRÆ PROVINCIARUM CURAM & RATIONEM HABEAT, & NON TANTVM TRANSITVM, siquem forte per eas facere CONTINGAT, QVOAD FIERI POTERIT, OMNINO INNOXIVM præstet; sed etiam, nisi extrema & INSVPERABILIS NECESSITAS impendeat, MODICIS aut SVBSIDIIS PECVNIARIIS, aut ANNONA CONTENTVS, eas HOSPITATIONIBVS MILITARIBVS EXIMAT: qua in parte dum promptum dilectionis vestræ animum nobis POL-

LICEMVR, vicissim cordi sumus habituri, ut eidem quibuslibet occasionibus constet, quam SINGVLARI NOSTRO Cæsareæ benevolentiæ AFFECTV Dilectionem vestram prosequamur.

Datum in civitate nostra Viennæ die XI. mensis Novembris anno MDCXCI. Regnorum nostrorum, Romani XXXIV. Hungarici XXXVII. Bohemici vero XXXVI.

Leopoldus.

Locus sigilli Imperialis in cera rubra impressi.

Vidit Sebastianus Winibaldus Comes a Zeyler

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium

Lutzo Dolberg manu propria.

LXXI.

Carafa, summus Cæsaris copiarum præfectus, Cardinali Vicecomiti Mediolanensi Archiepiscopo significat, se ex Parmæ Placentiæque Duce tributa atque hiberna non petere, nisi *aliquot beneficiorum* caussa, quæ Dux ipse Imperio accepta se referre minime negat.

Ex Italico in latinum versa.

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

Ad lib.3.cap.33.pag. 241

1691.

CUm nuper domum meam tua præsentia honestares, Eminentissime Domine, verendos Sanctissimi Patris sensus de stativis in Serenissimi Ducis Parmæ DITIONE Cæsareo exercitui adsignandis exposuisti, questus, milites illuc repente missos, atque in ECCLESIÆ FEVDIS hiberna occupata. Magno dolore afficior, Summum Pontificem ex alieno sermone de me judicare, quasi secus cum eodem Duce, cumque Sede Apostolica, quam semper summe præcipue veneratus, me gesserim, ac cum universis Serenissimis Italiæ Principibus me gessi. Nondum mente adsequi possum quo pacto Sanctissimo Patri significari potuerit, illas copias inexpectatas in Ducis Parmæ regiones venisse;

nisse, quando multo ante per litteras Ducem de hoc admonueram: quarum exemplum ad te mitto. Si petitionis meæ ratio attendatur, ipse sponte tua caput alterum querelarum facile solves. Imperator, meus clementissimus Dominus jussit, me alere Cæsareas copias, quæ ad ITALIAM DEFENDENDAM venere, TRIBVTIS petitis ex FEVDIS IMPERATORIIS. Scio, Serenissimum Parmæ Ducem ALIQVOT POTIRI: quod ipse non negat: neque ego scire debeo QVÆNAM SINT. Duci enim hujusmodi FEVDA ESSE, me non ignorare sufficit. Ob HÆC ad hibernandum COPIAS ILLUC misi, nihilque interest, HORVM FEVDORVM CAVSSA illum solvisse PECVNIAM. Considerandum enim, decem jam annos Imperatorem cum Turcis, Gallisque bellum continenter gerere, omnesque Principes, Imperiique dynastas ex suo officio, & pro sua quemque facultate illi opem tulisse, quam toto hoc temporis spatio Italiæ Principes IMPERII BENEFICIARII, ut se ad ferendam obstrinxerant, nequaquam tulerunt. Igitur si numerus tributorum ineatur, quæ Dux pro FEVDIS IMPERIALIBVS a se possessis, DECEM ANNORVM cursu Cæsari solvere debuisset, multo major pecunia ab illo debebitur, quam quæ in præsenti periculo, bono publico Italiæ a me postulatur. Si vero hiberna alia in loca pertinuerunt, quæ FEVDA IMPERATORIS NON SVNT, id mihi culpæ non est tribuendum, cum illa tantum PROPTER HÆC postulaverim: neque copiæ a me distributæ fuerunt. Credo tamen, Parmæ Ducem, ut se magis erga Cæsarem propensum ostenderet, paremque erga sibi subjectos populos amorem indicaret, plus oneris aliis, quam aliis imponere voluisse, sed paterna providentia omnibus æque imposuisse, ut onus levius evaderet. Nisi vererer, ne hæ meæ expositiones, quamvis ab humillima mea observantia profectæ, nimis severæ videri possent, te enixe orarem, ut hanc meam epistolam reverentiæ plenam oculis Pontificis sisteres. Eam tamen cuilibet tuo consilio subjiciens, saltem oro, ut mihi spectatissima tua jussa impertiaris.

EMINENTIAE TUAE

Domo III. Idus Decembres *1691*.

Humillimus & maxime addictus famulus
Antonius Carafa.

Pon-

LXXII.

Pontifex Innocentius XII. cum Imperatore Leopoldo conqueritur, quod in regiones pontificias Raynutii II. Parmæ ac Placentiæ Ducis ejus milites ad hiemem transigendam migraverint, petitque, ut inde revocatis copiis, huic incommodo consulatur.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro
Leopoldo Hungariæ & Bohemiæ Regi illuſtri,
in Romanorum Imperatorem electo.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Cariſſime in Chriſto fili noſter

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad lib.3.cap.33 pag.241

1691.

Ex tabulario Vaticano.

INter inſignia ac nullis unquam præconiis ſatis commendanda Majeſtatis tuæ decora, principem ſibi vindicare locum filialem obſervantiam, quam erga Sanctam hanc Sedem profiteris, nemo eſt, qui neſciat. Dubitare quocirca minime poſſumus, quin ubi reſciveris, immiſſa fuiſſe ad hiemandum in ditiones dilecti filii nobilis viri Raynutii Parmæ & Placentiæ Ducis, QUÆ DITIONES EJUSDEM SEDIS FEUDUM SUNT, aliquot Germanorum millia, tuis ſub ſignis in Italia militantium, MANIFESTUM OMNIBUS FACERE NON OMITTES, non ſolum te INSCIO, SED ETIAM IMPROBANTE, DOLENTEQUE TAM GRAVE ADVERSUS IPSAM SEDEM ATTENTATUM ADMISSUM FUISSE. Muneris nihilominus eſſe noſtri duximus, JUSTAS FERVENTESQUE de eodem ATTENTATO ad Majeſtatem tuam QUERELAS DEFERRE, atque a pietate, qua præſtas, etiam petere, ut a præmemorati Ducis DITIONIBUS copias REVOCARI MANDES, prædictæque Sedis dignitati, CUJUS TUTELA in te repoſita eſt, CONSU-

SVLERE VELIS. Propenſam jampridem erga Majeſtatem tuam compluribus nominibus voluntatem noſtram magis quoque magiſque tibi præclaro hoc documento conciliabis, cariſsime in Chriſto fili noſter: cui interim ad majorem in dies Chriſtianæ Reipublicæ amplificationem & gloriam læta cuncta fauſtaque a Deo impenſe precamur, ac Apoſtolicam benedictionem amantiſsime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem die XXIII. Novembris *1691*. Pontificatus noſtri anno primo.

Marius Spinula.

N O T A.

Tam perſpicua hæc ac ſignificantia verba ab Innocentio Pontifice pronunciata, Aulæ Cæſareæ abſurda non ſunt viſa. Immo Imperator Leopoldus notiſſimam ejuſmodi ſententiarum æquitatem, eo modo quo infra videbimus, iterum iterumque ſibi eſſe affirmavit.

Pon-

LXXIII.

Pontifex Innocentius XII. Duci Raynutio II. magnam animi sui molestiam significat ideo perceptam, quod in ejus pontificias regiones Cæsaris copiæ ingressæ fuerint: aitque cum Cæsareis ministris & Carafa conquestum se sperare, ut quamprimum milites inde recedant.

Dilecto filio nobili viro
Raynutio Parmæ & Placentiæ Duci.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte fili nobilis vir

Salutem & Apostolicam benedictionem.

1691. *Ibidem.*

INcredibili plane animum nostrum mœrore affecerunt nobilitatis tuæ literæ, a dilecto filio Doctore Felino redditæ ac diligenter expositæ, quibus de immissis ad hiemandum in ditiones Parmensem & Placentinam Germanicis copiis certiores nos fecisti. Præter caritatem enim, qua te singulariter prosequimur, quæque in causa est, ut cuncta seu læta seu tristia tua ad nos profecto metipsos pertinere censeamus, sollicitudo etiam, quam de indemnitate prædictarum DITIONVM, AD HANC SANCTAM SEDEM IN PRIMIS SPECTANTIVM, gerere debemus, prorsus id a nobis reposcebat. Muneri itaque nostro omni ex parte responsuri, Cæsareæ Majestati, ejusdem administris Romæ commorantibus, necnon Comiti Carafæ, armorum in Italia ipsius Majestatis Generali ob oculos ponere non omisimus & incessanter ponere non omittemus, quam GRAVE ejusmodi facto præmemoratæ SEDIS JVRIBVS PRÆJVDICIVM inferatur. In spem autem venientes fore, ut ab angustiis, in quibus versaris, quantocius fieri poterit, evadas, nobilitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Novembris MDCXCI. Pontificatus nostri anno primo.

Pon-

LXXIV.

Pontifex Innocentius XII. ad Carafam summum exercitus Cæsarei præfectum scribit, ut ex regionibus Parmæ ac Placentiæ, Sanctæ Sedi subjectis, copias suas revocet.

Dilecto filio nobili viro Comiti Carafæ Cæsareæ Majestatis in Italia armorum Generali.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte fili nobilis vir

Salutem & Apostolicam benedictionem.

ETSI non dubitamus, quin persuasus sis de propensa voluntate, qua nobilitatem tuam ob decora, quibus insigniris, prosecuti jampridem simus, & prosequamur; de eadem nihilominus voluntate magis magisque te certiorem in præsens facimus, non defuturi occasionibus, quæ se offerent, luculentis ipsam testimoniis declarandi. Quia vero de filiali vicissim erga nos observantia tua constantem gerimus opinionem, merito confidimus fore, ut ea suadente, immissas ad hiemandum in ditiones Parmensem & Placentinam, QUÆ AD HANC SANCTAM SEDEM IN PRIMIS SPECTANT, Germanicas copias, ABSQUE MORA REVOCES, ne Pontificatus nostri tempore prædictæ SEDIS JURA, quæ nos omni studio, curaque tueri debemus, tam grave atque inusitatum hactenus detrimentum patiantur. Illud insuper etiam atque etiam a te petimus, ut milites, qui in confiniis Ferrariensi & Bononiensi versantur, in officio contineri mandes, subditorumque nostrorum indemnitati consulas. Utrumque autem nobis prorsus pollicentes, nobilitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. 1691.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris MDCXCI. Pontificatus nostri anno primo.

LXXV.

Imperator Leopoldus Pontifici Innocentio XII. significat, sibi propter suam constantem erga Sedem Apostolicam reverentiam maxime displicere, quod sui milites in pontificiam ditionem Ducis Parmæ ac Placentiæ ingressi sint; sibi esse persuasum, Carafam summum copiarum præfectum nunquam damnum illaturum fuisse Principi Sedi Apostolicæ subjecto, nisi necessitate compulsum: tamen se nolle eum excusare, immo se eidem anxie imperare, ut nihil omnino a Duce postulet præter mediocre subsidium ob ea tantum beneficia, quæ ille Imperio refert accepta.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Innocentio XII. divina providentia Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

BEATISSIME IN CHRISTO PATER, DOMINE REVERENDISSIME.

Post officiosissimam commendationem Filialis observantiæ continuum incrementum.

Ad lib. 3. cap. 33. pag. 243.

1691.

QUod copiæ nostræ militares in DITIONES Serenissimi PARMÆ & PLACENTIÆ Ducis INGRESSÆ SINT, id pro affectu in eundem Principem nostro sane PERQUAM DOLENTER FERIMUS; DOLENTIUS MULTO, quod id Sanctitati Vestræ QUERELARUM, quas ex ejusdem ad nos die vigesima tertia mensis proxime præteriti datis literis legimus, ansam dederit. Qua enim sumus erga Sanctam Sedem INVIOLABILI

BILI OBSERVANTIA, qua pietate & amore filiali erga Sanctitatem Vestram, ut ejusdem dignitatem, voluntatemque, etiam cum rationum nostrarum dispendio defendere ac propugnare nunquam non parati simus, non mediocriter nos afficit, contingere quicquam ex parte nostra, quod ejusdem Sanctæ Sedis auctoritati vel Sanctitatis Vestræ desiderio vel minimum videatur adversari. Id vero Sanctitati Vestræ RELIGIOSISSIME ASSEVERAMUS, quod, uti nullas in Italia acquisitiones, nulliusve DAMNUM aut PRÆJUDICIUM meditamur, nullumque etiam alium ob finem copias nostras illuc immisimus, quam ut proximam tunc perpetuamque servitutem ab ejusdem cervicibus propelleremus; ita etiam Generalis noster campi Mareschallus Comes Carafa tam stricta a nobis mandata habet, ut tametsi par esset, omnes Italiæ Principes pro communi, perpetuoque libertatis beneficio momentaneam quasi incommoditatem non recusare; persuasos nos tamen esse oporteat, eum nonnisi SUMMA NECESSITATE COACTUM, a Principis & nobis tam arcte conjuncti, & SANCTÆ SEDI VASSALLAGIO ADSTRICTI, DITIONIBUS CERTO FUISSE ABSTENTURUM. Equidem quis status rerum nostrarum sit, quæ nos circumstent difficultates duplici & iniquissimo simul & gravissimo bello pressos, vix ullus magis, quam ipsamet Sanctitas vestra, a qua subsidia præter genium & voluntatem nostram tam impense flagitare cogimur, perspexit, & TAM DURÆ NECESSITATIS LEGI ALIQUID CONDONABIT. Quod tamen NE EO A NOBIS DICTUM PUTETUR, ac si QUOD a dicto Generali Vicario nostro ITA ACTUM EST, TUERI VELIMUS, eidem ITERUM ITERUMQUE SERIO PRÆCIPIMUS, UT OMNES SUAS CURAS & COGITATIONES EO CONFERAT, ut, si id ulla ratione fieri possit, quemadmodum id non omnino impossibile fore credimus, collato in medium a Serenissimo Duce, nobis ETIAM ob feuda, quæ ab Imperio recognoscit, vassallagii jure addicto, PROPORTIONATO QUODAM SUBSIDIO pecuniario, EJUSDEM Ducis DITIONES OMNI ACTUALI HOSPITATIONE QUAMPRIMUM LIBERET. Quod si efficere, Vestræque Sanctitati hac in parte SATISFACERE POTUERIMUS, nobis profecto ipsis plurimum GRATULABIMUR. Neque porro ullum OBSERVANTISSIMI FILII & FIDELISSIMI

ECCLESIÆ ADVOCATI OFFICIUM, quotiescumque id testandi facultas erit, PRÆTERMISSURI SUMUS: qui de reliquo nos ad Oratoris nostri Principis Liechtinsteinii PROLIXIOREM EXPLICATIONEM referentes, Deum oramus, ut Sanctitatem vestram seros in annos Ecclesiæ & nobis sospitem ac felicem præstet.

Datum in Civitate nostra Viennæ die XIV. Decembris anno MDCXCI. Regnorum nostrorum, Romani XXXIV. Hungarici XXXVII. Bohemici vero XXXVI.

SANCTITATIS VESTRÆ

Obsequens filius
Leopoldus.

LXXVI.

Dux Raynutius II. postulat a Leopoldo Imperatore, ut damnis per Cæsareos milites Parmæ ac Placentiæ Ducatui, ad Sedem Apostolicam unice pertinenti illatis, consulat, & inferendis occurrat.

Ex Italico in latinum versa.

SACRA REGIA ET CÆSAREA MAJESTAS.

1693.

Reverentia, curis tuis gravissimis a me debita, tanta est, Augustissime Cæsar, ut in sinum clementiæ tuæ sæpe confugiens nolim tibi molestiam exhibere. Sed hac tempestate præter incitamenta naturæ, spes nostra, in te uno reposita, me inducit impensius, ut CLAMORES MEOS JUSTISSIMOS repetam, donec magnis MEIS OPPRESSIONIBUS LEVAMEN porrexeris. Non enim puto incrementum ullum rebus tuis afferri, ubi arma Austriaca, ad Italiam LIBERANDAM missa, DITIONEM domumque nostram vastaverint, quæ si per alios Principes quidpiam damni accepissent, nullum levamen, nec promptius, nec magis a mea majorumque meorum observantia expectatius, quam ab iisdem Austriacis armis sperare debuissent. IV. Cal. Januarias ad te confugiens calamitates significavi, in

in quibus meæ res verſabantur ob nimios ſumptus copiis tuis toties adſignatos, ob æs alienum inde contractum, ac nondum ſolutum, & ob anni præſentis caritatem, quo meo imperio ſubjectis populis vix alimenta ſuppetunt, nec mihi triticum eis ſuppeditandi ratio aliqua occurrit. In honoris etiam loco poſui, ut magna cum obſervantia maximas anguſtias tibi referrem hujus Farneſiæ domus, quæ annis præteritis magnis ſuccubuit impenſis tibi notiſſimis, & nunc propter duorum Principum mortem nova incommoda ſubit. Teque rogavi ne DETERIORIS CONDITIONIS me eſſe velles, quam alii fuerunt, qui cum ad te, juſtitiam impetraturi, confugiſſent, auditi fuerunt. Hoc verenter in litteris meis explicui: quæ ſi forte ad te non pervenerunt, eas iterum huic epiſtolæ adnecto, quoniam rurſus mihi ad te repetitis obſecrationibus confugiendum eſt, ut me hybernorum ſumptibus levari jubeas, quos NULLO MODO ſuſtinere poſſum: immo Principatus vaſtationem aut populorum jacturam, qui fame peribunt, aut aliquid gravius ab eorumdem deſperatione & forſan etiam utrumque eventurum prævideo.

Interim abs te flagito, ut tuos duces ac in Italia miniſtros de mea fide ac MEARUM EXCLAMATIONUM ÆQUITATE interrogare velis. Memoria repetas, quomodo in mea ditione annis præteritis hiemis tempore milites ſe geſſerint: perpendas DISCRIMEN MEÆ DITIONIS, QUAM DOMVS HÆC NVLLI PRÆTERQVAM ECCLESIÆ ACCEPTAM REFERT: INGENTEM VIM AVRI, quam Sedi Apoſtolicæ ANNVATIM perſolvit, attente conſideres, tandemque illud intelligas, me ut omnes obſervantiæ ſignificationes in EXTREMIS etiam CALAMITATIBVS tibi darem, invitis omnibus difficultatibus, permiſiſſe, ut multi Cæſarei milites in meam ditionem reciperentur, ac modicus panis inter populos ac milites divideretur, ſperans fore, ut hos poſtremos reverentiæ meæ conatus æqui bonique conſuleres, & magna tua benignitate RESPONDERES, neque amplius PETITVM LEVAMEN mihi DIFFERRE velles. Hoc magna fiducia ſpero.

Parmæ VII. Idus Januarii 1693.

Dux

LXXVII.

Dux Raynutius II. enixe postulat ab Imperatore Leopoldo, ne Cæsareas copias rursus mitti permittat intra confinia regionum Parmæ & Placentiæ, quas ipse Sedi Apostolicæ, & non Imperio se debere profitetur.

Ex Italico in latinum versa.

Ad lib.3.cap.33.pag.243.

1693.

SACRA REGIA ET CÆSAREA MAJESTAS,

QVamvis facta a Cæsaribus spes collatum reipsa beneficium reputari possit, neque ego dubitem, quin bello diutius ,in Italia perseverante, ita de rebus constituas, Augustissime Imperator, ut MEA DITIO onus hybernorum ULTRA PASSVRA non sit; nihilominus cum ex regiis litteris tuis nonis Februariis ad me scriptis tuum hac de re animum mihi significari viderim, tanti rem facio, in qua de ditione, populis, & hac nostra gente domui tuæ obsequentissima ab extremis miseriis liberanda agitur, ut rursus ad tuam clementiam alacriter confugiam rogaturus, ne pietate ac justitia, Augusto animo tuo insita, nobis quoque deesse velis. Non dubito, quin magnæ menti tuæ caussæ omnes occurrant, quæ ad hoc maxime valere videantur. Non ignoras, Farnesiam gentem A SANCTA SEDE IN SVARVM REGIONVM POSSESSIONEM DUOBVS AB HINC SÆCVLIS INDVCTAM. Tibi pariter constat, principes præcessores meos OMNIA ECCLESIÆ ROMANÆ, NULLA UNQUAM IMPERIO FIDEI ARGUMENTA EDIDISSE: me QUOTANNIS PONTIFICI TRIBUTUM PUBLICE PENDERE, vereque posse dicere, hoc anno propter commeatus militibus tuis alendis suppeditatos in tanta egestate versari, ut mea fide obligata, Mediolano, Venetiis atque aliunde triticum avehendum curaverim, ne HOC DUCATU MOVERER, qui, ad unicum diem CENSUS SOLUTIONE RETARDATA, ad alios migrat. Præterea tibi NOTISSIMVM est, hac de caussa NVNQVAM ANTEA, quamvis res ejusmodi toties contigerit, pro Cæsarianis militibus hanc ECCLESIÆ RO-

ROMANÆ DITIONEM EJUSMODI ONERA SUBIRE COACTAM.

Hoc ceteris meis ſignificationibus inſuper addo, quamvis ſcilicet omnis alia ratio deeſſet, homines mihi ſubjectos ditionemque univerſam in tanta rerum inopia ac paupertate languere, ut quodcumque onus ſuſtinere nullo modo valeant: cujus veritatis te optime conſcium credo, cum fieri non poſſit, quin miniſtri Cæſarei viri honeſtiſſimi atque integerrimi hoc tibi ſignificaverint, quo ſe tuis rebus invigilare impenſius demonſtrarent; cum fieri potuiſſet, ut copiis neceſſaria alimenta deeſſent, dum nulla vis efficere poteſt, ut quod deeſt, ſtatim inveniatur.

Ut aliqua ex parte hujus anni impenſis ſatisfacerem, vaſa argentea e menſis meis ſublata in nummos Mediolani converſa fuerunt: quam in urbem populi mei ſua quoque oppignetanda miſerunt. Exiguas reliquias, quæ ditioribus familis ſuperfuere, tandem vi adimere coactus fui, aures intercludens clamoribus, quibus certe tua pietas, Auguſtiſſime Cæſar, aures ſurdas non præbuiſſet. Hæc pignora in anni fine redimenda ſunt eo tempore, quo milites in hybernis conſiſtunt, cum ſolum multos poſt menſes mutua accepta pecunia cogi & præfecto Cæſareo enumerari potuerit. Interim mercatoribus, qui mutuam pecuniam dederunt, perſolvenda uſura eſt.

Supereſt æs alienum triginta ſex millium Florenorum, aut ſex millium aureorum nummum, qui ex Marchionis Mediolani Præſidis arbitrio eidem Curatori Cæſareo menſe proximo numerandi ſunt, hac tantum facultate facta, ut frumento æs alienum ſolvere poſſimus: cujus frumenti copia cum laboretur hoc anno, imbrium, inundantionum, & grandinis cauſſa, cum meſsis revera ſublata ſit, nulla in poſterum erit, nec militibus Germanis ſuppetet, ſi rurſus huc hybernatum concedent.

Hanc tibi veritatem certo teſtari poſſunt tui Germani miniſtri, qui non ignorant, meam ditionem præter populi victum tantum frumenti ac fœni non reddere, ut copiis ſufficiat. Viderunt ipſi hoc anno ſoluta pecunia frumentum mihi in alienis Principatibus emtum: & niſi Curator Schwgerus a Marchione Leganenſi facultatem impetraſſet, ut fœnum ac commeatus in Cremonenſi ac Laudenſi agris huc emtus adveheretur, evidens periculum impendebat, ne

equi

equi militum inopia interirent, licet ad illos pascendos multa ditionis meæ bovilia fœno privata fuerint, armentis tenue pabulum sibi hinc, illinc quæritare coactis.

Meæ ditioni Subditi non solum propter hanc ultimam hybernam stationem, sed propter alteram quoque, rebus ipsis datis, præter tributa generalia ad solvenda stipendia pro militibus collata, aut in supplementum, quia pro illis omnia stipendia persolvi non potuerunt, in eam paupertatem adducti sunt, ut in eorum societatem mihi deveniendum esse putaverim, magnam vectigalium partem & fisci redituum remittendo, ut Placentiæ *Montem*, quem dicimus, constituerem, hoc modo illis subveniens, qui aliter ali non possent. Et tamen video quot allatura mihi sint incommoda hujusmodi violenta consilia quo tempore hæc humillima tua domus sex Aulas alit, quarum unaquæque onera sua gravissima sustinet, cumque ad tuas copias fovendas contulerim quidquid auri in meo ærario servabatur, eo sumptibus maximis, cuilibet notis exhausto, quos alias tibi proposui, cum magna pars sumptuum, aut pro Augustissima Domo Austriaca facta sit, aut pro rebus ad eam pertinentibus.

Hoc spectaculum benevolis oculis tuis subiicio sperans, tuam clementiam JUSTITIAMQUE votis meis arrisuram, cum perspecta abunde tibi sit summa observantia, quam Farnesiæ gentis Principes semper professi sunt erga te tuosque præcessores Augustos, quamque ego potissimum profiteor, qui semper tuo patrocinio defendi singularem gloriam meam existimavi: quod demisse iterum postulo.

Parmæ XI. Cal. Julias 1693.

Dux

LXXVIII.

Dux Raynutius II. cum Imperatore Leopoldo conqueritur de damnis per milites Cæſareos ſuæ pontificiæ ditioni Parmæ ac Placentiæ illatis : in cujus ditionis poſſeſſionem, impoſito annui census onere, ipſius majores immiſſi fuerunt.

SACRA REGIA ET CÆSAREA MAJESTAS.

Ex Italico in latinum verſa.

Ad lib.3.cap.33.pag.241.

1693.

INnata animo tuo JVSTITIA tanti apud me eſt, Invictiſſime Cæſar, ut fieri non poſſe credam quominus illam ipſe quoque experiar. Si pro beneficiis impetrandis ad te accederem, petitiones meæ nequaquam fortaſſe reiiciendæ eſſent, cum inter Principum Italicorum familias hanc noſtram obſequiis tuæ Auguſtiſsimæ præſtitis a quacunque alia nunquam ſuperatam fuiſſe ſciamus. Ad tuam clementiam ſæpe confugi qua litteris meis humillimis, qua viris nobilibus ad te miſsis, ſignificans, DITIONEM HANC SANCTÆ SEDI me ACCEPTAM REFERRE, QUÆ una majores noſtros IN EJUS POSSESSIONEM INDVXIT, & cui QVOTANNIS MAGNVM VECTIGAL PERSOLVIMVS. Quare, humano jure poſthabito, ex jure tamen divino DVPLEX ONVS mihi SVBEVNDUM, DVPLICIQVE IMPERIO PARENDVM ESSE non puto. Quamvis autem hoc ſit rerum mearum fundamentum, cui uni donec vixero ſemper incumbam; obſervantia tamen erga te mea permiſi, ut prima hyberna ſtativa anni *1691.* copiis tuis adſignarentur: & tunc mea ditio tantum mulctarum numerum paſſa eſt pro militibus alendis, quamvis hic maxima eorum pars viſa non fuerit, ut hæc regio tam anguſta, pecuniis exhauſta nerviſque ſuis debilitata ſummopere fuerit.

Attamen ONVS pertuli, ſpe inductus fore, ut eo anno tantum mihi perferendum eſſet; credulus Comiti Caraſæ, qui HOC TESTATVS FVIT, APERTEQVE VERBO SVO DECLARAVIT, ut tibi ſancte juro. Alter annus advenit, meoque ſummo dolore rurſus hyberna petita ſunt. Nihilominus benignam illam ſponſionem præ oculis habens, a te per

Iii Mar-

Marchionem de Borgognono, perque tuas litteras mihi factam, videlicet bello in Italia durante, ALIA TE CONSILIA capturum, ne ultra mihi incommodares; ex meis adhuc meorumque populorum angustiis vim sumsi, spem a te mihi factam in vere facti loco ponens, & ex ore meorum, ut ita dicam, cibum auferens, & tenues pecuniæ reliquias, quæ illis supererant, extorquens, jussi copias eo modo tractari, quem ab ministris tuis facile acceperis, ita ut ipsi quoque rei admiratione capti fuerint; nam inter hybernandum ne miles quidem unus transfugit. Quoniam vero fieri non poterat, ut ego de meo tot copias in hybernis sustentarem, argentum de propria mensa, deque familiis ditioribus demendum fuit, Marchione Leganensi Mediolani præside rogato, ut mea argentea supellex in regiis illis officinis monetariis in nummos converteretur: in eadem præterea Mediolanensi urbe populorum argento oppignerato, ut statim Curatori Cæsareo pecunia exhiberetur: in quo tamen ille non conquievit. Cum ergo tunc a me fieri ultra non posset, talemque DIFFICULTATEM cum ipse Mediolani præses probe INTELLIGERET, munifico animo æque ac humanitate sua motus, rem ita transegit, ut solutio usque ad messem prorogaretur, pervicitque, ut frumento æs alienum omne dissolverem. Cum tamen hoc anno re frumentaria laboratum fuerit, & in multis locis vix semina huic ditioni necessaria aut paullo amplius messis tulerit, ego nolens meæ fidei deesse, & tot sumptibus omnino impar, mutuam pecuniam accipere debui, ita tamen, ut ad eam restituendam fidem meam omnem obligarem.

Dum tot incommodis recentissimis premor ob hyberna superioris anni, dumque ad milites alio bimestri spatio alendos frumentum non suppetit, nec emendum occurrit, licet frumento etiam reperto pecunia deesset, quo tempore mihi aliunde solatium expectari non poterat, quam a tua Majestate, adhuc recrudescente vulnere ob natu majoris unicæque sororis obitum, qui domui nostræ non parum obfuit, ecce rursus in finibus ditionis meæ versantur copiæ Cæsareæ, ut illis nova hyberna iterum parem, quamvis ad hæc paranda mihi tempus omne defuerit; ac nulla solutione facta, curare non potuerim, ut fieret. Mihique Cæsarei belli curator tam diras & parum æquas conditiones imponit, ut eas vix mens assequatur, illisque satisfieri nullo modo possit. Nam pro alimen-

mento per duos præteritos menses insumpto pecuniam a me petit & rerum pretium in pecunia numerari summo ditionis meæ impendio, tributumque solum pro copiis, quarum numerus revera non est, cum tantum fuerit mente conceptus. Ergo in summa extremaque animi ægritudine, qua miser Princeps conficior, dum sexagesimum quartum annum ætatis agens præ dolore ad mortem inducor, nullum mihi aliud perfugium datur, quam quod in tua summa pietate reponitur, in qua omnis mea spes nititur, quoniam video, aliis Principibus & tibi subjectis, hoc de genere conquestis, ad tuam clementiam aditum non fuisse interclusum. Nunquam certe mihi constat, me de tuis male mereri, ut ministri Cæsarei meam ditionem vastent, ad ea præstanda me adigentes, quæ nullo modo præstari possunt. Demisse igitur abs te pro tua summa clementia peto, Augustissime Cæsar, ne mihi tua officia deneges &c.

Parmæ IV. Cal. Januariis 1693.

LXXIX.

Imperator Leopoldus damna propter necessitatem a suis militibus pontificiæ ditioni Ducis Parmæ ac Placentiæ illata excusans, ea se pensaturum pollicetur.

Serenissimo Raynutio Farnesio Duci Parmæ, & Placentiæ, Principi nostro carissimo.

SERENISSIME PRINCEPS CARISSIME.

SI eo in statu res meæ essent; ut NECESSITATEM VINCERE POSSEM, Dilectioni vestræ non solum petita contributionum moderatione pronissime gratificarer, sed tandem omni plane onere lætanter illam eximerem: ita & ultro erga Dilectionem vestram animatus & literis ejusdem die undecima elabentis mensis ad me scriptis, necnon ferventissimis dilectissimæ Dominæ conjugis meæ Romanorum Imperatricis instantiis commotus sum! Nihil certe est, quod adeo RELUCTANTE NATURA faciam, quam ut aliis & 1694.

INNOCENTIBUS quidem onus quoddam supra vires imponam: quo magis durum mihimetipsi & grave accidit, tantum molestiæ Dilectioni vestræ exhibendum esse, quam ob majorum merita, tum ob proprium erga me devotionis studium & arctum affinitatis nexum sincero animi affectu foveo & complector. JUSSI proinde DENUO EXQUIRI, & INVESTIGARI summa diligentia, si quæ forte adhuc SUPERESSENT MEDIA ad SUBLEVANDAM Dilectionem vestram, ejusdemque AFFLICTOS SUBDITOS. Sed offerunt se revera tam IMMENSI OMNI EX PARTE SUMPTUS & INSUPERABILES DIFFICULTATES, ut non videam quo pacto me iis expedire possim. Jam decennium amplius est, quod bellum contra communem Christianitatis hostem sustineo ferme solus, grave & dispendiosum.

Exercitus præterea non tantum in Italia, sed & pro bono Italiæ in Imperio habendi & alendi sunt. Auctis ubique rerum pretiis, crescunt ultra modum sumptus, & præter aliquot centena scutatorum millia, quæ jam hoc anno in Italiam transmisi, adhuc plura centena millia, etiamsi contributiones Italicæ absque ulla diminutione pendantur, illuc suppeditanda sunt: pro quibus fundus nondum repertus est, & quod pejus, exercitus neque sine solutione in campum prodire, neque sine magno publicæ rei detrimento præsenti anni tempore in stativis hybernis diutius commorari posset: inter quæ extrema INJUNXI quidem supremo meo ibidem Commissario bellico Comiti a Breuner, ut OMNEM, quam possibile est, Dilectionis vestræ RATIONEM HABEAT, & pro mea erga eandem benevolentia, aliorumque vinculorum intuitu, OMNI INDVSTRIA & CONATV id agat, quo ejusdem SVBDITIS PARCI, & LEVAMEN aliquod ultra id, quod ab initio modernorum hybernorum concessi, afferri queat.

Sed Dilectionem vestram insimul ENIXE REQVIRERE COGOR, ut si præstare ipse ABSOLVTE NON POSSIT quod Dilectionis vestræ causa ILLI PRÆCIPIO, perpensis rerum, temporumque circumstantiis, nervos omnes intendere sedulo velit quo laborantibus copiis succurratur, eædemque quantocius in castra educi queant. Dabit hoc illa PRO ÆQVANIMITATE SVA, ut spero, INVICTÆ NECESSITATIS LEGIBVS, neque defectui voluntatis erga se meæ adscribet, quod iis MOREM GERERE INVITVS debeam:

 cer-

certoque sibi persuadeat velim, me hoc qualecumque incommodum, brevi quidem transiturum, PERPETVAQVE patriæ utilitate & libertate compensandum, ALIIS MODIS & PROFICVIS benevolentiæ meæ Cæsareæ, qua in Dilectionem vestram constanter feror, SIGNIFICATIONIBVS ALIQVATENVS RESARCIENDI, NVLLAM OCCASIONEM PRÆTERMISSVRVM ESSE.

Datum Laxemburgi die 30. Maii, anno 1694.

DILECTIONIS VESTRAE

Benevolus consanguineus.
Leopoldus.

LXXX.

Imperator Leopoldus a Duce Raynutio II. flagitat, ut suis militibus succurrat, testatus hoc se illum incommodo sola necessitatis caussa afficere: atque opportune quodlibet damnum pensatum iri promittit.

Serenissimo Raynutio Farnesio Duci Parmæ & Placentiæ, Principi nostro carissimo.

LEOPOLDUS

Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

Serenissime Princeps carissime.

INgruente rursus hieme, NEC REMITTENTE NECESSITATE, copiis nostris porro in Italia hybernandum est, quibus dum ob ingentia locorum intervalla & IMMENSOS MVLTIPLICIVM BELLORVM SVMPTVS hospitia & alimenta ex hisce partibus suppeditare NON POSSVMVS, Dilectionem vestram iterum in COMMVNIONEM ONERVM 1694.

RVM

RVM vocare, CONTRA VOTA NOSTRA COGIMVR; CONFISI, communi bono non defuturam pro viribus ejusdem voluntatem. De hoc igitur negotio cum illustris & generosus noster Camerarius, generalis excubiarum Præfectus, supremus belli Commissarius, sacrique Imperii fidelis dilectus Maximilianus Comes Breuner, nobilis dominus in Stat cum Dilectione vestra nostro nomine agere & tractare jussus sit, eandem benevole REQVIRIMVS, ut expectationi nostræ & PVBLICÆ NECESSITATI declaratio accommodata respondeat, RECIPROCIS BENEVOLENTIÆ & GRATIÆ NOSTRÆ TESTIMONIIS, dum TEMPVS FERET, COMPENSANDA: cujus interea propensiorem affectum Dilectioni vestræ prolixe confirmamus.

Datum in civitate nostra Viennæ die XXII. mensis Octobris anno MDCXCIV. Regnorum nostrorum, Romani XXXVII. Hungarici XI. Bohemici vero XXXVIII.

Leopoldus.

V. Amadeus Comes de Windischgratz.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium

Lutzo Dolberg manu propria.

Dux

LXXXI.

Dux Franciſcus Farneſius, Comite Philippo Maria Scoto Viennam miſſo, ut, quemadmodum ſibi promiſſum fuerat, penſarentur tributa, quæ ipſe militibus Cæſareis in Italia, nullo officio obſtrictus, perſolverat, cum non Imperio, ſed Apoſtolicæ Sedi Ducatum ſuum referat acceptum, hoc obtinet diploma, in quo Imperator Leopoldus teſtatur, a ſe ejuſdem Ducis regiones una publicæ neceſſitatis cauſſa incommodo affectas: neque tamen ſe *ex mero vaſſallagii debito* ab ipſo Duce auxilia accepiſſe, cum probe ſciat, ipſum *pauca tantum beneficia* ab Imperio habere. Addit, ſe eadem ſubſidia, tanquam ab una ejus liberalitate profecta, ſibi præſtita reputare: quorum ideo memoriam perpetuo retinebit, nullam prætermiſſurus occaſionem gratum illi animum ſuum oſtendendi: atque in aliis diplomatibus ſe hoc expreſſiſſe declarat.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Domini noſtri clementiſſimi nomine

Sereniſſimi Parmæ & Placentiæ Ducis Ablegato Domino Philippo Mariæ de Vigoleno intimandum.

SAcra Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter clementiſsimus, BENIGNE INTELLEXIT quid Sereniſsimi Parmæ & Placentiæ Ducis Ablegatus Dominus Philippus Maria Scotti de Vigoleno de COMPENSANDIS CONTRIBUTIONIBUS, a dicto Sereniſsimo Duce copiis Cæſareis in Italia SVBMINISTRATIS, cum in DIVERSIS SCRIPTVRIS, tum VIVO ETIAM SERMONE propoſuit, eidemque 1697.

re-

respondere jussit, NON LATERE Serenissimum Ducem, qualiter Sacra Cæsarea Majestas, postquam Galliæ Rex Italiæ fines hostiliter invasit, armaque sua in eandem ulterius proferre conatus fuit, nullius lucri spe, SED SOLO ITALIÆ LIBERTATEM VINDICANDI, imminentemque tunc temporis servitutem ab ea avertendi studio, copias suas Cæsareas illuc miserit. Et cum Sacra Cæsarea Majestas ea in re præstiterit quod non solum Imperiale munus suum, sed etiam totius Italiæ & cujuscumque in ea existentis Status, aut Principis SECURITAS & DEFENSIO exigebat; neque tamen ob ea, quæ alibi locorum sibi pro salute Christianitatis gerenda sunt bella, id sola efficere, suisque sumptibus integram belli molem sustinere posset aut deberet, Serenissimum Parmæ Ducem pro sua prudentia HAUD ÆGRE JUDICATURUM censet, REPETENDA aut COMPENSANDA non esse quæ Sacra Cæsarea Majestas tam ex belli & PUBLICÆ NECESSITATIS, quam DEFENSIONIS NATURALIS ratione & ex clientelæ vinculo ab Italiæ Statibus poscere coacta fuit. Interea tamen Serenissimus Dux PRO CERTO tenere poterit, quod Sacra Cæsarea Majestas, sicuti ejusdem promptitudinem occasione dicti belli, repetitis vicibus magna sua laude exhibitam, LIBERALEQUE subsidium NON EX MERO VASSALLAGII DEBITO; nam PAUCA TANTUM Serenissimus Dux a Sacra Cæsarea Majestate & Sacro Romano Imperio FEUDA RECOGNOSCIT; sed PRO SPECTATO SUO erga Sacram Cæsaream Majestatem OBSERVANTIÆ STUDIO COLLATUM, PERPETUA CONSERVABIT MEMORIA; ita NULLAM OCCASIONEM PRÆTERMITTET, qua SINCERUM suum erga Serenissimum Ducem AFFECTUM & PROPENSAM VOLUNTATEM juxta DIVERSA SUA DECRETA Cæsarea, & quidem diei XI. Novembris anni 1691. V. Februarii anni 1692. & XXX. Maii anni 1694. quæ hic loci in OMNIBUS & per OMNIA REPETANTUR & DENUO PRO INSERTIS HABEANTUR, re ipsa porro TESTARI queat, omnino CONFISA, eundem nunc quoque in pendendis iis, quæ copiis Cæsareis ob discessum ex Italia, hybernorum loco assignata sunt, haud difficilem porro futurum; quin potius RESIDUAM PORTIONEM SUAM brevi numeraturum esse. Nihil enim gravius aut ingratius esset Sacræ Cæsareæ Majestati, quam si ob tarditatem solutionis, eorum interventio-

tionem adhibere necesse foret, qui dicti armistitii executionem in se susceperunt. De quo ut dictus Dominus Ablegatus ad Serenissimum Ducem DECENTER REFERAT, idque negotii SVA ETIAM EX PARTE PROMOVEAT, Sacra Cæsarea Majestas BENIGNE CVPIT, eumdemque de gratia sua Cæsarea securum reddit.


Viennæ sub sigillo Sacræ Cæsareæ Majestatis secreto die XXVII. Julii, anno MDCXCVII.

Sigillum in cera rubra impressum.

Sebastianus Winibaldus Comes a Zeyler.

Lutzo Dolberg manu propria.

FINIS APPENDICIS



CHRONOLOGIA

IN QUA

Vetus & recens ſubjectio

DUCATUS

PARMÆ ET PLACENTIÆ

SUMMO IMPERIO

ECCLESIÆ ROMANÆ

REPRÆSENTATUR

Secundum teſtimonia & actuum ſeriem in Hiſtoria expreſſorum.

CHRONOLOGIA

A. D. 590. ROmanus Patricius & Exarchus urbes *Parmam* ac *Placentiam* rursus adjungit Ravennæ Exarchatui, a quo Langobardi eas separaverant. *pagina* 15. 16. 17.

754. *Æmilia*, in qua *Parmæ Placentiæ*que Ducatus positus est, Exarchatu continetur, qui ab Aistulpho usurpatus, a Pipino Sedi Apostolicæ restituitur. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

774. Carolus Magnus Romanæ Ecclesiæ restituit *Exarchatum*, sicut *antiquitus* erat, simulque *Parmam* una cum *Æmilia*, ab ipso terminis suis inclusa, intra quam *Placentia* continetur. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 21. 22.

817. Ludovicus Pius agnoscit confirmatque Apostolicæ Sedi summum imperium in *Æmiliam* atque *Exarchatum*, ubi *Parma* ac *Placentia* sitæ sunt. 48.

872. *Placentia* Apostolicæ Sedis ministris subjecta. 24.

891. Stephanus VI. summum imperium in *Placentiam* exercet. 25.

962. *Parmam* & *Æmiliam*, ubi *Placentia*, una cum toto *Exarchatu*, Sedis Apostolicæ proprias, Otto I. finibus suis descriptas, agnoscit. 56. 57.

967. Otto II. *Parmam* ac *Æmiliam* Sedis Apostolicæ proprias agnoscit. 57. 58.

1014. Henricus II. *Parmam* & *Placentiam* Sedis Apostolicæ proprias agnoscit. 60. 61.

1095. Urbanus II. *Placentiæ*, tamquam in urbe propria, moratur. 61.

Pla-

A. D. *Placentia* Apostolicæ Sedis imperio subjecta, a Petro
1180. Sanctæ Cæciliæ Cardinali regitur. 66.

1183. *Parma* ac *Placentia* in pace Constantiensi non tanquam Regno Italiæ comprehensæ, sed velut exclusæ, liberæ ac fœderatæ, memorantur. 64.

1188. Dynastæ Malaspinæ Apostolicam Sedem, ut summam *Parmæ Placentiæ*que Ducatus dominam, agnoscunt. 67.

1199. Innocentius III. in *Parmenses* ac *Placentinos*, & in Sancti Domnini municipium summum jus exercet. 67.

1209. Otto IV. jurat, se agniturum ac defensurum *Exarchatum* & *Æmiliam*, Apostolicæ Sedis regiones, in quibus *Parma* ac *Placentia* positæ. 71.

1221. Hugo Cardinalis Ostiensis Prætorem *Placentinis* adsignat. 71.

1236. Gregorius IX. *Placentinis* imperat, ut quasdam copias dimittant, ac certa quædam capita servent. 72.

— Jacobus Cardinalis Prænestinus Legatus Apostolicus *Placentiam* imperio moderatur. 73.

1240. Gregorius de Montelongo Gregorii IX. legatus *Parmæ* ac *Placentiæ* dominatur. 73.

1245. *Parma* ac *Placentia* a Legato Gregorio de Montelongo in fide erga Gregorium IX. continentur. 74.

1247. Philippus Vicedominus a Legato & ab Innocentio IV. urbis *Parmæ* instituta servandi onere levatur. 74.

1257. *Placentia* Sanctæ Sedis hostium partes secuta, ad ejusdem Sedis imperium revertitur Legati Apostolici opera. 75.

Ale-

A. D. 1258. Alexander IV. *Placentinos* in gratiam suam recipit. 75.

1264. *Placentia* Sedi Apostolicæ subjecta ab Legato Apostolico Prætorem sibi datum recipit. 76. 77.

1267. Legatus Apostolicus *Placentiæ* rebellium domos evertit. 77.

1269. *Placentia* Carolo Andegavensi Romæ Senatori paret. 77.

1274.)
1275.) *Exarchatum* atque *Æmiliam*, ubi *Parma* ac *Placentia* sitæ sunt, Rudolphus I. ad Sedem Apostolicam pertinere agnoscit. 78. 79.
1278.)

— *Placentia* per Legatum Apostolicum Ferrariæ Episcopum recta. 80.

1279. Rudolphus I. Imperator declarat, *Æmiliam* & *Exarchatum*, in quibus *Parma* ac *Placentia*, ad Sedem Apostolicam pertinere. 78. *& seq.*

1322. *Placentia* ex Galeatii Vicecomitis tyrannide erepta, ad pristinam Sanctæ Sedis dominationem redit. 84.

— Joannes XXII. Summus Pontifex *Placentiam* Verzusio Lando regendam tradit. 255.

— Idem Pontifex Rubeis & Corrigiensibus *Placentinorum* exemplum proponit, ut *Parmam* ad pristinum Sedis Apostolicæ imperium reducant. 256. 257.

1325. Andreasius Rubeus Ecclesiæ nomine *Placentiæ* Prætor. 85.

— Lupi *Parmenses* a Joanne XXII. diploma flagitant, ut in Soraneæ aliorumque *Parmensium beneficiorum* dominium mittantur. 86. 261.

— *Parma* ad Sanctæ Sedis dominium revertitur. 86. 264. 265.

Joan-

A. D.

1326. Joannes XXII. Franciscæ Scotæ ædificia in agro *Placentino* per Vicecomites diruta instaurari jubet 262.

— Acta ejusdem Pontificis, ut *Parma* ad Sedis Apostolicæ dominium redeat. 264. 265. 266.

1327. Joannes XXII. Octobono Salimbeno *Plani* præturam in *Placentino* agro confirmat. 267.

— Idem Pontifex *Placentinis* Legatis flagitantibus de vectigalibus, bonis proscriptis, mæniumque urbis instauratione decernit. 268.

1328. Lupi *Parmenses* pro *Soranea* in *Parmensi* agro posita Sedi Apostolicæ censum persolvunt. 86. 270.

1331. *Placentini* publica ad Joannem XXII. legatione declarant, se semper fuisse Apostolicæ Sedi subjectos. 87. *& seq. &* 271.

— Idem Pontifex fossas *Florentiolæ* in agro *Placentino* refici jubet. 289.

— Jubet Manfredum Landum intra *Placentiam* non admitti. 290.

— Alia ejusdem mandata *Placentiæ*. 291. 292. 293.

1333. Idem Pontifex Vicarios *Placentiam* recturos creat. 92. 93. 293.

1334. Benedictus XII. *Placentinos* hortatur, ut in fide erga Apostolicam Sedem perseverent, ad quam ipsi Legatos suos miserant. 295.

— Monet Vicecomites & Scaligeros, ne *Placentinis* Ecclesiæ Romanæ subjectis, damnum inferant. 296.

1337. Scaligeri a Benedicto XII. in Parmæ possessionem mittuntur. 95. 96.

Azo

A. D. 1338. Azo Corrigienſis orat Benedictum XII. ut montem *Caſterignanum* in *Parmenſi* agro perpetui beneficii nomine ſibi adſignet. *96.* 297.

1339. Scaligeri pro *Parma* Apoſtolicæ Sedi cenſum perſolvunt. *96. 97.*

— *Placentini* flagitant a Pontifice, ut Vicecomitibus vicariam Parmæ ac Placentiæ poteſtatem concedat. *96.*

1342. Vicecomites pro *Placentia*, vicaria auctoritate adminiſtranda, cenſum Sedi Apoſtolicæ perſolvunt. *96.*

1345. Vicecomites pro *Placentia* Eccleſiæ Romanæ cenſum perſolvunt. *96. 97.*

1346. Rurſus pro *Placentia* cenſum perſolvunt. *96.*

1372. Gregorius XI. *Placentinos* & univerſam illorum Rempublicam laudat, quod in fide erga Apoſtolicam Sedem perſeverent, eoſque hortatur ut ſe ex Vicecomitum tyrannide eripiant. 298.

— *Placentini* Vicecomitum jugo excuſſo ad priſtinum Apoſtolicæ Sedis imperium revertuntur. *97.*

1374. Gregorius XI. ſupremum *Placentiæ* ducem renunciat, ita tamen, ut Cardinali Sancti Angeli Sedis Apoſtolicæ vicario obtemperet. *97.* 302.

— Opida in *Placentino* agro poſita recuperat. *98.*

1414. Joannes XXIII. in Burgi *Vallis Tari* feudi pontificii in *Placentino* agro poſſeſſionem Fliſcos mittit 106. 308.

— Duos Epiſcopos & Canonicum Genuenſem eligit, qui Fliſcos in *Vallis Tari* poſſeſſionem inducant 101. 306.

A. D.

1419. Abbas de Casanova Apostolicæ Sedis minister, *Parmæ* atque in *Exarchatu* Cameræ Apostolicæ reditus exigit. 106.

1453. Fridericus III. Imperator jurat, se agnoscere, *Exarchatum* & *Æmiliam*, quibus *Parma* ac *Placentia* continentur, ad Romanam Ecclesiam pertinere. 99.

1511. Julius II. Pontifex ultro sibi deditas *Parmam* ac *Placentiam* recuperat ex fœdere cum Maximiliano I. aliisque Principibus inito 106. & Imperatore iis cedente. 111. 113.

— *Parma* & *Placentia* Legatos Mediolanum mittunt, coram Cardinali Sedunensi Romanæ Ecclesiæ fidem daturos. 115.

— Idem ab earum Legatis Romæ Julio II. Pontifici promittitur. 116.

1512. *Placentini* Legati in publico Romanæ Ecclesiæ Senatu, tamquam Sedi Apostolicæ antiquitus subjecti, fidem Julio II. pollicentur. 116.

1513. Matthæus Langus Cardinalis Gurcensis, tamquam Cæsareus administer, in Lateranensi Concilio *Parmam* ac *Placentiam* a Julio II. juste receptas comprobat. 123.

— *Parma* & *Placentia* per Maximilianum Mariam Sfortiam Mediolani Ducem occupatæ, Leoni X. restituuntur. 133.

1515. Leo X. *Parmam* & *Placentiam* in Bulla *Cœnæ Domini* suas appellat. 134.

— Id pariter in ejus nummis exprimitur. 136.

— Inter Leonem X. & Maximilianum I. convenit, ut *Parma* ac *Placentia* ad Apostolicam Sedem pertineant. 137.

Edi-

A. D. Edictum Leonis X. contra Franciscum I. Galliæ Regem, & ejus Ducem, tamquam *Parmæ* ac *Placentiæ* detentores. 140. 322.
1521.

— Leo X. fœdere cum Carolo V. percusso easdem urbes recuperat. 140. & *seqq.* 309.

1522. Hadriani VI. nummi ejus summum imperium in *Parmam* ac *Placentiam* ostendunt. 150.

1526. Carolus V. gloriatur, sua opera *Parmam* ac *Placentiam* Sedi Apostolicæ recuperatas. 147. 153.

— Fatetur, eas *urbes* Sedi Apostolicæ fuisse subjectas, eidemque propter fœdus cum Leone X. ictum, restitutas. 153.

1527. *Parma* & *Placentia* Cæsareis ducibus a Clemente VII. obsidis loco traditæ. 154. in Barchinonensi fœdere inclusæ. *ibid.*

— Clementis VII. nummi summum ejus in *Parmam* ac *Placentiam* imperium testantur. 157.

1534. Paullus III. *Parmam* ac *Placentiam* possidet, ministrosque earum regimini præficit. 163.

1536. Carolus V. in publico S. R. E. Senatu de fœdere cum Leone X. abs se constituto ad *Parmam* ac *Placentiam* recuperandam, mentionem facit. 164.

1539. Ennius Cardinalis Philonardus *Parmæ* ac *Placentiæ* Legatus. 164.

1540. Nummi Paulli III. summum ejus in *Parmam* ac *Placentiam* imperium demonstrant. 185.

1545. Paullus III. *Parmæ* ac *Placentiæ* ducatum instituit, eumdemque beneficii nomine suæ genti tradit, onere imposito, ut quotannis *novem millia nummum aureorum* Apostolicæ Sedi census loco persolvant. 165. 332.

Lll 2 Joan-

A. D.

1546. Joannes Ludovicus Fliscus pro locis *Vallis Tari* & *Calestani* in *Placentino* agro positis, Duci Petro Aloysio Farnesio fidem suam pollicetur. 309.

1547. Burgus *Vallis Tari* & *Calestanum* Joannis Ludovici Flisci morte ad Petrum Aloysium Farnesium, tamquam *Placentiæ* Ducem, delabuntur. *ibid.*

— Post Petri Aloysii cædem *Placentia Romanam Ecclesiam* invocat, & ad Paullum III. scribit, se in fide erga eamdem velle persistere. 177. 355.

— Paullus III. de *Placentiæ* occupatione cum Carolo V. & Ferdinando I. conqueritur. 181. 357.

— Joannes Franciscus Cardinalis Sfondratus ad Carolum V. Legatus Apostolicus de *Placentiæ* occupatione conqueritur. 181.

— Carolus V. Ecclesiæ Romanæ pro *Placentia* compensationem offert. 182.

— *Parmenses* Octavium Farnesium, tamquam missum a Sede Apostolica in *Parmæ* ac *Placentiæ* ducatus possessionem, sacramento agnoscunt. 178.

1548. Paullus III. *Parmæ* ac *Placentiæ* dominium Duci Octavio confirmat. 178.

— Carolus V. se *Placentiam* Sanctæ Sedi restituturum pollicetur. 184.

1549. Carolus V. pro *Placentia* annua quadraginta millia ducatorum Sedi Apostolicæ offert. 184.

1550. Julius III. Pontifex Octavio Farnesio *Parmæ* & *Placentiæ* ducatum confirmat. 195.

1551. Gallia & Imperium Germanicum probant, *Parmam* Sedi Apostolicæ patrimoniis accedere. 195.

Ca-

A. D.

1551. Carolus V. se in *Parmæ* ac *Placentiæ* ducatus possessionem a Sede Apostolica induci beneficiario nomine flagitat, & ab se Ducem Octavium pensatum iri promittit. 191.

— Philippus II. Rex Catholicus pro *Placentia* se beneficiarium Romanæ Ecclesiæ offert. 191.

— Julius III. ministrorum Caroli V. impulsu Ducem Octavium de *Parmæ* beneficio dejicit. 192. 193.

— Carolus V. ad *Parmam* Sedi Romanæ recuperandam, fœdus cum eadem percutit. 193. 195.

— Henricus II. Galliæ Rex testatur, se præsto esse Duci Octavio, ut Sanctæ Sedis in *Parmam* jura tueatur. 193. 194.

1554. Carolus V. supremis tabulis jubet, *Placentiam* Sedi Apostolicæ, non vero aliis, restitui. 204.

1555. Cæsaris Aula Duci Octavio pro *Placentia* Senas offert. 109.

1556. *Placentia* ex Caroli V. testamento Sanctæ Sedi restituta, Duci Octavio Farnesio traditur. 197. 206.

— Dux Octavius Scotorum gentis quædam munera *Placentiæ* a Summis Pontificibus olim delata, restituit. 378.

1557. Dux Octavius Sanctæ Sedi totum *novem millium ducatorum ex auro* censum denuo persolvit, qui pro *Placentia* a tempore ejus occupationis intermissus fuerat. 210.

— Paullus IV. tamquam *Parmæ* ac *Placentiæ* summus dominus, onera quædam iisdem urbibus imponit. 213.

— Orator Galliæ Paullum IV. urget, ut contra Octavium

A. D. vium *Parmæ* ac *Placentiæ* Ducem, Sedi Romanæ subjectum, edictum promulget. 212.

1560. Octavius Farnesius contra Borromæorum gentem in publico judicio ostendit, se ducatum *Parmæ* ac *Placentiæ* Sedi Apostolicæ acceptum referre. 212. 213.

1578. Octavius Farnesius jussu Gregorii XIII. *Burgi Vallis Tari* feudi pontificii possessionem rursus init 214.

1579. Regius Neapolis Senatus comprobat, *Vallem Tari* & *Placentiam* ad summum Sedis Apostolicæ imperium pertinere. 213. 214.

1584. *Arx Placentiæ*, ut Caroli V. voluntas impleatur, Duci Octavio, tamquam Sedi Apostolicæ subjecto, restituitur. 198.

1594. Raynutius I. Dux Parmæ postquam ad Clementem VIII. Pontificem Renatum Comitem Borromæum Mediolanensem, oratorem, suæ pontificio imperio subjectionis testem misisset, palam eidem Pontifici declarat, se nulli, præterquam Sedi Apostolicæ Ducatum *Parmæ* ac *Placentiæ* acceptum referre. 219.

1622. Appius de Comitibus pro Odoardo Farnesio *Parmæ* ac *Placentiæ* Duce Legatus Gregorio XV. Pontifici dat fidei jusjurandum. 225.

1624. Troilus Comes de Rubeis pro Odoardo Farnesio *Parmæ* ac *Placentiæ* Duce coram Pontifice Urbano VIII. se fidei jurejurando obstringit. 225.

1635. Philippus IV. Rex Hispaniarum & Ferdinandus II. Imperator ab Urbano VIII. flagitant, ut in Ducem Odoardum Farnesium sibi *subjectum* animadvertat, quod cum Gallis fœdus iniverit. 226. 227. 228. 388. 389.

Ur-

A. D. 1635. Urbanus VIII. ad Mediolani præsidem, & ad Philippum IV. scribit ne pontificiam ditionem *Parmæ* ac *Placentiæ* damno afficiant. 228. 399. 401.

1636. Ludovicus XIII. Galliæ Rex ab Urbano VIII. flagitat, ut dierum spacium proferatur, quo peracto, Odoardus de *Parma* ac *Placentiæ* Ducatu dejici debeat. 228.

— Austriaci enixe contendunt, ut Urbanus VIII. Ducem Odoardum *Parma* ac *Placentia* privet, atque in harum urbium possessionem Thaddæum Barberinum mittat. 230.

— Edictum ab Urbano VIII. Austriacis instigantibus, contra Ducem Odoardum promulgatum, in quo agitur de Duce beneficio pontificio *Parmæ* ac *Placentiæ* privando. 228,

— Aliud Edictum ejusdem Pontificis contra Principem Joannem Andream ab Auria, quod *Burgum Vallis Tari*, in *Placentino* agro positum, occupasset 234. 389.

1644. Ludovicus XIV. Galliarum Rex Urbanum VIII. orat, ut Ducem Odoardum in pristinam suam gratiam restituat. 419.

1648. Appius de Comitibus Legatus pro Raynutio II. *Parmæ* ac *Placentiæ* Duce, Innocentio X. fidei jusjurandum præstat. 233.

1671. Raynutius II. Dux *Parmæ* & *Placentiæ*, ut Apostolicæ Sedi subjectus, Legati nomine Marchionem de Soranea ad Clementem X. mittit. 234. 415.

1680. Dux Raynutius II. in libro Imperatori Leopoldo inscripto, & in Academia Viennensi edito, declarat, *Placentiæ* Ducatum una cum suis agris ad summum Apostolicæ Sedis imperium spectare. *66. & alibi passim.*

Dux

A. D.

1691. Dux Raynutius II. cum Imperatore Leopoldo conqueritur, quod ejus copiæ ad hybernandum in suam pontificiam ditionem *Parmæ* ac *Placentiæ* missæ fuerint. 239. 241. 414. 416.

— Innocentius XII. de eadem re cum Imperatore Leopoldo queritur, qui variis actis jura Pontificis in *Parmam* ac *Placentiam* agnoscit. 241. 418. 424.

— Idem Pontifex ad Carafam summum Cæsarei exercitus ducem scribit, ut ex pontificia *Parmæ* ac *Placentiæ* ditione milites revocet. 425.

— Carafa declarat, se a *Parmæ* ac *Placentiæ* duce tributa non petere, nisi ob aliquot beneficia, quæ ipse Imperio se accepta referre non abnuit. 239. 420.

— Imperator Leopoldus *Parmæ* ac *Placentiæ* Ducem propter has urbes Apostolicæ Sedi, non vero Imperio, subesse declarat. 241. 426.

1693. Dux Raynutius II. testatur, Imperatori Leopoldo, se *Parmæ* ac *Placentiæ* ducatum Ecclesiæ, non Imperio acceptum referre. 242. 428.

1694. Imperator Leopoldus declarat, se ditionem Ducis Raynutii II. damno affecisse, unius necessitatis caussa, & promittit se ea damna pensaturum 435.

1697. Imperator Leopoldus declarat, *Parmæ* ac *Placentiæ* Ducem *tantum pauca beneficia* Imperio accepta referre. 242.

FINIS CHRONOLOGIÆ

IN-

INDEX RERUM

A

Edi-

G

Got-

H

Her-

Leo-

N

Pon-

S

Tau-

Ur-

FINIS

PRÆCIPUE CORRIGENDA

Prior numerus paginam, ſecundus lineam indicat.

Pag. XVI. *lin.* 3. ego, *lege* ergo. 10. 12. adnexo. 12. 18. illudque Carolus ab ſe. 21. 16. certiſſimo & 23. 17. ornavit in. 29. 4. Anaſtaſius. 30. 19. quo Carolus. *ibid.* 36. illi non. 35. 24. Chronico etiam. 39. 31. *nequirent*. 50. 23. ſane. 61. 30. in margine *Commenta*. 70. 33. ſucceſſores. *ibid.* 35. *Exarchatum*. 76. 4. profecta. *ibid.* 36. hoſte. 92. 15. Archidiaconum. 113. 12. *Bononia* ac *Ferraria*. 126. in margine VI. 133. 12. tractarunt. 135. 13. ea. 175. 14. falſitas autem. 178. in margine *de Finibus*. 193. 8. Pontifici. 198. 26. Pomponius. 199. 25. Pontifice. 203. 6. hanc controverſiam non diremtam. 209. 26. ſpoliationem. 210. 15. poſtliminio. 223. 13. pontificium. 225. 1. quæ. 228. 18. per litteras. *ibid.* 27. declaraturi. 222. 34. 1594. 228. in margine. *epiſt.* 500. 332. 10. illi ſociiſque. 453. 20. genti.

